PERKINS LIBRARY
Duke University
Rare Books

DREW UNIVERSITY
MADISON, NEW JERSEY

MEMORANDUM TO Professor Jordy DATE March 30, 1938

FROM O. Gerald Lawson

Dr. William Walker Rockwell, Librarian of Union Theological Seminary, has given us the following information concerning the author of that old book you left with us for study:

> Antonius Arbiol was a Franciscan of the Regular Observance, a "reader in sacred theology", very learned and humble of heart, who declined in 1720 the election to a Spanish bishopric. He died in 1726. He wrote many works. His Certamen Marianum Parisiense was published at Saragossa (Caesar Augustae) in 1698.

O. G. L.

CERTAMEN MARIANVM PARISIENSE.

CERTAMEN MARIANUM PARISIENSE,

VBI

VERITAS EXAMINATUR IN SPLENDO-
RIBVS SANCTORVM,

ET

OPVS MIRABILE MYSTICÆ CIVITATIS DEI, A CENSVRA Doctorum, à Sacra Facultate Pariſienſi Deputatorum, exagitatur liberum; & à Sententia, ſub ementito ejuſdem Sacræ Facultatis nomine evulgata, propugnatur immune.

CONATVR OSTENDERE CœLICAM MYSTICÆ CIVITATIS Dei conſonantiam, Scripturæ Sacræ, Sanctis Patribus, Doctoribus approbatis, alijſque Revelationibus particularibus, in Eccleſia Catholica hucuſquè legi permiſsis,

Fr. ANTONIVS ARBIOL, REGVLARIS OBSERVANTIÆ Seraphici P.N. S.Franciſci, Aragoniæ Provinciæ Minimus Filius; & Religioſiſsimi Conventus Sanctæ Mariæ à Ieſu, Civitatis Cæſar-Auguſtæ, inutilis Servus.

EMINENTISMO D. D. FABRITIO ESPADA, Romano; S. R. E. Presbytero Cardinali; SS. Innocentij XII. Miniſtro Primo; & Seraphicæ Religionis noſtræ Protectori Maximo.

CÆSAR-AVGVSTÆ: Apud EMMANVELEM ROMAN, Vniv. Typ.
Anno M.DC.XC.VIII.

E
RBR
A664

Eminentiſsime Princeps.

O*MNIS ætas, & vterque ſexus* (divinizarat Ambroſius) *eventorumque miracula fidem aſtrunt. Vides vberem in omnes gratiam Domini generatione diffuſam, & prophetiam incredulis negatam eſſe, non iuſtis.* Hæc, dùm ſic de Filio, de Matre nihil? Abſit. Vberrimam vidimus in omnes gratiam, Mariæ præconijs diffuſam, eorumque gloriam incredulis tametſi negatam, rectis ſummoperè dilectam, juxta illud: *Recti diligunt te:* Ecce enim ex hoc Beatam omnes generationes dixerunt. Verum enim verò rerum Creator omnium, qui omnia deſcripſerat, non ſtylo ferreo, nec plumbi laminâ, quin per conſona ſapientiæ limina, dulciſono, parilique metro, ac veluti nox nocti ſcientiam, dies diei verbum, abyſſus abyſſo vocem, elegit, & præelegit, vt Mulier mulieris arcana, ſcientiâ, voce, elatoque verbo reſonans eructaret. Vis probemus? Intuere diffuſam & confuſam Hebræorum

turbam, etiam ante Chriſti faciem, tentant Scribæ, Phariſæi calumniant, Iudæi blaſphemant, pravi inſiliunt, recti ſuſtinent, & ſacrum ventrem, vberaque Mariæ, ſola quædam mulier de turbâ, non pavida ſexu tacet, ſed extollens vocem, vt elevaverunt flumina ante mare magnum (illic, & hinc reptilia, quorum non eſt numerus) abſque morâ laudat, mirèque mores commendat. Haud aliter nunc, Eminentiſsime Protector, verſus Dei Matrem Almam, in Myſticam Civitatem, alto ex Olympi vertice deſcribendam, ſapientes mundi ſtupent, impij maculant, inſipientes ſtrident, ambitioſi ſibilant, pravique dùm delent, quicquid Scribæ probi dolent, Virginalem Aulam, ſapientiæ & ſcientiæ Dei theſauris congenitam, quorum omnium Mater eſt, ex vniverſâ ſæculorum turbâ, quædam Virgo Sapiens, & vna de numero prudentum, Maria de Agreda, ſine invidiâ communicat, & honeſtatem illius non abſcondit; infinitus enim theſaurus eſt, quo qui vſi, tametſi plures ſint, verùm hæc extollens vocem, & vltra eam, quam dederunt nubes; vtique ſic, ſola Virgo Virginē agnovit, & Maria Mariam demonſtravit. Nec contradictione erubeſcimus, ſed cum lege loquimur, gloriamur, ſi libri vitæ facta

imi-

imitemur, ex quo dixit Simeon ad Mariam: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël; & in ſignum, cui contradicetur.* Dum quæcunque ſcripta, hæc vt perfruimur, ad noſtram doctrinam, & conſolationem ſcripta. Ecce Liber Myſticus Mariæ poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum ſedentium in tenebris, & in vmbrâ mortis. Nec contradicere nocere credimus, ſed favere ſperamus; nunquàm equidem abſque contrario Opus probaretur Marianum, prout nec vnquam Verbum *in ſignum* abſque cõtradictione poneretur Divinũ. Hæc, pleraque, prout audivimus, ſic vidimus *in Civitate Dei noſtri*, quæ fundatur exultatione vniverſæ terræ: ſinimus latera Aquilonis, Civitas Regis Magni. Oramus, Eminentiſsime Protector, ex Sacro noſtro Monte Syon, quem peregrini cuſtodimus, vt Myſticam Civitatem Dei, arundine menſam, & calamo inſignitam, ſub vmbrâ alarum tuarum, vnâ manu ædificatam erigas, & alterâ nobilis tuæ Proſapiæ Gladio (quod vulgò dicitur Eſpada) pro viribus defendas, quo pacto, qui Princeps in ædificatione muri Civitatis Dei, juxta Eſdræ litteram 2. cap. 4. *Vnâ manu ſua faciebat Opus, & alterâ tenebat Gladium. Ego autem, & Fra-*

tres

tres mei, & Pueri mei, & Cuſtodes, ſicuti & cæteri Miniſtri, quorum es Protector, Corrector, & Gubernator, pro tantâ Eminentiâ rogamus Dominum vitam ſalutarem, imperium tutum, miniſterium altum, ſecurum exitum, cœleſtem gratiam, & finem auſpicatiſsimum. Fiat.

Eminentiſsime Princeps, & Præclariſsime Protector,

Sub tuæ Protectionis invictâ Purpurâ

Obſequentiſsimus Servus & Filius

Fr. Antonius Arbiol.

HÆC IVDICAT, IN HVIVS OPERIS Cenſuram D.D. Michael Eſtevan & Colàs, Phyloſophiæ Magiſter; in Academiâ Valentinâ olìm Primarius Ariſtotelis Interpres; Inſignis Parochiæ S. Pauli Parochus Cæſarauguſtæ; Sereniſſimi Principis D.D. Ioannis ab Auſtria Capellanus, & Eleemoſynarius Honorarius; Univerſitatis Cæſarauguſtæ Sac. Theolog. Doctor, & ter nunc Rector, & Pro-Cancellarius; Vicarius Generalis Epiſcopatus Illerdenſis; nunc Præcentor Dignitas in Sancta Ecclesia Metropol. Cæſarauguſt. & Examinat. Synodalis.

DVm judicium meum expoſceret Illuſtriſsimus D. D. Laurentius Armengual del Pino, Sacellanus Regius, Canonicus Compoſtellanus, Viſitator, ac Vicarius Generalis Archipræſulatus Cęſar-Auguſtani, & electus Epiſcopus Auxiliaris, pro Excellentiſsimo Domino D. Antonio Ibañes de la Riba-Herrera, Archiepiſcopo Cæſar-Auguſtano, &c. Vidi, atque animo potiùs quam oculis lætabundus perlegi *Certamen Marianum Parſienſe*, in quo gloriabundus detriumphat ſuus Author R.P.Fr. Antonius Arbiol, Sac. Theologiæ Lector Iubilatus, Aragoniæ Provinciæ celebris Filius, Archipræſulatus Cæſar-Auguſtani Synodalis Examinator, & Religioſiſsimi Conventus Sanctæ MARIÆ à JESV Civitatis Cæſar-Auguſtæ Caput, & Præſul: Adversùm acerrimas, & clancularias quaſdam Cenſuras, quæ nuper in Gallia piaculares Notas inurere tentarunt Tomo Primo Myſticæ Civitatis Dei; quem cęlitus afflata, Venerabilis Soror Maria à Iesv Graccuritana (vulgo de Agreda) jam pridem ſuperis characteribus exaraverat, & diſpulſis hinc inde tenebris in lucem ediderat. Vehementiùs ſolitò geſtit animus, dum in limine ſeſe jam intromiſſum ſentit in Myſticam Civitatem Dei; cujus mœnia pro aris, & focis defendenda ſuſcipio, ſi Venerabilem illius Authorem, & Religioſum hujus Defenſorem (quoad patiatur præliminaris anguſtia) ab

omni Cenſuræ jaculo immunes in tuto reponam. Equidem verba Philippi Abbatis in præſentiarum mea volo : *Tu igitur, Virgo ſanctiſsima, de manu mea ſuſcipe parvum munus ; non eſt aurum, non argentum, non lapis Regum donarijs opportunus, ſed inculta verborum libatio.* Veruntamen in exili munuſculo ſpem ingentem collocas; *& Doces me ſperare majora meritis, quæ meritis majora largiri non deſinis* : vt cum Hildeberto loquar. Nobilem, & honeſtam ſibi parit, & à me extorquet invidiam hujuſce Certaminis Palæſtrita; quoniam cœleſte ſibi bravium meretur, dum meret ſub Virgine *terribili, vt caſtrorũ acies ordinata*; ita vt calamus, fulgurantis inſtar haſtæ, aſſurgat *terribilis* in redarguendo, in exponendo *ordinatiſsimus* ; & omnes ingenij *acies* exerat; & omnia rationum *caſtra* in ſe ipſum cogat. Quotquot ſuas elucubrationes æternitati commendatas volunt, cedrino illas ſucco inungere jam olim ſolebant; quo & tinearum corroſionem, & temporum injurias arceant. At deſe ait B. Virgo: *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano.* Eccli. 24. v. 17. Humor neſcio quis è Cedro profluit, qui Cedria nuncupatur;& qua inũcti Codices caducitatem exuunt; perennitatem induunt. Cedrus Deipara; quæ ſuarum laudum Scriptoris vindicem, ab omni invidorum tinea, & ab omni fugacium temporum injuria vindicabit. In rem noſtram appoſitè, & dilucidè Ricardus à S. Laurentio de Laudibus Virginis lib. 12. *Regina,* ait, *ejus quæ de intus erumpens exteriùs apparet in cortice, & Cedria appellatur, libros conſervat à vetuſtate, & tineis, ſi inde perungantur; quia Sacram Scripturã conſervat Beata Virgo à tineis, & vetuſtate; quia gratiã largitur maximè diligentibus ſe, qua Sacra Scriptura de die in dies meliùs intelligatur.* Maria ergo Cedrus longè ſublimis, & apprime vtilis ; cujus ambroſio ſucco inunxit Schedas ſuas hujuſce Operis Author; vt cum inquietâ æternitate jam deinceps contendant. Hæc brevibus dixerim de Authore, quadantenus Mariano Encomiaſte; ſic enim Apologiam ſuam rectâ dirigit ad Virginem Graccuritanã, vt vix, aut ne vix quidem poſsit æquâ rectitudine non reflectere Elogia ſua in Virginem Deiparam. Quid ergo dixerim de Authore, quadantenus vindicante Hiſtoriographam Marianam à fulmine cenſorio? Felicitèr ſubterfugit Author iſte geminos vltro citroque minaces Scriptorũ ſcopulos, quos deciinare diſcupit Enodius in Paræneſi Didaſcalica, ſic inquiens: *Non ſentiat virilitas Operis, enervati damna ſermonis.* Virilis eſt in ratioci-

Philipp. Abb.

Hildebertus.

Eccli. 24.

Ricard. à S. Laurẽt.

Enodius.

cinando, & in exerendo rationum aculeos; non enervis, non elumbis in dicendo: quinimò argumentorum vis vim mutuatur ab eloquentia ſua; & res ſimul, ac verba reciprocum in ſe ſplendorem reflectunt. Audi, ſic, Ezechielem 21. v. 9. *Hæc dicit Dominus Deus: loquere; Gladius, Gladius exacutus eſt, & limatus: vt cadat victimas, exacutus eſt; vt ſplendeat, limatus eſt.* Non ſecus eloquitur iſte ingenioſus Author, qui *gladium, & gladiũ* in vnoquoque argumento evibrat: *Exacutum* ingenij viribus, *vt cadat victimas*, vtque Cenſuras arietantes elidat: *Limatum* eleganti ſtylo, *vt ſplendeat*, vtque lucidus in lucem prodeat. Solus hujuſcemodi ſermo quadrat in Redargutionem inanium, vel immanium Cenſurarum. Ad Hebr. 4. v. 12. D. Paulus ait: *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax*. Mox autem ſubjungit: *Et Diſcretor cogitationum*. Quid ſibi hìc vult *Diſcretor*? Eruditè Ribera ibi: Latinè *Diſcretor*, Græcè *Criticus*, id eſt, Cenſorius dicitur. Vocat Author ad cryſin obſiſtentes Cenſuras, ita vt Diſcretor cogitationum identidem exiſtat: arripiat ergo ſermonem vivum paritèr, ac efficacem, vt Cenſuræ impoſterum obmuteſcant. Porro ſtylus etiam pellucidus eſt vſque adeo, *vt ipſius Solis radio ſcriptum putem; ita claret*: vti Tertullian. ait de Reſurr. Carnis, cap. 47. Ezech. 21 Hebr. 4. Tertuliã.

Prætermiſſam enimverò nolim Operis æquitatem; quæ obnubilatis nulla paſſione oculis eveſtigio ſe prodit; atque inclareſcit, perſpecta ſolùm Venerabilis Hiſtoriographa Myſticæ Civitatis Dei. Ego in eo ferme ſum animo, vt quiſquis ſyncero affectu Hiſtoriam illam relegat, ſtatim ſeſe dulcitèr occulto quodam hamo capi ſentiat; imò tùm dicendi maieſtatem, tùm doctrinæ puritatem, tùm denique conſonantem rei cum ratione harmoniam demirans, cogatur inclamare cum Virgilio: *Nec vox hominem ſonat*. Præterea, Hiſtoriam illam ſemel, iterũ, iterumque revocatam fuiſſe ad incudem rigidioris examinis; neque tot inter ictus vllam vel exiguam ſcintillam exilijſſe, quâ tantillum adureretur, ſed quâ magis vſque, ac magis ſplẽdeſceret. *Veritati nemo præſcribere poteſt*: ait Septimius in lib. de Virgin. velandis cap. 1. Non me latet, in Hiſtoria intercurrere aliquas aliquando difficultates; ſed quæ veroſimili exitu prætervaduntur; atque illas, ſi quę forent, planas ſatis, & obvias fecerunt primoria Ingenia Defenſorum. Eccur intra mõtis avia, remotis arbitris, tamdiù commoratus Moyſes? Sciſcitatur S. Methodius Hom. de Purific. Mariæ, & ſibi reſpondet: Septimius

 Moy-

S. Methodius. *Moyſes ille magnus propter figuras intellectu difficiles, quæ te, Virgo, tangebant, diutiùs in monte commoratus; vt ignota de te, ô Caſta, Sacramenta edoceretur.* Mirari jam ſinat larvatus, quiſquis ille eſt, Adverſarius, ſi quædam intellectu difficilia in Hiſtoria Virginis ſibi appareat; ignota namque Sacramenta ibi edocétur; & potiùs ratiocinationes rimetur, quibus omnem difficultatem emolliat, ac temperet, quàm quibus in caſſum exaggeret, & in ſuum retorquendam caput extollat. Prætermiſſis alijs pleriſque ſignis credibilitatis, quæ in hoc Opere commõſtãtur, vnum pro Hiſtoria ſignum militat, quod vix hæſitationi locum vllum relinquere videatur. Illud eſt, Vita ſupra modum mirabilis Marię à Ieſv; cujus è manu volumen hoc à Cœlo volans in terras noſtras elapſum eſt. Aptè, & elegantèr Chriſoſtomus Hom. 11. in Mathæum, in hunc modum profatur:

S. Chriſoſtomus. *Siquidem Sacerdos eſt, doceat; & doctrinam ſuam bona vita, quaſi miraculis, factis commendet.* Quis ambigat de veritate Doctrinæ, quam miraculo, quadam vtique Dei linguâ, teſtatam cernimus? Paritèr hæſitandum non eſt de Doctrina, quam mirabilis vita ſui Authoris ſigillat: neque enim credibile eſt, Deum fore permiſſurum, vt tàm immanis error, qualis ex falſitate hujus Hiſtoriæ ſerperet, commendationem vllam ab eximijs donis, quibus ipſemet Authorem illuſtravit, mutuaretur. Quamobrem Certamen hoc Marianum Apologeticum, prælo, ac prælio dignum; & illius Authorem communi plauſu excipiendum exiſtimo; Salvo, &c. Cæſaraugustæ die 19. Octobris Anno 1698.

Doct. D. Michael Eſtevan & Colàs.

FA-

NOS D. D. LAVRENTIVS ARMENgual del Pino, Saccellanus Regius, Canonicus Compoſtellanus, Viſitator, ac Vicarius Generalis Archipræſulatus Cæſarauguſtani, & electus Epiſcopus Auxiliaris, pro Excellentiſsimo Domino D. Antonio Ibañes de la Riba-Herrera, Archiepiſcopo Cæſar-Auguſtano, &c. Tenore præſentium facultatem impartimur R. P. Fr. Antonio Arbiol, Lectori Jubilato, &c. vt in lucem dare queat, Typiſque mãdare Librum, cui titulus eſt: *Certamem Marianum Pariſienſe, &c.* Quatenus ex præſcripto noſtro extat examinatus, & Approbatus à D. D. Michaele Eſtevan & Colàs, in Eccleſia Metropolitana Dignitate Præcentoris Inſignito, &c. In quorum fidem has litteras expediri juſsimus, & conceſsimus. Cæſar-Auguſtæ die 20. Octobris, Ann. 1698.

D. D. Laurentius Armengual del Pino, Vic. Generalis.

De mandato ſuæ Illuſtriſsimæ Dominationis
D. Emmanuel Monçon, & la Mata, Not.

AP-

APPROBATIO

R. P. M. Fr. ANTONII BERNAL del Corral, Regalis ac Militaris Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Mercede, Redemptionis Captivorum, Sacræ Theologiæ Lectoris Jubilati; Archi-Præſulatus Tarraconenſis Examinatoris Synodalis, & ejuſdem Illuſtriſſimi Archi-Præſulis Theologi & Pœnitentiarij; olim in Cæſaraugustano S. Petri Nolaſci Collegio Rectoris, & Studiorum Regentis; nunc autem totius dicti Ordinis Secretarij Generalis, &c.

COmmiſsione Illuſtr. D.D.D. Antonij Blanco, Aragonum Cancellariam Regentis, diſcutiendum ſuſcepi Librum à R. P. Fr. Antonio Arbiol, Conventus Cæſarauguſtani Sanctæ Mariæ à Iesv, Ordinis Sancti Franciſci Præſule elaboratum, propugnationem Scriptorum V. Monialis Mariæ à Iesv, Abbatiſſæ Conventus Conceptionis de Agreda, quæ de Vita Beatiſſimæ V. Mariæ edidit, in argumentum aſumens, adverſus quorundam Sorbonicæ Academiæ Doctorum ſuper eadem ſcripta Cenſuram: Et quoniam à prima Librorum V. Abbatiſſæ excuſſione, impenſe illos legendo ſuſcepi, ſæpiuſque magna ſpiritus hilaritate percurri; tametſi meæ puſillitatis non oblitus, munus Cenſoris, etſi non judicis, ex grata obedientia ſubire cõtendo. Ex materiæ gravitate, veritate dictorum, verborum proprietate, ac inoffenſa ſcribendi locutione approbationem librorum enucleare tenemur: cui præcepto inherens difficile propugnationem Authoris attingam, quin clientes Abbatiſſæ Libros præ oculis habeam. Cujus materies, Vitam nempè Beatiſsimæ Virginis Mariæ quantum gravitate præcellat, ſatis ſuperque liquet. Quid inquam dignius poſt Chriſti Domini Vitam & Mortem pretioſiſsimam, aut ita dignum, ac Sanctiſsimæ Matris merita, virtutes, & miracula exprimi, aut prædicare valet? an ne quia Sanctorum acta nobis quotidie Typis expreſſa mandãtur, Reginæ Sanctiſsimæ Vita ſub ſilentio prætereunda? An quia ſupereminens, & ſuper excelſa tanquam ineffabilis

ta-

tacenda? Abſit. Cum ex eo quod ineffabilis eſt, fandi tribuat facultatem. An quia tanquam privata revelatione propoſitam, aut non credendam, aut ſuſpectam, ceu delirantis ſomnium mulieris reputare licebit? Eccine ſcopum, quo jacula pergunt exprobrantium V. Abbatiſſæ Libros, qui aut præceptum ſapiētis, quo jubemur probare ſpiritus ſi ex Deo ſint, negligunt, aut torvis oculis probantes deffecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Præviæ cuique ſunt regulæ ad privatas probandas revelationes apud SS. PP. doctrinas, quibus ea quæ à divino Spiritu traduntur, ab humani & diabolici ſuperſtitione ſecernimus. Hinc, collatione cum ſcriptis V. Abbatiſſæ facta, niſi ſincerum velimus adulterare affectum, non fœminea ſomnia, non excogitatas humanæ fragilitatis inventiones, ſed verè lumen deſcendens à Patre luminum doctrinam V. Abbatiſſæ mihi credidiſſe non erubeſco. Signum veræ doctrinæ tradit Paulus Timotheo Epiſt. 2. cap. 3. his verbis: *Omnis doctrina divinitùs inſpirata vtilis eſt ad docendum, & erudiendum*: id eſt, vt non tantum pro aliorum vtilitate à Deo immiſſa cenſeatur, quod innuit Ly *docendum*; ſed etiam ad proprium in via virtutis profectum, quod per Ly *erudiendum* exprimitur, inſpirata judicetur. Qualem ergo, & quantam Abbatiſſa eruditionem ad ſui perfectionem ex ſuorū Librorum inſpiratione hauſſerit, etſi verbis ipſius fidem adhibere renuamus, facta tamen mirabilia, quæ indubitata plurimorū authoritate teſtium firmantur, ipſeque inconcuſſus ſanctitatis rumor, qui non modo totam implevit Hiſpaniam, verum & in exteras, remotaſque inolevit Provincias, nulla valet, niſi obdurata fronte, tergiverſatione negari. Imò valdè mirādum, quod nullus, quem audiverim ſcriptis V. Abbatiſſæ fidem aut negantem, aut non conſentientem, de ejuſdem ſanctitate & mirabilium patratione dubitarit. An ne, ſi ſpiritu humano afflata talia percepiſſet, tantum perfectionis faſtigium, quantum nobis teſtes oculares indubia fide digniſſimi innuunt, attingeret? Neutiquā, quia humanus ſpiritus imbecillis, inconſtans, minimique roboris in tanto virtutis Opificio ſe ipſo non valet admovere manum. Maligni autem ſpiritus, etſi eorum quotidie patiamur incurſus, hujuſque tamen neſcio aliquem, etſi Libris V. Abbatiſſæ infenſum, ſugeſtione in ſcriptorum noticia deluſam, aut credere, aut cogitare: quando quidem vitium, vel error, quo nos immittere tentant inimici, procul omninò à ſenſu Librorum, pro meo captu, conſpicio. En inſpirationis *Timoth. cap. 3.*

fac-

factæ huic V. fœminæ eruditionem: vt ſine livore deducas, an doctrina taliter ad erudiendum vtilis, ſit, necne divinitùs inſpirata.

Exper. Apprcb. Quantum vero ad docendum vtilis exiſtat, vt de me loquar, fateor coram Deo, quod cum ſæpiſsimè Libros V. Abbatiſſæ percurrerim, raró, aut nunquam abſque plurium affectuum excitatione, tùm doloribus Chriſti compatiendo, tùm in ejuſdem & Beatiſsimæ Virginis erga genus humanum pijſsimâ amoris expreſsione gratitudinis deſiderio, tranſcurri. Pluries apud me perpendebant lachrymarum imbre ex eorum lectione perfuſſus, peccatorum meorum conſcius, & in eorum deteſtationem invectus, nullam poſt Sacræ Scripturæ documenta, librorum lectionem mihi vtiliorem, aut ad virtutis Phyloſophiam vberiorem expertum; nec aliorum, quos vidi, teſtimonia in hujus veritatis commendationem reticere fas eſt. Plures, me legente V. Abbatiſſæ Libros, conſpexi ſuavi lachrymarum ſcaturigine irriguos, quamplurimos ſtupore & ſuſpenſione affectos: omnes ferè audientes, ſpiritus Sancti Magiſterium in eorundem Scriptorum compilatione elucere & experiri quampluries dictitarunt.

Dict. Notab. Nec ſilendum pro hujus ſenſus roboratione, quod Magiſter quidam mei Sacri Inſtituti, Salmantinus Doctor, Vir omni doctrina, & præcipuè Sacræ Paginæ peritiſsimus, inter legendum hos libros, pluribus adſtantibus, hæc effatus eſt: *si mihi penitùs horum librorum inſcio aliqua illorum pagina per aëra rapta in ſilva occurriſſet, abs dubio cœlitùs miſſam judicarem.* Pluries item vidi hominum, vidi collectas, vbi ſub ſilentio intenti avidè Libros V. Abbatiſſæ auſcultabant; eoque quandoque devenit hujus vtiliſsimæ lectionis fama, vt viderim quotidie poſt Veſperas ad Eccleſiam convenire vtriuſque ſexus perſonas, vt legente eoſdem Libros presbytero virtutis amantiſsimo, ſat mihi cognito, & venerando, profectum in via virtutis haurirẽt. Perpende ergo, quid experimento didicerim; vt nõ incongruè, imò cõgruentiſsime deducã, quã ſit ad docendũ vtilis V. Abbatiſſæ doctrina! Verè etenim de ea gaudio perfuſſus, quod ita vberter animas audientium recrearet, & ad divina ſequenda mandata alliceret, illud pluries Prophetæ vſurpavi: *Teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans parvulis: quàm dulcia faucibus*

Aliud comm. *meis eloquia tua.* Vnde haud facilè negari valet, illi convenientèr aptari id quod ſupra de doctrina divinitùs inſpirata Apoſtolus monuit.

Sed

Sed quoniam hæc V. Abbatiſſæ ſcripta, quædam de B. Virgine huculque hominum notitiæ impervia teſtantur, quæ ex ipſa rei novitate ſuſpitionem primo obtutu prudenti generare neceſſum eſt, conſonum Viro Catholico judicavi, non cito credere, ſed in examen nova quæque vocare, ne ſpecie pietatis impia in Eccleſiam furtim irrepere contingat. Sed proh dolor! plures ſunt, qui, cauſa non acta, ſententiam proferunt, reumque inauditum, non Theologia judicante, ſed livore concludente, condemnant. An quia pauca de Beata Virgine Evangeliſtæ ſcripſere, plurima, quæ poſtea à SS. Doctoribus congeſta ſunt, reijcienda? Nova & exquiſita in eorum ſæculo, populo Chriſtiano viſa ſunt, ſed quia non impoſsibilia Deo, & in Deiparę honorem & gloriam ſcripta, non ſolum permiſſa, ſed & approbata invaluerunt. An quia teſtimonia Sacræ Scripturæ mundo ad eruditionem ſufficiunt, ſcripta V. Abbatiſſæ tanquā inutilia, nec à Deo inſpirari, nec populis tradi licet? Hoc ratiocinio tolle Sacram Scripturam, qua vſque ad Moyſen deſtituti ſunt homines, quibus ex lumine naturalis rationis, & à magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibilitèr poterat Creator horum videri. An quia Liber creaturarum Deum oſtendebat, ſupervacaneam reputavimus ſcripturam? Sed audi quid pro nobis S. Thomas à Villanova, Sermone de Nativitate Virg. loquatur: *Deus ergo ex pietate videns, quia non ſufficeret ille libellus (ſcilicèt creaturarum) addidit revelationem, vt eſſet Magiſter, qui fuerat Creator, & voluit ſcribi ad Mundi eruditionem.* Quid igitur prohibet, quia ſufficiens nobis ex Sacra Scriptura doctrina conſurgit, vt Deus per privatas revelationes nova ad virtutis ſtudium incitamenta è inexhauſto ſuæ ſapientiæ & bonitatis theſauro producat? An ne quia ſemel locutus eſt Deus, deinceps ſub ſilentio ſedebit? Duo hæc audivi, quia poteſtas Deo eſt vt faciat, vt dicat, vt revelet, & tibi Domine miſericordia, vt pro noſtra obduratione, & excœcatione, quibus non movent, quæ in Sacris Scripturis de tuo vnigenito revelaſti, in ſubſidium ſint & excitamentum mirabilia, quæ in Filij tui Matre ſupra hominum & Angelorum captum condidiſti, non quidem congruentèr in principio manifeſtanda mundo, ne divinam facilè credens in idolatriam rueret, ſed valdè convenientèr poſt Fidem radicatam aperienda, vt eorum expreſſa notitia homines Deum mirabilem in SS. ſuis, mirabiliorem in B. Virgine prædicarent. Hæc de materie Authoris, qui juſtè pa-

Rat. vrg.

S. Thom. à Villanov.

tro-

trocinium Scriptorum V. Abbatiſſæ ſuſcipiens, veritate dictorum, quibus Sorbonicos impugnatores ab ipſa devios convincit, ſecundam implet fideliſsimi Scriptoris partem.

Proprietas verborum S. Scripturæ & SS. Doctorum, quibus Librorum V. Abbatiſſæ ſenſum exponit, conſonat ejuſdem Scriptricis vſui & proprietati, quæ facilè quemvis, etſi ſcrupuloſum, quietare valeat intellectum, vtpotè regulis & practicæ SS. PP. conformis. Hoc vnum Authoris Æncomium ſingulare, quod tametſi rigidiſsima Cenſorum Pariſienſium Cenſura, maximè laceſivus, imò quia Romæ, & Hiſpaniæ à multis retro annis pro Libris V. Abbatiſſæ Patronus fuerit à ſua Sacra Religione conſtitutus, præcorditèr vulneratus; nihil tamen efrene, nihil non modeſtum, & Religioſo dignum elicuit; quinimò ipſos adverſarios modeſtia, vrbanitate, & lenitate, non minus ac veritate ſuperans, facilè tanquam virtutis, ipſius veritatis amator convincitur, juxta illud Iacobi 3. *Si quis verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Quare & cum nihil in hoc opere videam Fidei regulis diſſonum, aut Regalibus Decretis contrarium, non modo judico lucem mereri, ſed quod prælo mandetur valdè opportunum. Salvo meliori, in hoc Conventu Beatæ Mariæ de Mercede Matritenſi. Die 15. Auguſti 1698.

Iac. 3.

Fr. Antonius Bernal del Corral.

IMPRIMATVR.

Blanco Regens.

CEN-

IVſſu Reverendiſsimi P. N. Fr. Antonij à Cardona Lectoris Jubilati, & Commiſſarij Generalis vtriuſque Orbis, cum magno animi delectu legimus *Certamen Marianum Pariſienſe*, cũ ſuis Reflexionibus & Concertationibus, R. P. Fr. Antonij Arbiol, Lectoris Iubilati, &c. Et cum inſpiceremus Relationem totius facti, in breviſsimo Prologo contentam, Cenſuramque Pariſienſium, demirati ſumus, quod Sorbonici Doctores, (ſi tales ſunt) ſub ementito nomine Sacræ Facultatis Pariſienſis tot efrenata convitia efutirent, & prædones Sacræ Facultatis facti, tàm celeberrimam Vniverſitatem omni laudatione digniſſimam, ſine pudore denigrarent? Infelix fœtus, qui, haud alitèr, niſi diſecto latere Matris, prodijt in lucem, ſivè in confuſionem. Equidem Sacra Facultas Theologiæ Pariſienſis, mœrens & dolens, quod olim Rebeca dicere valet: *Si ſic mihi futurum erat, vt quid neceſsè fuit concipere?* Sed, ò Sacra Facultas, pauliſper line dolorem; & memineris, quæſo, quod de Vniverſitate Cœleſti prodierunt Angeli Perdueles. Geneſ. 25. v. 22.

Quidquid protulerimus minus modeſtè, non cum Sacra Facultate, ſed cum Prædonibus hujus Sacri Nominis erit; qui immemores Decretorum Apoſtolicæ Sedis, prævenerunt judicium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, non in benedictionibus dulcedinis, ſed in Notis amaritudinis. Sed quis dedit Cenſoribus intelligentiam, vt tàm nimis deſevirent in doctrinam & perſonam tantopere laudabilem? Non Schola pijſsima Pariſienſis, non majores eorum, qui non audierunt voces tumultuantium, ſivè concitantium in furorem.

Nihil ſub Sole novum: ſed penè nihil minus novum, quam Revelationes privatas, etiàm Sanctarum mulierum, videre deſpectas. Recordamini, Cenſores, quid acciderit Sanctæ Hildegardi? Quid evenerit Seraphicæ Thereſiæ? Pro prima loquatur S. Bernardus, quem merito collitis & collimus Inſignem Magiſtrum. Etenim, cum Revelationes ipſius Sanctæ perlegeret, in hæc verba prorrupit: *Hæc ſcripta non ſunt humanitus adinventa, ſed per Spiritum Sanctum divinitus inſpirata.* Cum autem ejuſdem Servæ Dei Confeſſor, nonnullos diceret ejſdem revelationibus adverſari, Melifluus Doctor iterum exclamavit: *Non miramur, Frater charíſsime, ſi dormientes in peccatis divinas Reve-* S. Bernar.

 la-

lationes exiſtimant ſomnia; ſcientes verùm, quod Apoſtolus dixerit: Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultia eſt enim illis: Omnibus enim jacentibus in peccatis, divinæ admonitiones ſomnia videri conſueverunt: Qui autem immiti à dæmonibus dicunt, divinarum inſpirationum occulta & myſtica ſigna non noverunt; ſimiles illis judicandi ſunt, qui Dominum, & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum ejicere dæmonia in poteſtate Belcebub dixerũt. Vid. ap. Tritemium, Theodoric. Surium, & Yepes, tom. 7. Centur. 7. anno Chriſti 1150. Nec Cenſoribus Sorbonicis Myſticæ Civitatis Dei eandem applicamus ſententiam, dum vt nemo de eorum Cenſura miretur, ſolum requirimus; quinimò patientèr expectet in Certamine Triumphum Veritatis.

Tritemius

Pro ſecunda loquatur ipſamet, Ætatem habet; vel jam quæ locuta eſt cap. 29. Vitæ ſuæ pauliſper attendamus: ait ſic: *Opprobria multa paſſa ſum, terrores, & perſecutiones ſuper Viſiones & Revelationes meas. Ita certum videbatur multis, me habere Dæmonium, vt nonnullæ perſonæ vellent me exorcizare, &c.* Et cap. 27. de ſcandalizatis in Ravelationibus dixerat: *De hujuſmodi ſcandalizatis educit Dominus vtilitates magnas; etenim, ſi vni ſcandalizantur, alteri obſtringuntur, &c.* Et lib. Manſionum, Mãſione 1. cap. 1. inquit: *Minus deperditur in eo, quod aliqui non credant, quam in eo, quod deſinant proficere eis, quibus Dominus largitur Miſericordias ſuas. Ego ſcio, quod qui hæc non crediderint, ea non experientur; quoniam Deus amiciſsimus eſt, vt limitem non præfigant Operibus ſuis, &c.* Et in Conceptibus divini amoris, ſuper illa verba Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*, inquit: *Dicent, quod ego ſum amens, mente capta, &c.* Ecce quomodo Seraphica Mater in ſuis Viſionibus & Revelationibus tractatur, vt amens, vt fatua, vt ſomnians, vt delirans, vt illuſa, vt obſeſſa, &c. Haud igitur novum, nec mirandum de ſimilibus Cenſuris. *Credere nolenti, nunquam, vel ipſe Deus ſatisfacit: ſemper in promptu erit quod ſuſpicionem foveat, vel augeat: pertinaciæ nullum remedium poſuit Deus*, vt inquit Scholiator citatus ab Inſigni P. Franciſco de Sancta Clara, in Syſtemate Fidei c. 21. In paucis quidem perſonis, (vt bene notavit V. Epiſcopus Gienenſis, in Prologo ad lib. 8. S. Birgittæ cap. 1.) invenitur theorica, & practica diſcernendi, & juſtè judicandi Viſiones & Revelationes: *Et ideo*, inquit, *proph dolor! multi, velut cœci aberrantes per invia in iſta materia, potiùs ex abrupto ad condemnandũ ſimplices & ſanctas perſonas Deo conjunctas convertuntur, nihil ratio-*

S. Thereſ.

Cant. 1.

Scholiator Inſignis.

tionabile in ſuis improvidis judicijs, & ſubitaneis dictis, ſeù potiùs detractionibus allegantes, &c.

Sed ò Venerabilis Abbatiſſa Gracchuritana (vulgo de Agreda) merito conqueri poteris, & dicere: Cenſores, ſub ementito nomine Vniverſitatis Pariſienſis, perſecuti ſunt me gratis: Gratis enim perſecutionem pateris, cum impugneris ſine crimine; impugnaris vt noxia, cum ſis in ſanctitate, & doctrina laudabilis, cum loquaris plena ſalutis.

Verum, quid de tàm ſpectabili doctrina in Civitate Myſtica contenta? Si totum corpus verteretur in linguas; ſi linguis hominum & Angelorum loquamur, adhuc magis, ac magis reſtaret dicere. Si Doctor pijſsimus Gerſon adhuc viveret, non vereretur proclamare, quod olim de doctrina Seraphici Doctoris; nam in dicendo ſolida eſt, & ſecura, pia, juſta, & devota, &c. & dum ſtudet illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem, & religioſitatem affectus; vnde factum eſt, vt ab indevotis Scholaſticis; quorum, proph-dolor! major eſt numerus; ipſa minus extiterit frequentata: Cum tamen nulla divinior, nulla ſublimior, atque ſuavior, de qua dici poterit, illud Chriſti de Ioanne: Erat lucerna ardens & lucens. Et alibi inquit: Eſt Seraphica & Cherubica, quia inflammat affectum, & erudit intellectum reducit & vnit ad Deum per amorem excitativum. Hucuſque Gerſon. *Gerſon.*

Eſt enim inſtar Davidicę Turris ſpiritualibus propugnaculis munita, quibus & foris hoſtilitas infeſtare pellitur, & intus tranquilitas imperturbata ſervatur; & ſicuti de luce poſita in pharo dicitur, apud Picinellum, quod *errantes revocat, & in rectum ducit, & nec imbre, nec aura extingui poterat*; ſic de hac nova luce Mariana, nec imbre, nec aura agitata (dicere liceat) extingui poterit; non enim extinguetur in nocte perſecutionis lucerna ejus, quia ejus doctrina data fuit deſuper ad illuminandum his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedebant, & ad dirigendos pedes errantium in viam pacis; eſt igitur ſicut Lampas poſita inter Fideles, vt omnibus luceat & cũcti eque; ſed quid mirum, cum ſit lux deſcenſa (vt piè creditur) à Matre Luminum, apud quam non eſt tranſmutatio, nec viciſitudinis obumbratio? *Picinell.*

Porrò, qui V. Matris Mariæ Tomos diligenti ſtudio perlegerit, & devotè ac piè mentis oculis perluſtrarit, intelligет profecto, quam ſit amplexa eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fide- *Exper.*

dele in ſermonem; eſt enim ſermone clara, vbertate ſenſuum fecunda, ſententiarum pondere gravis, affectu fervens, mente ſingularis. In illa habent tepidi vnde incaleſcant; habent duri & frigidi, vnde compungantur; habent denique ſpiritu ferventes vnde magis inflammentur. Nec eſt in re perſpicua diutius immorandum, præſertim cum paſsim occurrant, clariſsimorum Virorum illuſtria teſtimonia, quibus V. Matris adeò probatur doctrina, laudatur ſtyllus, commendatur vtilitas, vt his facilè quiſquam convictus, talem Scriptricem admiretur, quæ tanquam lucerna ardens, vt manet dictum, luceat ardentèr, ardeatque luculenter.

Ad compeſcendum ſeniorum malitiam & vecordiam adverſus Suſanam, *ſuſcitavit Dominus ſpiritum Sanctum Pueri Junioris*;
Dan. 13. ad Cenſores Pariſienſes tot Danieles, quot Scriptores, inter quos Noſter Author in ſuis Reflexionibus, & Concertationibus adverſarios cōvincit, & ſumma claritate niteſcit; ita vt dicere liceat, quod in Mundo Symbolico ajebat Picinellus, de furno Campanillo, cum Syphũculis, hac epigraphe: *Clara quacumque profert*. Et tanquam ſpeculum ſplendidiſsimum in baſiliſcos calumniatores, venena retorquet; tali modeſtia, quod viſo hoc ingenioſiſsimo Certamine Mariano, tumultuantes Cenſorum paſsiones compeſcentur, videbunt recti & lętabuntur, & omnis iniquitas contrariorum oppilabit os ſuum, videntes in his Reflexionibus & Concertationibus ſua implicata diſtincta ſine nota aduſionis in ſplendoribus Sanctorũ;
Jerem. 15 nam *Qui ſeparaverit pretioſum à vili quaſi os Dei erit*. Vere Au-
v. 19. thor voce Domini, intercidentis flammam ignis fatur; & in lucem prodit ſicut flamiger ille divinus ignis, de quo dicitur, quod apparuit non comburens, ſed illuminans. Multi Filij ex Seraphico Ordine in ſuis Oppugnationibus, & impugnationibus, congregaverunt ſibi ex accumine ingeniorum ſuorum, divitias multas; neſcimus (noſtro videre) ſi ſupergreſus eſt vniverſos. Placet valde ſtyllus, methodus, gravitas, in diſcernendis veris à falſis, & animi integritas Chriſtiana in refellendis injurijs. Dignum judicamus Opus vt in lucem prodeat, ſiquidem ſine vlla erroris ſuſpicione legi poteſt. Salvo, &c. In Conventu Cęſarauguſtano S.P.N. Franciſci, die 6. Martij, ann. 1698.

Picinel.

Fr. Joſeph Garcia, Sac. Theologiæ Lector Jubilatus.
Fr. Petrus Garcia, Sac. Theologiæ Lector Jubilatus.

LI-

LICENTIA ORDINIS.

FR. ANTONIVS DE CARDONA Lector Jubilatus, totius Ordinis S. P. N. Franciſci, in hac Ciſmontana Familiâ, pariterque in Occidentalibus Indijs Commiſſarius Generalis, & Servus, &c. Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri Antonio à Jeſu, Prædicatori, Ex-Cuſtodi noſtræ Provinciæ Burgenſis, Procuratorique Cauſæ V. M. Mariæ à Jeſu de Agreda, ſalutem in Domino ſempiternam. Prænotatum: *Certamen Marianum*; à Patre Fratre Antonio Arbiol, Lectore Jubilato, ac noſtri Conventus à Jesv Cæſarauguſtani Præſule compoſito, & à Theologis noſtri Ordinis, quibus id commiſimus, reviſum, & approbatum, vt Typis mandare poſsis, quantum in nobis eſt, facultatem concedimus: de reliquo ſervatis ſervandis. Dat. in hoc S. P. N. Franciſci Matritenſi Conventu, die 15. Martij, Anno 1698.

Fr. Antonius de Cardona,
Commiſsarius Generalis.

D. M. S. Reverendiſsimæ

Fr. Joannes Ximenez, Secretarius Generalis Ordinis.

CEN-

DOCTORIS D. MICHAELIS MARTA Perez de Pomar, & Mendoza, Archidiaconi, & Canonici Tiraſonen: Iam pridem in Sertoriano, & Cæſarauguſtano Lycæo, Digeſti Veteris, & Primariæ Legum Cathedræ Moderatoris; ac in Apoſtolicis Subſidij, & Quartæ Decimæ gratijs Regni Aragonum, ex delegatione Regia, Commiſſarij Generalis; & in Diœceſibus Turiaſonen. Oſcen. & Cæſarauguſtanen. Viſitatoris, & Vicarij Generalis: Nunc autem in Epiſcopatu Turiaſonen. Synodalis Judicis, & Examinatoris; ac Inclytæ Religionis Jeroſolymitanæ, Judicis Conſervatoris.

VIx Certamen iſtud Marianum Reverendiſ. P. Fr. Antonij Arbiol, (Sacræ Themidis fœliciter penetralia reſerantis, ingenij acumine, ac litterario labore inſignis, Seraphicæ Religionis, Lectoris Iubilati, Diœceſis Cæſarauguſtanæ, Examinatoris Synodalis, & Religioſiſsimi Cœnobij à Iesv ejuſdem Civitatis, ſedulisſimi Cuſtodis) Vna cũ rigida, ac ſuppoſititia Cenſura Florẽtiſsimi Athenęi Sorbonici, contra Propoſitiones quaſdã V. M. Mariæ à Ieſv de Agreda, quas ipſa (vt piè creditur Deo revelãte) in excultiſsimis Voluminibꝰ Myſticę Civitatis Dei, luculento ſtylo conſcripſit, avidiſsimis oculis perlegi, cum publicam illam lucem jure ſibi ſuo exigere judicavi; Nam cum ſemel, & iterum accurata cogitatione, & ſupercilioſo judicio cenſorias Sychophantorum virgulas, & argutas Subtiliſsimi Protectoris everſiones evolviſſẽ, nihil prorſus in excultiſsimis illius refutationibus inveni, quod Chriſtianos mores offenderet, & ſanam Fidei doctrinam non redoleret. Sed cum Cenſoribus duplex olim poteſtas fuiſſet, & laudandi, & mulctandi, vt benefacta extollerent, & aberrationes corrigerent, fines mei muneris non egrediar, ſi quæ ex his pagellis obſervatu digna cenſuerim, lectoribus in veſtibulo præmonſtravero, vt avidi

ad

ad eas evolvendas feſtinent potiùs, quam properent: Videbũt enim in illis evolutam omnem Myſticam, Ethicam, & Polemicam Theologiam, non quidem vulgarem, aut protritam, ſed ab abditis cimeliis erutam, & Sanctorum Patrum ſententijs adeo dilucidè exornatam, vt non tantum Ven. Matris Mariæ doctrinam probent, ſed fœdiſsimas objurgatorum inſimulationes penitùs exuperent, & evincant, in quo ſanè Propugnator noſter ſeverè virtutis, & charitatis Seraphicæ Legem amplexus fuit, juxta diſſertiſsimi D. Ambroſij ſententiam dicẽtis: (1) *Qui non repellit à ſocio injuriam ſi poteſt, tam eſt in vitio, quam ille qui fecit.* Ex qua quidem doctrina permotus

AVSVS EST TANTÆ SVMMERE MOLIS ONVS. (2)

& propugnationem noſtræ Excelſæ Heroinæ ſuſcipere, vt defœcata ſordidiſsimis nævis quibus in ſeditioſis illis, & furentibus Comitijs Facultatis Theologiæ, habitis in Sapientiſsimo Lycæo Sorbonico *VI. Nonas Iuly M.DC.XC.VI.* vbi ſeductis, & venalitijs ſuffragijs

TVRGIA VENDVNT IMPROBI, IRAS
ET VERBA LOCANT-------------- (3)

Vegetiori poſtmodum fulgore coruſcet, in quo ſanè non tàm ſui ipſius gloriam cupidè exambit, quam reintegrationem honoris Hiſpanici ſicientèr anhelat, quia vt mirum non eſſet ſapientis licet vnius ingenium labi potuiſſe, ita facilè credi non poteſt ſelectiſsimos Hiſpaniæ Doctores, Celeberrimas illius Academias, Tribunalia Fidei firmiſsima Eccleſiæ Catholicæ Præſidia, in accuratam Librorum Myſticæ Civitatis Dei inquiſitionem turpiter aberraſſe, & paucos & ſeductos, ac allectos aſſeclas, Doctorum Deputatorum Pariſienſis Vniverſitatis, veritatis ſcopum fœlicitèr attigiſſe, in quo minimè exiſtimationem illius Celeberrimæ Academiæ violare præſumimus, imò eximiè ejus ſollicitudinem in examinandis ſcriptis novitèr Typo mandatis impenſe dilaudamus. Quod autem hæc cura, liberè, & ſine delectu ſtudioſis Magiſtris commendetur, vt ſincerè, & ingenuè ſui judicij ſententiam proferant, ſummè laudabile? Sed quod à deſignatis Examinatoribus, Operum Ven. Matris Mariæ, ſuggeſtionibus importunis, prænſationibus moleſtis, & vociferationibus convitioſis, contra mentis ductum, cœterorum Doctorum voluntates præmantur, & captiventur intellectus, ſeverè accuſabile? Opinio mentis quaſi Religioni, & Fidei cognata, ſuadenda, non imponenda morta-

(1) *Lib. 1. de Offic. c. 37. Trãſcripta in Can. nõ in inferenda 23. q. 3.*

(2) *Ovid. de Ponto. lib. 2. Eleg. 5.*

(3) *L. Annæus Seneca in Hercul. Furẽt. Act. 1. v. 174.*

libus? Nemo cogitur vt credat innitus? quia judicij, & rationis actus gignuntur ab animo, non eliciuntur imperio? Quod vnum tantum argumentum ſufficiens erat, vt injuſtiſsimis Doctorum Deputatorum neglectis expoſtulationibus, Opera Ven. Matris ſummâ ab omnibus veneratione exhibeantur, maximè verò poſt adeò validum, & triumphale CERTAMEN, in quo compeſcendo turbulentam illam Anthagoniſtarum CENSVRAM, vbi furor verba miniſtrabat, & ſæviſsimis criminationum telis, conſpicua Ven. Matris Mariæ ſcripta, ita ab Adverſarijs proſcindebantur, vt meritò de illo Sapientiſsimo Doctorum cœtu dicere poſſemus, quod de alio ſimili Theologorum diſsidio Joann. Oven dixit, dum cecinit. (4)

(4) *Lib. vnic. Epig 93.*

Presbyteri certant, atqve immortalia nectvnt
Ivrgia; litigiis non possvere modvm,
Vnde venenatæ levis inclementia lingvæ
Et qvam sit calamvs sævior ense patet.

Quæ quidem pertinax pervicacia, novum gloriæ crementum Ven. ac Religioſæ Matronæ adauxit, vt quam oblatrantes æmuli, fallacibus argumentis deprimere conabantur, poſt validiſſimum Athletæ noſtri CERTAMEN ad ſupræmum aclamationis Tholum evectam, grata totius Orbis admurmuratione ovantem conſpicerent. Quid igitur ad Criſim deficit? Cenſoriæ virgulæ? Minime, nam ita affabre Apologeticum CERTAMEN perpolitum exiſtit, vt non judicium, ſed Panegyrim appetat, quatenus doctrina abundans, elegans, ſubtilis, ſingularis, & politiſsima: ſtylus facilis profluus, elavoratus, numeroſus, & ita diſsimulantèr cultus, quòd Latinus ſit, & caſtus: Opus denique tanti Authoris, quod ante eum anxiè ab omnibus deſideratum, in eo diuturnum, & poſt eum futurum eſt immortale, ita excogtum, & emaculatum, quod vbi cæcutientibus emulatoribus, fugaci ſe obcæcarunt calamo, ita ingenij ſui face colluſtrata produntur, vt non ſolùm ipſius vitæ, & poſteritati, ſed etiam æternæ Famæ, & Gloriæ Ven. Matris Mariæ illuſtrata relinquat. Sed ſatis jam

Perge Libelle, vtere
Fœlicitate intermina.

Turiaſonæ pridie Kalendas Octobris Anno Dñi M.DC.XC.VIII.

D. Michael Marta, & Mendoza, Archidiaconus, & Canonicus Tiraſonen.

SIC

SIC CENSET

EX INCLYTA FAMILIA CHERUBICI Patris Noſtri S. Dominici; Reverendiſ. P. M. Fr. Petrus Martyr de Buenacaſa, in Provincia Coronæ Aragonum Sacræ Theologiæ Magiſter ex Numero; Regalis Cœnobij Prædicatorum Cæſar-Auguſtæ, olim Prior, & Caput meritiſsimum; in Nũciatura Hiſpaniarum Theologus, & Examinator Apoſtolicus; Catholicæ Majeſtatis Concionator præclariſsimus; Archiepiſcopatus Cæſar-Auguſtani Examinator Synodalis, &c.

CURA qua potui, & curioſitate; non ſolum aſpexi, ſed introſpexi attentiſsimè hoc Inſigne Opus, quod ſcripſit R. P. Fr. Antonius Arbiol, Seraphicæ Familiæ Lector Jubilatus, &c. In quo nec multa vidi, nec pauca; imò & pauca & multa; nam multa paucis claudit; & (quod magni ingenij eſt) totum objectum Operis ſubtilitèr in exiguo comprehendit. Omnis hæc ingenioſa Reſponſio laconiſmo intercluditur; & quod in illa mirandum magis, magiſque laudandum apparet, eſt Auctor ipſe in calami temperatura, & moderatione; nullum etenim ex ſævientibus Doctoribus Scriptor tangit, aut pungit; cum proferre valeat Suppoſitis, & Deputatis Cenſoribus, pro ſua Sacratiſsima Religione, & pro ſe, verba Hieronymi minacitate humilia, & humilitate minatia: *Poſſum remordere ſi velim; poſſum genuinum dentem læſus infigere; & nos didicimus litteras; & nos manum ferulę ſubduximus; de nobis quoque dici poteſt; fœnum habet in cornu, longè fuge. Et nos tela Pater, ferrumque haud debile dextra ſpargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis. Sed magis volumus eſſe diſcipuli ejus, qui ait: Dorſum meum poſui ad flagella, & faciem meam non averti à confuſione ſputorum. Qui cum malediceretur, non remaledixit; & poſt alapas, crucem, flagella, blasfemias; noviſsimè pro crucifigentibus deprecatus eſt, dicens: Pater ignoſce illis, quod enim faciunt, neſciunt.* Hæc Hieronymus; hæc ipſe; hæc ipſi; & hæc ego. *S. Hieronym. in Iſai. c. 50.*

Sed vt jucundiſsima Reſponſione, & approbatione Mariani

libus? Nemo cogitur vt credat innitus? quia judicij, & rationis actus gignuntur ab animo, non eliciuntur imperio? Quod vnum tantum argumentum ſufficiens erat, vt injuſtiſsimis Doctorum Deputatorum neglectis expoſtulationibus, Opera Ven. Matris ſummâ ab omnibus veneratione exhibeantur, maximè verò poſt adeò validum, & triumphale CERTAMEN, in quo compeſcendo turbulentam illam Anthagoniſtarum CENSVRAM, vbi furor verba miniſtrabat, & ſæviſsimis criminationum telis, conſpicua Ven. Matris Mariæ ſcripta, ita ab Adverſarijs proſcindebantur, vt meritò de illo Sapientiſsimo Doctorum cœtu dicere poſſemus, quod de alio ſimili Theologorum diſsidio Joann. Oven dixit, dum cecinit. (4)

(4) *Lib. vnic. Epig 93.*

PRESBYTERI CERTANT, ATQVE IMMORTALIA NECTVNT
IVRGIA; LITIGIIS NON POSSVERE MODVM,
VNDE VENENATÆ LEVIS INCLEMENTIA LINGVÆ
ET QVAM SIT CALAMVS SÆVIOR ENSE PATET.

Quæ quidem pertinax pervicacia, novum gloriæ crementum Ven. ac Religioſæ Matronæ adauxit, vt quam oblatrantes æmuli, fallacibus argumentis deprimere conabantur, poſt validiſſimum Athletæ noſtri CERTAMEN ad ſupræmum aclamationis Tholum evectam, grata totius Orbis admurmuratione ovantem conſpicerent. Quid igitur ad Criſim deficit? Cenſoriæ virgulæ? Minime, nam ita affabre Apologeticum CERTAMEN perpolitum exiſtit, vt non judicium, ſed Panegyrim appetat, quatenus doctrina abundans, elegans, ſubtilis, ſingularis, & politiſsima: ſtylus facilis profluus, elavoratus, numeroſus, & ita diſsimulantèr cultus, quòd Latinus ſit, & caſtus: Opus denique tanti Authoris, quod ante eum anxiè ab omnibus deſideratum, in eo diuturnum, & poſt eum futurum eſt immortale, ita excogtum, & emaculatum, quod vbi cæcutientibus emulatoribus, fugaci ſe obcæcarunt calamo, ita ingenij ſui face colluſtrata produntur, vt non ſolùm ipſius vitæ, & poſteritati, ſed etiam æternæ Famæ, & Gloriæ Ven. Matris Mariæ illuſtrata relinquat. Sed ſatis jam

PERGE LIBELLE, VTERE
FŒLICITATE INTERMINA.

Turiaſonæ pridie Kalendas Octobris Anno Dñi M.DC.XC.VIII.

D. Michael Marta, & Mendoza, Archidiaconus, & Canonicus Tiraſonen.

SIC

SIC CENSET

EX INCLYTA FAMILIA CHERUBICI Patris Noſtri S. Dominici; Reverendiſ. P. M. Fr. Petrus Martyr de Buenacaſa, in Provincia Coronæ Aragonum Sacræ Theologiæ Magiſter ex Numero; Regalis Cœnobij Prædicatorum Cæſar-Auguſtæ, olim Prior, & Caput meritiſsimum; in Nũciatura Hiſpaniarum Theologus, & Examinator Apoſtolicus; Catholicæ Majeſtatis Concionator præclariſsimus; Archiepiſcopatus Cæſar-Auguſtani Examinator Synodalis, &c.

CURA qua potui, & curioſitate; non ſolum aſpexi, ſed introſpexi attentiſsimè hoc Inſigne Opus, quod ſcripſit R. P. Fr. Antonius Arbiol, Seraphicæ Familiæ Lector Jubilatus, &c. In quo nec multa vidi, nec pauca; imò & pauca & multa; nam multa paucis claudit; & (quod magni ingenij eſt) totum objectum Operis ſubtilitèr in exiguo comprehendit. Omnis hæc ingenioſa Reſponſio laconiſmo intercluditur; & quod in illa mirandum magis, magiſque laudandum apparet, eſt Auctor ipſe in calami temperatura, & moderatione; nullſum etenim ex ſævientibus Doctoribus Scriptor tangit, aut pungit; cum proferre valeat Suppoſitis, & Deputatis Cenſoribus, pro ſua Sacratiſsima Religione, & pro ſe, verba Hieronymi minacitate humilia, & humilitate minatia: *Poſſum remordere ſi velim; poſſum genuinum dentem læſus infigere; & nos didicimus litteras; & nos manum ferulę ſubduximus; de nobis quoque dici poteſt; fœnum habet in cornu, longè fuge. Et nos tela Pater, ferrumque haud debile dextra ſpargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis. Sed magis volumus eſſe diſcipuli ejus, qui ait: Dorſum meum poſui ad flagella, & faciem meam non averti à confuſione ſputorum. Qui cum malediceretur, non remaledixit; & poſt alapas, crucem, flagella, blasfemias; noviſsimè pro crucifigentibus deprecatus eſt, dicens: Pater ignoſce iis, quod enim faciunt, neſciunt.* Hæc Hieronymus; hæc ipſe; hæc ipſi; & hæc ego. *S. Hieronym. in Iſai. c. 50.*

Sed vt jucundiſsima Reſponſione, & approbatione Mariani

Certaminis me citius explicé, tria hic breviter inculcab o. Primum circa hujus prudentiſsimæ Virginis virtutem, & vitam. Secundum, circa admirabilem doctrinam, & ſapientiam ipſius. Tertium, circa Authoris methodum, & ſtylum, lenem in ſcribendo, & gravem modeſtiam.

Circa primum, Vita fuit Angelica, & Seraphica Virtus; ita
S. Naziāz. vt magna ſpiritus mei conſolatione valeam Naziancenum ſo-
Orat. 11. ciare, & clamare cum ipſo: *Sororem laudans, domeſtica prædicabo; non tamen quia domeſtica, ideo falſo; ſed quia vera, ideo laudabiliter: Vera autem, non modo quia juſta, verum etiam quia nota. Nec verò ad gratiam, etiamſi cupiamus, loqui conceditur: quippè cum Auditor, tanquam peritus quidam arbiter, inter orationem, & veritatem ſtet, vt immeritas Laudes improbans, ita meritas efflagitans, ſi modò probus, & æquus ſit. Quo circa non hoc vereor, ne vltra veritatis metas proſiliam: ſed illud contra, ne infra veritatem ſubſiſtam, ac procul à rei dignitate remotus laudatione mea gloriam ipſius imminuã, quandoquidem difficile eſt tùm actionem, tùm ſermonem ipſius laudum ornamentis adæquare. Proindè, nec, quidquid alienum eſt, laudetur, ſi iniquum ſit; Nec quidquid proprium, & domeſticum eſt contemnatur, ſi honeſtum, & eximium.* Alloqueretur aliter de noſtra Venerabili Matre, ſi ipſam agnoviſſet, ille eloquentiſsimus Pater? Minime. Sed attentius Virginis virtutes præconizantem audi; & Mariam in Sorore laudantem, & benedicentem auſculta; vide à planta pedis vſque ad caput, (animam vſque, & ſpiritum dico) illam pingentem, attendentem, & comprehendentem.

Idem ibid. Infra ille, & ſemper ego: *Quænam vnquam dignior fuit, quæ videretur? Quænam tamen minus viſa eſt? Quænam oculos ita frænavit? Quænam riſum ita irriſit? Quænam auribus januas magis impoſuit? Quænam rurſus eas divino ſermoni magis patefecit? Vel potius, quænam linguæ ad exponendas Dei juſtificationes mentem ducem magis præfecit? Quænam ordinem labijs æquè præſcripſit?* Audi, audi præcor Gregorium mirantem paupertatem habitus, & excla-
S. Gregor. mantem: *O ſqualidum corpus, & indumentum, virtute ſola florens!*
proſeq. Ieiunia ſtupeſcentem: *O animam corpus penè etiam ſine cibo, velut materiæ expers retinentem! Vel vt rectius loquar, ò corpus ante disjunctionem, mori coactum, vt anima libertatem nanciſceretur, nec à ſenſibus impedimenti quidquam acciperet.* Vigilias, orationẽ, lacrhymas, mortificationem corporis, & animæ, & puritatem celebrantem; *O noctes inſomnes, & Pſalmorum cantus, & ſtatio-*

nem

nem ex die in diem deſinentem! O tenera membra humi poſtrata, ac præter naturam ſe ſe exaſperantia! O lachrymarum fontes, quæ ex afflictione ſeminabantur, vt in exultatione meterent! O nocturnum clamorem, nubes penetrantem atque ad Deum pervadentem! O ſpiritus fervorem, ob orationis deſiderium, nec canes nocturnos, nec frigora, nec imbres, nec tonitrua, nec grandinem, nec tenebras formidantem! O ingentem poſt Baptiſmum caſtitatē, & Sponſam Chriſti animam in puro corporis thalamo! Audi illum terminantem,& paveſcentem: *O amarum guſtum, & Evam tùm generis noſtri, tùm peccati Matrem, & impoſtorem ſerpentem, & mortem, illius continentia ſuperatam! O Chriſti exinanitionem, & ſervi formam, & paſſiones, ipſius mortificatione honoratas!* Hæc omnia Gregorius, & ipſa eructant cor, & lingua mea, teſtans Deum, quod adhuc minus dico, quam ſentio, & quam vellem. *Atteſtat.*

Circa ſecundum; doctrina hujus illuminatę Magiſtræ, eſt vtilis, celſa, profunda, irreprehenſibilis, ſolida, ſubtiliſsima, invulnerabilis, fidelibus lumen,& columen; altiſsima, inimitabilis, ſuaviſsima, & propè divina; hoc ſuppoſito; quid mirum quod illi multi opponantur in Orbe? Opponuntur Angeli? Cherubin? Et Seraphin? Minime. Quinam igitur ſint, qui eam contradicunt? Doctores Deputati Suppoſiti? Sciant gentes quoniam homines ſunt, & quot homines, tot ſententiæ. Audiant Hieronymum Cenſores Suppoſiti: *Aut mihi ſcribendum fuit, aut ſcribentes noſſe, cunctorum adverſum nos maledictorum eſſe tela detorquenda.* Qua ratione convictus Doctor Maximus fert aliquando patientèr opera ſua Cenſuris perſtringi; dicendo: Se jam noſſe, id quod in morem verſum eſt, non excuſari; nec ſuam ſortem fore meliorem, quam Divi Clementis Alexandrini, Divi Hyppoliti Martyris, Tertuliani, Euſebij Cæſarienſis, & aliorum Graviſsimorum Patrum, qui omnes linguas non potuerunt evadere maledicorum: *certè* (proſequitur Hieronymus) *ſi tanti, & tam eruditi Viri faſtidioſis lectoribus diſplicent quid mihi facturi erant?* Vnde fit, eodem teſte, vt aliqui priuſquam librum, aut legerint, aut viderin, illum ſeveri Cenſores rejciant, intendendo vt diligentes in legendo, & in diſcurrendo ſapientes habeantur. Loquitur Sanctus Doctor de Cenſura Suppoſita, ac ſi eam vidiſſet, & legiſſet; audiant illum iterum Deputati, Doctores Suppoſiti, & ficti Cenſores: *Ignorantes quid audiant, & quid loquantur, de eo audent judicare quod neſciunt; & ante deſpiciunt, quam probent;* eru-

D. Hierō. Ep. 2. ad Nepotian.

In Proœm. lib. 11. in Iſai.

Hieron. in Proœm. in Iere. & in prę-

præfat. ad lib. 9. Iſai & li. 2. Apolo. cõtra Rufin. poſt. med.

eruditoſque ſe exiſtimant, & diſertos; & in eo ſe ſcire aliquid arbitrantur, ſi de cunctis Scriptoribus detrahant. Hæc ſcripſit Hieronymus de illis; & quæ ſequuntur ſcripſit de ſua Fabiola; ac ſi reſcripſiſſet de noſtra Sorore, & Doctrice Magiſtra: *Ieſu bone; quo illa fervore, quo ſtudio intenta erat divinis voluminibus, & veluti quandam famem, ſatiaſſe deſiderans, per Prophetas, Evangelia, Pſalmoſque currebat; quæſtiones & proponens & reſolutas recondens in ſcriniolo pectoris ſui. Nec vero ſatiabatur audiendi cupidine; ſed addens ſcientiam, addebat dolorem.* Quam propriſsimè dicam de doctrina cœleſti Librorum Myſticæ Civitatis Dei; quod de eruditione Alterius Doctricis Venetæ Policianus Angelus celebravit: *Id verò non magis vſitatum, nec minus rarum, aut novum, quam ſi de glacie media naſcantur violæ; ſi de nitribus roſæ; ſi de pruinis lilia: quod ſi conatus ipſe pro miraculo jam cernitur, quid de profectu ſtudiorum tanto dicemus?* Neſcio quid dicam de Virgine ſic loquente, ſic ſcribente, & Scriptrice, niſi quod Dominus ſcripſit in ea, & Doctoratus Aureola eam condecoraverit.

S. Hier. in Epith. Fab. ad oceanum.

Ang. Polic. Epiſt. lib. 3. ad Caſand. Venet.

Sapientiſsimus noſter Vincentius Ferre 1. 2. D. Tho. tract. 2. de Beatitudine, quæſt. 6. §. 4. num. 466. inquirit: *Vtrum aliquibus fœminis conveniat Aureola Doctoratus?* & ſic ſibi, & nobis reſpondet: *Crediderim quod ſic;* in primis hoc certum eſt de Beata Virgine, quæ totius Eccleſiæ Magiſtra fuit; de qua Eccleſia canit: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in Vniverſo mundo.* Similitèr hoc crediderim de Maria Magdalena, de qua canit Eccleſia: *Apoſtolorum Apoſtola fieri meruiſti, Maria Magdalena, pia exoratrix adſis ad Deum qui te elegit.* Et quidem tantæ Heroinæ aliqua debuit reponi Aureola, non Virginitatis, non Martyris? Ergo Doctoratus crediderim. Hoc ipſum mihi ſuadeo de Senenſi Catharina, quæ Paulini curſus Æmula, librum Epiſtolarum compoſuit, quibus innumeras perditorum hominum cohortes ad Cœlum vſque tranſmiſit. Quod & de Matriarcha Thereſia non ambigo, de qua Eccleſia in collecta habet: *Vt Cœleſtis ejus doctrinæ pabulo nutriamur.* Et ſi conſtaret jam de Sanctitate Sororis noſtræ Hyppolitæ de Rocaberti, cujus cauſa jam agitur Romæ, crediderim etiam Aureolam Doctoratus jam poſsidere fœminam ſic inſignem, quæ non ſine ingenti miraculo vigintiquinque Libros Theologiæ Myſticæ cum mirabili explicatione Regulæ D. Auguſtini hac noſtra ætate compoſuerit. Idem crediderim ego de noſtra Graccuritana Maria à Ieſv, toties quoties Eccleſia Sanctitatem ejus nobis

Eccleſia.

S. M. Magdal.

S. Cathar. Senenſ.

V. Hyppolit.

bis exponat. Faxit Deus, quod ſic fiat, ſic videatur; vt Doctoratus Aureola ab omnibus veneretur in Orbe ob eminentem, & inimitabilem ſapientiam, qua fuit dotata, & illuſtrata ab Altiſsimo.

Circa tertium; ſcribit Author Libellum non ſtyllo ferreo, ſed aureo; non plumbi lamina, ſed argentea; cum calamo vincit; cum modeſtia calami triumphabit; & dicet: *Poſt nubila Phœbus.* Veritas eſt Sol; & vt profundè notavit Naziancenus: *Sol poſt nubem, qua prius obducebatur, jucundior illuceſcit: Veritas vnde magis oppugnatur, indè magis confirmatur; & quo magis obtegitur, eo clarior evadit*; inquit Chriſoſtomus. Et Gregorius comparat eam igni: *Sicut ignis flatu premitur, vt creſcat; & vnde quaſi extinguitur, inde roboratur. Qui non eſt tentatus, quid ſcit?* Eructavit Spiritus Sanctus. Nihil infęlicius eo, cui nihil advenit vnquam adverſi. Ergo debemus clamare vno ore dicentes: O infęlicitas fęlix; ſeù melius: O fęlicitas infęlix, ſi eſſet ſine controverſia tot Doctiſsimorum (vt putant) Doctorum, ipſi cognoſcent, Deo favente, & ipſa Virgine auxiliante, & parcente, quod habet Hiſpanicum Idioma ſuas elegantias, & adagia; quæ nemo facilè exprimere valeat, niſi qui regiones noſtras frequentarit, & id quidem non exiguo tempore; quod facilè comprehendent ex ipſis Reſponſionibus noſtri Authoris & cōſtructionibus textus, injuſtè calumniatæ Virginis. In Libello hoc nihil reperi, quod Sacram Fidem lædat, aut bonos mores; imò omnia illis, illique ſunt conſona, & manſuetudine ac ſuavitate Authoris illuſtrata, magis adhuc quam ſuo ſubtiliſsimo calamo, miriſque modis concatenavit in illo claritatem cum brevitate, & cum claritate brevitatem; hæc autem ita hic & ſtringitur, & extenditur, vt omnes propoſitiones cenſuratas non ſolum attingat, ſed ſatisfaciat, claudat, & circunſcribat. Quare hoc Opus digniſsimum cenſeo, vt non modo in tyronū profectum, & veritatis tutelam; ſed etiam in doctiorum hominum vtilitatem, publicam lucem, & acclamationem aſpiciat. In hoc Regali Prædicatorum Cæſarauguſtano Conventu, die 1. Novembris, anno 1698.

Orat. 18. quæ eſt, de S. Cypriano, Hom. 57. in Ioā. Lib. 26. Moral. c. 10. Eccl. 34.

Fr. Petrus Martyr de Buenacaſa.

JV-

JVDICIVM
R. P. PASCHASII RANZON DE MVro, è Societate Iesv, Theologiæ quondam Lectoris, Collegij Bilbilitani Rectoris, & Diœceſis Tiraſonenſis Examinatoris Synodalis.

SVB larvato (vt creditur) Almæ Facultatis Pariſienſis nomine, prodiere Propoſitiones, Nota damnationis inuſtæ, ex prima Marianæ Hiſtoriæ Parte decerptæ, & Gallico ſermone Typis excuſſæ. Texuerat Opus Hiſpanum, calamo cœlitùs illibato, Venerabilis, & Præclariſsima noſtri ſæculi Pharus, Maria à Iesv Graccurenſis, vulgo de Agreda, Seraphici D. Franciſci Filia, Immaculatæ Deiparæ Conventus ſupra annos triginta Abbatiſſa, & ſupra famam evecta.

Conſultò arriſit larvatum Florentiſsimæ Academiæ Nomen, cum ingemuerit Litterarius Hiſpaniarum Orbis ad inſolens confixionis prodigium, quòd veram abſdubio faciē exuit, vt perſonatam fraudibus ſylueſcentem indueret. Tantæ molis erat fallacem condere frontem: Nec immerito criminationis vmbra tenebris ſimulatur. Nam vbi primum decertantia dubiola inſurgunt, deſpicienda potius, quam aſpicienda, ſubdolam rationum imbecillitatem miraberis, & validiſsimum Aſſertionum robur, vel Sacra Pagina, vel Concilijs, vel Patribus firmitèr obteſtatum.

Ex Relat. Vita, & fama publica.

Ea enim erat ſuperni calami vis, ea illuminata Scriptricis mens, vt in veritatis ſcopum, nec tranſverſo quidem vngue, ſeduliſsima manu collimarit. Si præmerem alto ſilentio Operis lumen, compoſiti Heroinæ mores neutiquàm conticeſcerent. Ab incunabulis oculis affulſit, Cœlo nata, virtuti enutrita, & inſolitis ad portentum ſignis adulta. Animi candore, acceſenda crediderim Angelis, niſi Fœmina foret. Cum omnibus benignè ſe offerret, ſe ipſam crudelitèr abnegavit. Aſperrimis cruciatibus, die, noctuque, etiam fractâ valetudine in corpus ſæviebat; plurimis ſupra Decalogum voluntarijs præceptis adſtricta, ad perfectionis apicem faſtigiata; ſolita Dœmonum formas, & rixas de more impudicas, interrito vultu deterrere. Supernas illuſtrationes experta, cum cœlitibus, & ſex Angelis Tutelaribus, amico ſermone colloquebatur. Crederes, Aſtris adſ-

adſcriptam, cum ſoſpes eſſet in terris. Fecit mirabilia in vita, & in morte ſua, Regibus chara, ſupremis Inſulis nota, & conceptæ Sanctimoniæ famæ jucunda. Siſte gradum, & intuere, an poſsit calami nævus ſeverioris vitæ candorem deturpare. Relat. Vit. §. 29. & 47.

Si reconditos Hiſtoriæ Divinę & Marianæ ſinus aperio. Nihil arcanú, nihil ſublime nihil in Scholaſtico pulvere difficillimum, quod ſolaribus radijs nó ſplédeſcat. Advoca Doctiſsimorú Virorum congeriem, ingenti Operis pondere abſdubio ſuccumbet, ſi feſtinam, & præſentiſsimam Numinis opem, non experiatur. Si quid mirabile dictu, ad Omnipotentiæ miraculum, & Gratiæ abyſſum obtuſpeſce, nec immeritò, hisſupernis nominibus, limen operis calamus ſalutarat. Inſpice Deiparam familiarem Magiſtram, nocturni caliginis cynoſuram, Angelos adamuſsim Interpretes, Alumnam *a Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam*, præceptis parentem, licèt invitam, & velut ſacrum ſæculi oraculum, linguarum novitatem præſagientem. *Linguis loquentur novis*, ſed ne te decipiat vocum, & linguæ novitas, conſule monentem ſpiritum. *Serpentes tollent*. Vt ad linguæ inſolitam novitatem viperinos oblatrantium morſus avertas. Encom. Operis.

Sin autem, monitis veritatis aquieſcas, lege medullitus Opus, divino, vt auſpicor, ſale conditú, deperditam (me Hercle) morum vitam releges ferinus, vultus miteſcet, cum ſaxea ferè corda emolliantur. Ne ergò calamus Scriptricis affabrè expolitus à cœlò, neve linguæ à Numinis Matre edocta, faucibus imbecillitatis adhæreat, Orbi loquitur litterario R. A. P. Fr. Antonius Arbiol, Seraphici Conventus Cæſarauguſtani à Ieſv Regiminis ſuffragijs Moderator, & conſopitum lumen, invidis inviſum; ſed non extinctum à teterrima mentis caligine vendicat fœlicisſimis ingenij facibus, & Auſpicijs; Et poſt alia Opera præclariſsima & pia, quæ elapſis annis de Palæſtra Scholaſtica benemeritus Theologiæ Magiſter excuſsit, hanc elaboratiſsimam Propoſitionum elucubrationem, Fidei, & moribus conſulentem Prælo committit, ad æternum Seraphicæ Scriptricis plauſum, decus, & ornamentum. Hoc judicium, ſed ſalvo, &c. Tiraſonæ 22. Octobris 1698.

Paſchaſius Ranzon de Muro,
è Societate Jesv.

DICTAMEN AFFERT

REV. P. MAGISTER Fr. THOMAS Gonzalez del Campo, Regalis Monaſterij Sanctæ Mariæ de Beruela, Ordinis Benedictini Ciſtercienſis Alumnus; olim Phyloſophiæ Magiſter, & Ariſtotelis Subtiliſſimus Interpres; nunc autem Celeberrimi Collegij S. Bernardi Civitatis Oſcenſis, vbi antiquiſſima viget Univerſitas Sertoriana, Primariæ Cathedræ Sacræ Theologiæ Lector Inſignis.

MEAS pervenit ad manus Aureum Opus, cujus in fronte inſcriptum conſpexi titulum: *Certamen Marianum Pariſienſe.* Ejus Author R.P.Fr. Antonius Arbiol, Regularis Obſervantiæ S. Franciſci, Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus, &c. Depoſito ſtatim omni pondere, ad propoſitum cucurri Certamen, & vtroque oculo, tùm ſolidiſsimam Libri doctrinam, tùm Authoris laudabilem virtutem ſummopere contemplatus ſum; nam vt ait Plinius: *Rebus mira dulcedo, mira ſuavitas, cumulat ſanctitas ſcribentis.*

Plin. Iun. lib.3. Ep.1

Aureum Opus vocavi, quoniam teſte Pierio: *Aurum pro inventis prudentum ſæpius accipimus.* Aureum igitur meritò dixi Opus, in quo elucet mira Authoris humilitas, diſcretiſsima prudentia, dulciſque benignitas. Humilitas quidem; nam cum his, qui oderunt pacem, eſt pacificus; cum loquitur illis, non impugnat eos gratìs, ſed juſtè; non pro libito, ſed merito. Rationibus & authoritatibus rectiſsimè deliberat, & *Prudentis dicimus* (ait Philoſophus) *maximè proprium bene deliberare:* Et veritate pollere, dixit Poeta:

Pier. Valer. Hierogl. lib.21. fol.153.

Ariſt lib. 6. Eticor. cap. 7.

OMNE MALVM (BREVITER) PRVDENS SPERNIT, FVGITQVE,
OMNIA FERT, ET SE CASSVS COMPONIT AD OMNES:
QVOD LOQVITVR LINGVA, PECTORE SENTIT IDEM.

Et Alter

PROVIDA MAGNANIMÈ, SI ADSIT PRVDENTIA DEXTRæ;
DIC MIHI, QVæ RERVM PVLCHRIOR ESSE QVEAT?

Quapropter Melliſluus N. Parens, prudentiam, ſeù diſcretionem appellat omnium aurigam virtutum: *Diſcretio quippe omni*

ni virtuti ordinem ponit, Ordo modum tribuit. Tolle hanc, & virtus vitium erit. Inter tot æmulationis vortices immobili ſtatione fulcitur Certaminis Author, ductus reor illa doctrina ejuſdem Mellifluì Parentis: *Vbi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè diſcretio eſt neceſſaria, quæ eſt ordinatio charitatis.* Ordinavit ergo Deus in Authore charitatem, quia charitas non æmulatur, non agit perperam; & ſi aliquando æmulatur, eſt ſolum Dei æmulatione, vt nos æmulemur chariſmata meliora.

S. Bernar. ſerm. 49. in Cant.

Idem ibid. paulòpoſt.

Elucet inſuper in Authore certante dulcis benignitas. In verbis etenim exterioribus, interiores animi ſignificantur affectus, vti Seneca dixit: *Imago animi ſermo eſt; qualis vir, talis oratio.* Iudicet vnuſquiſque de verborum ſuavitate, de argumentorum ſubtilitate, de Doctrinæ veracitate, de retorſionũ vivacitate, & agnoſcet, quam doctè, religiosè, & modeſtè de ſuo Antagoniſta loquatur; ita vt poſsim jure dicere, quod Dominus dedit illi benignitatem, vt terra noſtra daret fructum ſuum; & quod benignè fecit in bona voluntate ſua, vt ædificentur muri Civitatis Myſticæ Jeruſalem.

Senec. in Proverb.

Nec deficit temperantia, cui adfuit regulata prudentia: *Mihi videtur* (ait Mellifluus Patriarcha) *non omnino abſurdum definire temperantiam, quæ nec præcedere neceſsitatem, nec excedere dicat, juxta illud Phyloſophi: Ne quid nimis.* Non vtique præceſsit Opus iſtud neceſsitatem, imò neceſsitas Opus iſtud. Nec exceſsit neceſsitatem; quia non plus ſcribit, quam opportet ſcribere, ſed ſcribit ad ſobrietatem. Vtinam hæc ſobria & vigilans manus ſit Pulegium Heracliti, de quo Alciatus:

S. Bernar. lib. 10 de Cõſid. c. 8.

Alciat. Embl. 16.

Ecce occvlata manvs, credens id, qvod videt, ecce
Pvlegivm antiqvæ sobrietatis olvs:
Qvo tvrbam ostenso sædaverit Heraclitvs
Mvlxerit, et tvmida sæditione gravem.

Authoris eloquium ſuave eſt, ſed eo penetrabilior. Non convitia convitijs, ſed SS. PP. ſententijs & rationibus vivaciſsimis argumenta retorquet. Vim vi ſuaviſsima repellere tentat, dum vim vi repellere licet, teſte Ovidio:

Ovid. lib. 1. de arte amandi.

Ivdice me, fravs est concessa repellere fravdem
Armaqve in armatos svmere ivra sinvnt.

Indutus charitate, quæ foras mittit timorem, deſcendit ad ſingulare Certamen; & ſagitta rationis ejus, velut illa Ionathæ, nunquam reddit retrorſum. Adducatur ſine dubio regula Melliflui Parentis: *Libentius te inſequitur adverſarius fugientem, quam*

 ſuſ-

S. Bernar. Epiſt. 1. n. 12. edit. Lugdun. an. 1687.

ſuſtineat repugnantem: & audatius inſiſtit à tergo, quàm reſiſtat in faciem. Ad alia itidem Certamina, dum obedientia ducat, quæ novit loqui victorias, ſe fatetur paratum, quaſi nullum timens pro veritate certans.

Nec juſtitiæ regulas prætermiſit Certaminis Author. Rectè judicavit, timoris affectus repellens, dū intrepidis vt Aquila volatibus ſcivit volitare per arces. Alciat.

Alciat. Embl. 33.

INSIDEANT TIMIDÆ TIMIDORVM BVSTA COLVMBÆ;
NOS AQVILÆ INTREPIDIS SIGNA BENIGNA DAMVS.

Rodulph. in Vit. S. Anton. de Pad.

Iovis Avis vocatur Aquila, quoniam Iupiter Altitonans dicitur à Poetis. Haud diſsimiliter Antonius juxta Rodulphi Ethimologiam: *Dicitur forte Antonius quaſi Altitonans, &c.* Vt Aquila volat ad ætera, quoniam ſapiens dominabitur Aſtris. Natus ad laborem, quia homo; & ad volatum, quia Avis; alios provocat ad volandum, vt omnes videant bona Civitatis Myſticæ Ieruſalem omnibus diebus Vitæ ſuæ. Bonum itaque Certamen certavit, curſum conſumavit, fidem vtriuſque textus ſervavit; Creta bonum, carbone verò malum inſignivit, juxta Perſium:

Perſius Satyra 5.

QVÆQVE SEQVENDA FORENT, ET QVÆ VITANDA VICISSIM;
ILLA PRIVS CRETA, MOX HÆC CARBONE NOTASTI.

Bonum jure dixi Certamen; quia in ſplendoribus Sanctorum, quorum ſplendor vt lux eſt, ibi abſcondita eſt fortitudo Certantis. *Quid vtilius potuit,* ait Lypſius, *quam tot ſententias in vnum conducere pulchras? Vt penetret valdè facit alicujus robuſtæ & receptæ authoritatis pondus.* Hic enim ingenuitatis eſt fructus, teſte Plinio: *Plenum ingenui pudoris eſt fateri, per quos profeceris, &c.* Collegit Author (vt ait Caſiodorus) *Quaſi in vnam coronam germen florum, quod per librorum campos diſperſum, &c.* Hac ergò laurea exornatus Certaminis Dux, exivit vincens, vt vinceret: Cui bene Alciatus:

Plin. in Prolog. Hiſt. nat. Caſiodor. Epiſt. 25.

Alciat. Embl. 29.

INCENDIT CVRRVS VICTOR, IVNXITQVE LEONES,
COMPVLIT ET DVRVM COLLA SVBIRE IVGVM.
MAGNANIMOS CESSISSE SVIS ANTONIVS ARMIS,
AMBAGE AC CVPIENS SIGNIFICARE DVCES.

S. Bernar. lib. 1. de Conſid. c. 8 & Epiſt. 23.

His capitibus conſurgit vnius Operis perfecta conſūmatio, teſte Mellifluo Parente, qui ait: *Itaque juſtitia quærit, prudentia invenit, vendicat fortitudo, temperantia poſſidet. Laudarem amplius Authorem* (verba ſunt ejuſdem Melliflui Parentis) *& jure laudarem, ſi non me revocaret tua ſententia:* Neminem laudaberis in vita ſua. *Siquidem rem laude dignam egiſti, ſed et laus adſcribenda eſt,*

à

à quo accepit, & velle, & perficere Congaude igitur, Certaminis Author, & regraciare de receptis: *nam donum optimum deſurſum eſt.* Omnes clauſulæ tuæ, graves ſunt, elegantes, concludentes, modeſtæ, ſubtilitate claræ, dicereque poſſum quod de alijs haud diſsimilibus ſcriptis, Sydonius Apollinaris lib. 9. Epiſt. 9. *Accipe quod ſuper tuis ſcriptis ſentiamus. Legimus opus operoſiſsimum, multiplex, ſublime; ſic propoſitis gravia mature, profunda ſollicitè, dubia conſtantèr, argumentoſa diſputatione, quædam ſeverè quædam placida, cuncta moralitèr, lectè, potentèr, eloquentèr.* Syd. Apolin.

De Libris autem Divinæ Hiſtoriæ Myſticæ Civitatis Dei quid ſenſerim, per Sapientiam liceat exponere. *Ego ſapientia effudi flumina; ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluvio; ego quaſi fluvij dyorix, & ſicut aquæductus exivi de Paradyſo.* Eccli. 24. v. 40 & ſeq. Aquæductus Sapientiæ Divinæ dicitur à Dulci Bernardo Beatiſsima Virgo Maria; & aquæductus Mariæ Virginis, piè nunc dicatur Venerabilis Maria de Agreda, quæ quaſi Roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificavit, deditque fructus honoris & honeſtatis; & vt fons Paradyſi irrigavit vniverſam ſuperficiem terræ, ſed hujus apprimè, in qua, vt proximior origini, rigat., imò inundati ſunt montes de ſuperioribus ſuis; ita vt Dominus in ea quaſi diluvium inhabitare faciat. Fidele enim hoc flumen repletum eſt aquis, quæ rivos ejus inebriant, ſic, vt aquæ contradictionis, etſi multæ, non poſſunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam; Quoniam à Solis ortu vſque ad Occaſum laudabile fit pietate Chriſtiana nomen celeberrimum Venerabis Matris, quæ ſicut Sol illuminavit abſcondita tenebrarũ, & ſæpèſæpius manifeſtavit conſilia cordium. Scimus enim quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & piè exiſtimamus, quod à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Potens eſt ergo Deus ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, & diſpoſitione mirabili infirma mundi elegit, vt fortia quæque confundat, ſicut piè credimus feciſſe in V. Abbatiſſa, quæ inuſitato miraculo, Omnipotentis virtute, vſque ad exteras quoque & Barbaras Nationes, Religionis Chriſtianæ inſtituta tranſmiſit, innumeraſque Indorum animas Chriſto lucrifecit. Vide Venerabilem Sponſam Chriſti, quaſi Angelum volantem ad Indiarum gentes, portantem Evangelium, vt Evãgelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & Tribum, & linguam, & populum, &c. Claruit, & claret inſignibus miraculis; corporique ejus, vt dicitur, datum eſt vſque modo non videre corruptionem. Relat. Vitæ, §. 12.

Ve-

Verum, ad Cœleſtes Libros Myſticæ Civitatis Dei redeamus & iterum. Excellentias ſeptem, quibus ſupra naturalem captũ, nedum ſimplicis Fœminæ, quinimò & Doctiſsimorum Theologorum, elevatur Opus, inveniemus in ejs. 1. Stylus ſelectiſsimus, & puriſsimus. 2. Scripturæ Sacræ frequentiſsimus vſus. 3. Præcipuarum Sacræ Theologiæ difficultatum explicatio clariſsima. 4. Vſus limpidiſsimus terminorum Scholaſticorum in idiomatè vulgari. 5. Examina rigidiſsima totius Operis, quæ, etiam ab æmulis, vſque modo ſunt facta; hactenuſque indefenſabilis propoſitio non eſt inventa. 6. Elogia ſelectiſsima, quibus ab Eminentioribus Hiſpaniarum Theologis decoratum eſt Opus. 7. Vberrimus animarum fructus ex pia lectione eorundem librorum conſecutus. Hæc omnia ſimul, imò & diviſim, Opus elevant ſupra naturalem V. Authoris intelligentiam. Cum igitur aliàs conſtet evidentèr, & ſit authenticè comprobatum, eoſdem Libros à prima vſque ad vltimam lineam, ab ipſa V. Abbatiſſa fuiſſe conſcriptos, ab homine ſaltem haud eſſe compoſitos liquidò patère fit manifeſtum; deinde, neque à Diabolo forè, vtilitas animarum teſtatur: piè ergo tenendum, quod à Deo proceſſerunt, *Habent enim opera linguam ſuam*; (inquit S. Cyprianus ap. Monſ.) *habent ſuam facundiam, etiam tacente lingua legentis*: Lingua autem Myſticæ Civitatis Dei, Cœleſtis eſt, ſequentibus ſignis, de quibus in Proceſſu in ordine ad Beatificationem & Canonizationẽ V. Authoris. Fundata pietate reor, quod ſi Mellifluus Parens, hos legeret Libros, ſicut legit ſcripta S. Hildegardis, de his diceret, quod de illis: *Hæc ſcripta nõ ſunt humanitus adinventa, ſed per Sanctum Spiritum divinitus inſpirata; nec poterit ea mortalis homo intelligere, niſi ad Dei ſimilitudinem intus in anima veracitèr fuerit informatus.*

Excellentiæ ſeptem in Libris Myſticæ Civitat. Dei.

S. Cypriã.

S. Bernar. Epiſt. 23. num. 1.

Cœterum, apud Doctiſsimos & peritiſsimos Viros, tanti fuerunt ſcripta Myſticæ Civitatis Dei, quanti exquirendæ veritatis deſiderium. Vterque enim Scholaſticorum, & Concionatorum cœtus, cognovit gratiam quæ data eſt V. Matri, & quod in ea vacua non fuit, ſed quod ſemper in ſcriptis ejus manet. Ex Scholaſticis, ferè innumeros invenies, duos verò ſolummodo ex celebrioribus adducam, Reverendiſsimum, ſcilicèt, Magiſtrum Raymundum Lumbier, in 3. ſent. q. 34. per tot. & Sapientiſsimum Perez Lopez, Seraphicæ Familiæ Provinciæ Aragonum Provincialem, qui tom. 2. in 3. ſent. Scoti, diſt. 6. eã citat, ſequitur, & defendit. Et in eod. tom. 2. diſt. 1. loquendo

Lumbier.

Perez Lopez.

do de Virtutibus, ſic titulum figit: *De Virtutibus in cõmuni, & in particulari: In commum, juxta Seraphicum Doctorem: in particulari, juxta Venerabilem Mariam de Agreda*: Cujus doctrinam in hac, & in ſequenti diſt. 12. validiſsimis rationibus ſubtiliſsimè propugnat. Si ergo hujus Authoris Opera, non ſolum in Hiſpania, verum etiam in Gallia, Belgio, & Italia, recepta ſunt aura fœlici; cur non ita V. Abbatiſſæ Doctrina? Si Opus firmum extitit, erit ne debile fundamentum? Ex Concionatoribus verò plurimos pluries audivi, verbis V. Matris ſuos exornare, comprobare, & illuſtrare conceptus. Videatur inter alios Venerabilis & Illuſtriſsimus Barzia, Epiſcopus Gaditanus, his noviſsimis temporibus Hiſpaniarum Apoſtolus, qui ſuis Concionibus familiariſsimè Venerabilem Matrem adducit, vt legi valet tom. 3. Quadrageſimæ, Serm. 43. num. 28. Et Serm. 44. num. 1. & 22. Et Serm. 53. num. 1. & 2. Et Serm. 54. nu. 1. & 16. Et Serm. 40. vbi paſsim citat Myſticam Civitatem Dei. Ex Myſticis noviſsimis penè, nec paginam, nec folium conſpicies abſque ſententia ejuſdẽ Myſticæ Civitatis Dei: Videatur *Lucerna Myſtica* Celeberrimi Carthuſiani P. M. D. Auguſtini Nagori. *Barzia.* *Nagori.*

Scimus autem haud defuiſſe, non ſolum ex Idiotis, ſed etiam ex Doctis, qui Myſticam Civitatem Dei exiſtimarunt deliramentum, & muliebre ſomnium, ponentes contradictionem in Civitate, & cogitantes conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire; nam ementito Sacræ Facultatis Pariſienſis nomine, vox vnius, duorũvè, vt vox multitudinis exivit in fines Orbis terrarũ; cõprehenſi vero ſunt in conſilijs quibus cogitabant, & jure, vtpotè contra integerrimam, & accuratiſsimam Sanctæ Inquiſitionis, hujus Myſticæ Civitatis diſcuſsionem, qua præmiſſa inoffenſo apice tranſivit, vſque dum Apoſtolica Suprema Sedes aliquid aliud decernat; itaque fundata in his montibus ſanctis, ſupra firmam Petri petram immobiliter permanebit: Cenſores autem, qui ad aſtra volare præſumpſerunt, jactantiæ Phaetontis experientur ruinam, de qua Alciatus: *Alciat. Em.bl. 56.*

ASPICIS AVRIGAM CVRRVS PHAETONTA PATERNI
IGNIVOMOS AVSVM FLECTERE SOLIS EQVOS.
MAXIMA QVI POSTQVAM TERRIS INCENDIA SPARGIT
EST TEMERE INFESSO LAPSVS AB AXE MISER.

Maneat vtinam inconcuſſa veritas, quæ de terra orta eſt, & pro ea juſtitia de Cœlo proſpiciat, etenim Dominus dabit benignitatem, vt poſsit (favente Apoſtolica Sede) Venerabilis Mater

di-

Eccli. 24. dicere cum Salomone: *Doctrinam quaſi Prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus ſapientiam, & non deſinam in proge-*
Ierem. 31. *nies illorum, uſque in ævum ſanctum* Et nos cum Ieremia: *Lætare nunc Ieruſalem, & agnoſce tempus viſitationis tuæ. Gaudete & laudate ſimul deſerta Ieruſalem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, &c.* Novimus quidem, quod niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Glorioſa enim dic-
S. Bernar. ta ſunt de te Civitas Dei à tua Venerabili Scriptrice, quare
exhor. ad exclamare compellor cum Mellifluo meo Patriarcha: *Salve Civi-*
Milit. Tem *tas Regis Magni, ex qua nova & jucunda mundo miracula, nullis*
pl. cap. 5. *temporibus defuere a principio*
num. 11. Verum enim verò, vt inde noſtrum ſumat finem judiciũ, vnde
Idem ibid. ſumere debuit exordiũ, ſic cum Bernardo dicã: *Vides, ne quam*
c. 3. n 6. *crebra veterum atteſtatione, novum approbatur Certamen, & quod ſicut* (in eo) *audivimus, ſic vidimus in* (Myſtica) *Civitate Domini virtutum? Dummodo ſanè ſpiritualibus non præjudicet ſenſibus litteralis interpretatio, quominus ſcilicèt ſperemus in æternum quicquid huic tempori ſignificando ex Prophetarum vocibus vſurpamus. Ne per id quod cernitur, evaneſcat quod creditur, & ſpei copias imminuat penuria, præſentium que atteſtatio ſit evacuatio futurorũ.* Alioquin terrenæ *Civitatis* (Myſticæ) *temporalis gloria, non deſtruit cœleſtia bona, ſed aſtruit* Quapropter, Certamen hoc Marianum Pariſienſe, pro Myſtica Civitate Dei, tàm Fidei dogmatibus, quàm bonis moribus, veræque Theologiæ conſentaneum judico, ſalvo ſemper meliori, &c. In hoc Regali Beatæ Mariæ de Berola Benedictino-Ciſtercienſi Cœnobio, die 4. Octobris, ann. 1698.

Fr. Thomas Gonzalez del Campo.

EIUS-

EJVsDeM AVthorI, & operI
LaVs, VtrobIqVe VICtrIX
InIens.

Chryſis--Anno

M.DC.LXVVVVVVIIIIIII.

A ſtitit intuitu jam neſcia docta Minerv A
Zil mirũ paveat, lumina dante Cheru B
Torpida deſiſtat ſcriptis contraria lingu A
Omni nanque caret cuſpiditate labo R
Nitidior Mariana Palęſtra refulſit Olimpo a B
I ride cœleſtis colluminata Pol I
V ictor cum palma tibi ſit Certamine tant O
S epticolis lauros, cedat & ipſa ſimu L

CENSVRA
D. D. IOANNIS ANTONII GARCES & Navarro, Sacræ Theologiæ Doctoris, & Divini Verbi Concionatoris Egregij, in Epiſtola ad Authorem.

MARIANVM Certamen à te compoſitum, & prælo mandatum, à me lectum, & perlectum, iterum remitto; veruntamen, vt juſtum deſiderium meum erga mihi chariſsimam Benefactricem V. Mariam à Iesv de Agreda, tuamque ſequar voluntatem, (tuis enim obedire mandatis pergratum mihi ſemper extitit) quanquam aliàs imbecillitatis meæ non oblitus; adulatione ſemota, ne poppyſmate videar aures ferire tuas; quæ ſine fictione didici, vt fidelis amicus aperiam.

Judic. Hoc tuo Certamine, ni fallor, haud parum extollitur Seraphica Religio, virtus roboratur, veritas ſtabilitur, Cenſura extirpatur, dicteria exploduntur, malitia confunditur, fallatia devincitur, argumenta enervantur, Myſtica Civitas Dei non capitur, ſed redimitur, pia affectio augetur, atq; fama V. Abbatiſſæ ſolidatur. Bonũ igitur Certamen certaſti, cursũ cõſummaſti, fidem ſervaſti, in reliquo repoſita eſt tibi corona, Venerabilique Abbatiſſæ laurea. Si enim non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit, optimè certaſti; tuoque Certamine expecto, victuram veritatem, donec optata veniat dies illa, in qua Noſtræ Venerabili Abbatiſſæ à Supremo Capite dicatur: *Veni, veni, veni: coronaberis de cubilibus Leonum, de montibus pardorum, ad montem Filiæ Syon*, qui eſt Eccleſia, vt quæ (ſicut piè creditur) eſt ad beatos lata, ſit inter Divos recenſita. Tu enim protexiſti illam: Non Prædones celeberrimi nominis Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis. *Multitudo illa ſapientium ſanitas eſt Orbis terrarũ* in doctrina ſana; ſed qui falſò ſumpſerunt nomen, reliquerunt rem. Protexiſti enim illam à conventu malignantium, qui rapinam arbitrati ſunt authoritatis Sorbonicæ: Protexiſti illam ab eorum lingua doloſa. Quid enim aliud eſt, temerariam, ſcãdaloſam, impiam, falſam, errorem inducentem, authoritati Eccleſiæ derogantem, mirabilem Myſticæ Civitatis Hiſtoriam aſſerere, ejuſque Venerabilem Authorem ſeductam, ac ſeducere intendentem proclamare? Verum quid aliud, niſi faſcinatione nu-

Sac. Fac. Pariſ.

nugacitatis obſcurare bona? Grecè *Invidus*, dicitur *faſcinator*, faſcinare igitur eſt *invidendo corrumpere*, vt ex Gloſſa dixit Carenſis. *Hugo Carenſ.*

Quid ergo Cenſores feciſtis, ſi Mulier illa & viva, & mortua multa ſigna facit, niſi inconſtantia concupiſcentiæ veſtræ tranſvertere ſenſum qui eſt ſine malitia? Num credendum vobis eſt, potius quam Supremo ac Sacro Tribunali Generalis Inquiſitionis Hiſpanicæ, ejuſque Qualificatoribus, Fideique Cenſoribus, vbi Hiſtoriæ Divinæ Libros poſt multorum annorum diuturnum examen illæſos abire permiſerunt? Vos autem ſub emẽtito Sacræ Facultatis Pariſienſis nomine concilium inijſtis, vt eos dolo teneretis, & damnaretis; verum intentionem veſtram patefactam feciſtis, potiuſque damnationem veſtram firmaſtis, juxta Pſalmographum: *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorũ, & infirmatæ ſunt contra eos lingua ipſorum*. Id eſt: *Sagittæ invidorum*, explicat Carenſis, *factæ ſunt plagæ ipſorum invidorum, quia cum alios ſagittant, & eis detrahunt ex invidia, ſe ipſos prius vulnerant*, concinente Poeta: *Exam. Hiſpan.* *Carenſ.*

IVSTIVS INVIDIA NIHIL EST, QVÆ PROTINVS IPSVM
AVTHOREM RODIT, EXCRVCIATQVE SVVM.

Perlegite vos, vt credatis, hoc *Marianum Certamen*, vbi invenietis Myſticam Civitatem Dei, Venerabilemque ejus Authorem, conformem Sacræ Scripturæ, Sanctis Patribus, Theologis, alijſque probatis Revelationibus, diſcordiamque inter Originalem noſtrum & Tranſlationem veſtram; & quanto amplius, & mordicus contendatis in illam inſurgere, ſcitote, quoniam tanto illuſtriorem Venerabilem Abbatiſſam reditis, quæ haud ſemel contradictionem paſſuram Myſticam Civitatem Dei præ nuntiavit. *Poſt 3. part. in Epiſt. Dedic. ad Monial.* *Proph. V. Authoris.*

Verum in lectione ejuſdem Divinæ Hiſtoriæ, tanquam arbores fructu lux Divina niteſcit, liceatque quod V. Kempis de doctrina ſana diſſeruit, hiſce libris adaptare: *Docent ignaros, erigunt otioſos, excitant torpentes, ſtimulant dormientes, corrigunt errantes, erigunt corruentes, terrent ridentes, conſolantur lugentes, laudant humiles, vituperant ſupervientes, confortant debiles, reprimunt præſumentes, mitigant turbatos, lætificant triſtes, juſtificant pios, damnant perverſos, &c.* Loquantur experti, clament converſi, vociferent à peccatis reducti & dicant, quid ejs videtur de Divinis Libris Myſticæ Civitatis Dei? Scimus autem, quoniam arbor mala fructus optimos ferre non valet, diabolumque *Kemp. in doct. invẽt cap. 6.*

non converſionem animarum, & ſpiritualis vitæ profectum, ſed æternum ſolicitare interitum & ruinam. Nec ſolum in ſimplicis fidelibus, quinimò in Viris doctiſsimis mirabiles effectus experimur: Loquantur ipſi, leganturvè qui calamis ſuis loquuti ſunt, convenientibus teſtimonijs de hac Venerabili Abbatiſſa in virtute, ejuſque Libris, in doctrina cœleſtes fore, vtiles, ſine errore, plane divinos, &c.

Quoniam verò ex mirabili ejuſdem Authoris Vita præcipuū piæ credibilitatis conſurgere ſignum abſdubio novimus, vltra quæ leguntur hujus Venerabilis Feminæ miracula celeberrima, loquar quod expertus ſum; etenim nec licère comperio accepta beneficia ſepelire ſub ingrato ſilentio. Anno Domini 1684. in gravem morbum incidi, tertia die jam Sacro Viatico refectus eram. Ingraveſcente autem infirmitate magis, ac magis, meque ad extremum vitæ properante, allata fuit mihi Vera Effigies Venerabilis Mariæ à Iesv de Agreda, à Collendiſsimo Domino meo D. D. Michaele Franciſco de Añon, Eccleſiæ Metropolitanæ Cæſar-Auguſtanæ Canonico meritiſsimo, ipſique Servæ Dei affectu devotionis addicto. Cumque precibus, meritis, & interceſsione ejuſdem Sponſæ Chriſti Domini Deum rogarē pro ſalute mea, ſic feci, nam ſæpèſæpiùs inclamabam: *Mater Maria à Iesv, nunc hora eſt, adjuva me & ſalvus ero.* Vovi ſuum adire Cœnobium, viſereque Sepulchrum, & exinde ſanus factus ſum. Nec hic ſiſtit hiſtoria: Vovi, ſed non reddidi votum meum. Factum eſt autem, vt iterum ægrotarem febri tertiana cum intenſo capitis dolore; febri verò aliquantulum ſedata, nec in totum extincta, ſemper dolor capitis vehementèr vrgebat. Decrevi ſine majori dilatione Votum meum explere, deviciſque haud levibus difficultatibus & alijs circunſtantijs omiſſis, ne Hiſtoriam nimis protendam, ad Agredam perveni infirmus, & ſanus exivi. Viſitavi Sepulchrum Venerabilis Matris Mariæ, vbi & febris, & dolor intenſiſsimus capitis mei finem accepit, totalitèrque convalui. Piè credidi, & credam, quod meritis ipſius Venerabilis Mariæ perfectam obtinui ſanitatem, propter quod locutus ſum, loquar, & teſtificabor beneficium acceptum, ne ingratus inveniar. Infirmus acceſsi, & ſanus regreſſus ſum, mirantibus cunctis amicis meis, & omnibus quibus notæ erant infirmitates meæ, ijs præcipuè, qui itineri meo ex nimia compaſsione magis adverſabantur, magnificantibus Deum, mirabilem in Servis ſuis.

Mirac. refert expert.

Nunc

Nunc autem, ſi ex laudabili Vita, potiſsimumque ex poſthumis miraculis, juxta doctrinam V. Epiſcopi Gienenſis, conſurgit ſignum in bonum Divinarum Revelationum, de quo in *Certamine num.* 247 quid dicam de Revelationibus Myſticæ Civitatis Dei, dum V. ejus Authorem, & in Vita, & poſt mortem conſpicio ſic mirabilem? Deberent Sorbonici, magis pietate, quam calliditate procedere. Abſit vt credam, Deum miracula patrare propter Fœminam ſeductricem, vel ſeductam. Quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legerimus intelligamus. In Libris Myſticæ Civitatis Dei omnia mihi videntur divina, & ſuperno lumine cœlitus inſpirata. In volumine autem iſto *Certaminis Mariani*, nihil contra Fidem Catholicã, aut bonos mores, reperi; in omnibus conſonat Scripturæ Sacræ, & Sanctis Patribus; ſtylus dulcis eſt, argumenta vivaciſsima. Neminem lædit, dum ad hominem arguit. Sic ſentio, ſalvo, &c. Cæſar-Auguſtæ 26. Octobris 1698.

V. Epiſc Gienen. in Prolog. ad lib. 8. S. Birgittæ.

Doct. Ioannes Antonius Garcès & Navarro.

AD

AD VENERABILEM MATREM MARIAM A JESV DE AGREDA.

Virtutum ſplendor clareſcit Clara Maria.
Agreda quam genuit, cum ſit & ipſa Mater.

More volans aquilæ ſcriptis petit aſtra ſublimis
Sydera, de Cœlis plurima celſa trahit.

Vltima temporibus Sacrato pectore ructat
Gaudia, quæ dices munera fortè Dei.

Franciſci corda circumdata tollit in Altum
Nomen, cumque Patrem tollat, & illa ſimul.

Heſperiam luſtrat nunc noſtra Hiſpana Sybilla,
Alta petens animo, grandia voce ſua.

Accipe corde meo, ſed non in Imagine picta
Vota, ſit affectus cognitus, ardet amor.

AV-

AVTHORIS PROTESTATIO.

IVXTA Decretum SS. D. N. fœlic. record. Vrban. Papæ VIII. in Sacra Congregatione Vniverſalis Inquiſitionis Romanæ, anno 1625. editum, & anno 1631. declaratum, ac tandem anno 1634. confirmatum, quo interdicitur imprimi Libros perſonarũ, quæ Sanctitatis fama fulxerunt, geſta, miracula, vel Revelationes, ſeù quæcunque beneficia, tanquam ipſarum interceſsionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij: & itidem quod non admittantur Elogia *Sancti*, vel *Beati* abſolutè, & ea, quæ cadunt ſuper Perſonam, bene tamen ea, quæ cadunt ſuper mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, vt ijs nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penès Authorem, &c. Firmitèr profiteor, Miracula, & Revelationes, quæ in hoc Opuſculo referuntur, nullam ex hoc accipere authoritatem, aut credibilitatem, niſi puram humanam, hiſtoricam, & fallibilem. Cœterũ, ſi Elogium *Sancti*, aut *Beati*, alijs quàm ab Eccleſia Romana Canonizatis, àut Beatificatis, inveniatur applicatum: Fateor, nolle me ſupra Perſonam id cadere, ſed ſolummodo ſuprà mores, & Opinionem: proteſtorque, nullum ex eo ſubjectis accedere cultum, quem aliàs ab Eccleſia Catholica non acceperint. Hoc ita ſentio, aſſero, & ſubſcribo in Conventu Minorum Sanctæ Mariæ à Iesv Cæſar-Auguſtano die 8. Septembris ann. 1698.

Fr. Antonius Arbiol.

ALIA PROTESTATIO.

IN obſequium & obedientiam juſtiſsimi Decreti Supremi Tribunalis Fidei Catholicæ Monarchiæ

Hiſ-

Hiſpaniarum 19. Octobris 1696. quo ſub gravi pœna præcipitur, vt Scriptores à dicterijs, verbiſque injurioſis ſe abſtineant: offero videnda quæ in hoc Certamine ſub num. 1. Prologi, & pag. 6. num. 11. & pag. 12. num. 14. dicuntur. Neminem intendi lædere: ſi autem ex calami lapſu verbum aliquod minus rectum, me nolente, vel neſciente diffugit, libentèr ſub correctione permaneam. Sic qui ſup.

ERRATA PRINCIPALIORA.

Pag. 11. lin. 10. Magna, *lege*, Magnam.
Pag. 48. lin. 23. quæmadmodum, *lege*, quemádmodum.
Pag. 60. lin. 32. ievenies, *lege*, invenies.
Pag. 133. lin. 32. haut, *lege*, haud.
Pag. 155. lin. 29. concitatur, *lege*, citatur.
Pag. 190. lin. 17. lætharentur, *lege*, lætarentur.
Pag. 205. lin. 20. facte, *lege*, factæ.
Pag. eadem. lin. 35. triſtitia, *lege*, triſtia.
Pag. 219. lin. 20. Laurentana, *lege*, Lauretana.
Pag. 228. lin. 30. concitantur, *lege*, citantur.
Pag. 254. lin. 1. Choronologum, *lege*, Chronologum.
Pag. eadem. lin. 23. perfici, *lege*, perfeci.
Pag. 262. lin. 1. Diſcerptatio, *lege*, Diſceptatio.
Pag. 313. lin. 21. Rigidior, *lege*, Rigidiores.
Pag. 321. lin. 18. detenctio, *lege*, detentio.
Pag. 344. lin. 19. Matris, *lege*, Matri.
Pag. 355. lin. 17. Admirabilis, *lege*, Admirabile.

PRO-

PROLOGVS AD LECTOREM; BREBISſimaque totius facti relatio.

1 EXIIT Edictum, ſub ementito Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis nomine divulgatum, vt ſciret vniverſus orbis, primum Tomum Myſticæ Civitatis Dei, à Venerabili Sorore Maria à Ieſv Gracchuritana (vulgo de Agreda) Hiſpano idiomatè conſcriptum, & à R. P. Fr. Thoma Croſet in Gallicum traductum, ab eadem Sacra Facultate eſſe prohibitum, & damnatum. Factum audivimus, circunſtantias requiramus, & quomodo Cenſura ordinata eſt ab examinis principio, quando Doctores Deputati appendebant fundamenta doctrinæ. *Ex his autem, quæ in Aula Sorbonæ ſunt geſta; haud quæ ſcio, hæc ſcribo, quinimò ſolũ relata refero ex percelebri tractatu illo, cui titulus:* Cenſura Cenſuræ, &c. *omittens non pauca. Deputatorum, & Syndici, aliorumque, qui in hacce cauſa Factioniſtæ dicuntur, nomina tacebo, vt quantum in nobis eſt, nemo in particulari lædatur. Hoc prælibato, ipſius facti, prout fertur, relationem incipiam.* *Nota.*

2 Iam de hiſce libris Myſticæ Civitatis Dei, dequè eorum Authore celeberrima, mirabilia multa per Orbis Catholici Regna fama vulgaverat; iamquè innumera per diverſas mundi Provincias prædictorum librorum diſperſa erant exemplaria, quando ecce volumen volãs in manibus prædicti Croſet infauſtum portum aſſumpſit. Quieſcebat hic in ſolitudine, dum ſecum cogitavit, neſcio ſi levari ſe ſupra ſe. Cogitavit, inquam, in linguam, quam nõ benè noverat, introire. Pennam aſſumpſit, & pœnam nobis reliquit. Traductionem fecit, & traditionem in ipſa traductione, vt dicitur, emulatio ſuſcitavit. Exivit liber traductus, ambulabat tamen

Relatio facti ex Trasat. tract. lib. Cenſura Cenſuræ &c. *impreſ. Colon. Agrippinæ ann.* 1697.

expoliatus & nudus, ſine ingenioſo Prologo Galeato Doctiſsimi & Illuſtriſſimi Samaniego, ſineque pretioſa eiuſdem V. Authoris Relatione vitæ, ſinequè eruditiſſimis notis; ſolus textus traductus apparuit, ſicut exivit de calamo Matris ſuæ; nec dicam ſicut exivit, cum in multis diſcors inveniatur.

3 Diſperſa ſunt exemplaria traducta, quorum aliqua vſque inSorbonicā Aulam citò currentia, pervenerunt in pace, ſed ecce turbatio: quærebant bona,& ecce commotio. Ingreſſus eſt liber, & damnatus exivit. Pacificus erat ingreſſus,& commota ſunt viſcera multorum ſuper eum. Ex nunc incipiunt Cenſuræ Myſteria. Cum igitur in Comitijs ordinarijs Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis die 2. Maij anni 1696. habitis in Aula Sorbonæ, de rebus occurrentibus fieret inquiſitio, eiuſdem Facultatis Syndicus prædictum Authoris noſtræ obtulit librum, vt Sacra Facultas de eius doctrina ferret iudicium. Aſſolet ipſa Sacra facultas, ad res minoris momenti, tùm decem, tùm quatuordecim, tùm & viginti ſeligere Doctores, vt materiæ propoſitæ vacantes, de ea ad Comitia proxima referant notatu digna: ad noſtrum verò librum, nec decem, nec viginti, ſolum quatuor ſunt deſtinati, qui vnâ cum Doctoribus Decano & Syndico diligentèr eum legerent, & examinarent.

4 Sexaginta & vno diebus Doctores Deputati totum librum commiſſum evolverunt, legerunt, examinarunt, controverterunt, & libellum Cenſuræ decem & novem Articulos continentem, in eiſque ſexaginta propoſitiones, ſeveriſsimis annotationibus confixas, Cōgreſſui generali Sorbonico præſentarunt. Citò fecerūt, vel citò defecerunt. Feſtinantèr laboritio vacarunt, non parcentes labori, neque libro. Veloces extiterunt iſti Doctores, cum duplicitèr tardus ſapiens quilibet de-

deſideretur. Obliti ſunt quoniam ſcriptum eſt: *Qui crediderit, non feſtinet.* Die itaque ſecunda Iulij ipſius anni currentis, in Comitijs generalibus Doct. Pariſienſium cauſam retulerunt Deputati, reſponſum mortis & damnationis libri commiſſi portantes in ſuo libello.

5 Audita Cenſuræ relatione in publico Congreſſu, vnuſquiſque ſuo ſenſu abundabat; ex abundantia cordis os loquebatur, & in diverſas eructantes ſententias, facta eſt confuſsio magna inter Doctores. Convenientia teſtimonia non erant, ſed quot homines, ferè tot ſententiæ. Alij dicebant, quia doctrina bona eſt, & Myſteria nō repugnāt; an autē hæc omnia revelata ſint, vel non, quid ad nos? Deferamus ad Eccleſiæ iudiciū. Factioniſtæ vero clamabant: Seducta eſt Mulier hæc, ſi iam non intendit ſeducere, & in ſcriptis eius multa ſunt falſa, temeraria, ſcandaloſa, phanaticis & hæreticis faventia. Alij cordati dicebant: Falcem mittimus in meſſem alienam: Si in cauſam apud Antiſtitem noſtrū Pariſienſem inceptam, iudicium noſtrum intromittere nobis non licèt; numquid minoris authoritatis & venerationis dignus eſt Epiſcopus Romæ, & Vicarius Ieſu Chriſti? At Factioniſtæ magis clamabant: Cauſam incępimus, finem apponamus: Non ad ædificationem, ſed ad ſubverſionem pietatis ſcriptus eſt liber hic, in eoque Arij, Neſtorij, Pelagianorum, Prædeſtinatianorum, Iconomachorū, Vigilantij, Photij, Baij, & Ianſenij innovantur errores. Quantum vero ad Venerabilē Matrē de Agreda ſpectat, vix creditur quod accidiſſe refertur. Illam (inquit Author Cenſuræ Cenſuræ) tamquam impudicam, ſacrilegam, blaſphemam, idolatram, Pelagianam, Lutheranam, Quietiſtam, ſivè loquendo coram cœtu Factioniſtæ, ſivè per libellos impreſſos infamarunt. Factum eſt igitur prælium magnum inter illos Doctores, Tàm ſeditioſæ contentionis, etiam ad Civi-

tatem rumor exivit: ex quò, libri Defenſores vocari cæperunt Mariani & Agrediſtæ; Oppugnatores verò Antimariani, & Antiagrediſtæ.

6 Nec minoris moleſtiæ aliud ſubſecutum eſt punctum ſuper aſsignanda die calculationis Cenſuræ. Antimariani poſtulabant quamcitius calculari, ita, vt nec menſem vnum paterentur concedi. Mariani verò tantę accelerationi adverſabantur: dicebant enim, in Supremo Hiſpaniarum Tribunali Fidei, per quatuordecim annos opus iſtud examini rigido ſubiecisse, & fas non eſſe, in illa celebri Vniverſitate breviſsimis ſic diebus damnari, quod tàm longo tempore apud Catholicum Tribunal inoffenſo folio, immo & littera, opus evaſerat. Nec deſpectui (ſuperaddebant) committendum fore, quòd à Pontifice Summo tredecim abhinc annis & amplius, varia fuiſſe horum librorum examina commiſſa, nec hucuſque ad vltimam, & definitivam perveniſſe ſententiam: & quid dicet mundus de nobis (aiebant) dum ſic feſtinantèr damnaſſe conſpiciat librum, quem ſapientes Catholici intactum venerantur. Hæc & alia animo ſereno, ſed mente conſtanti repræſentarunt Mariani Sorbonico Congreſſui. Alij validiſsima oſtendebant argumenta, inducentia ad ſuperſedendum Cenſuræ; Factioniſtæ vero pro feſtinanda concluſione cępti negotij ſemper inſtabant, & vicerunt tandem, dieſque 14. eiuſdem menſis aſsignatus remanſit ad ſuffragia & vota ferenda ſuper libellum Cenſuræ. Haud pauci ex Doctoribus, exemplaria libri poſcebant, vt, ſi fidelitèr propoſitiones forent excerptæ, poſſent iudicare. Quid rationabilius? Agente autem Factione ita factum eſt, vt nec auro, nec argento, nec adaucta pecunia, cui obediunt omnia, reperiri valerent.

7 Die calculationis Cenſuræ Deputatorum non tardè perventa (vt cætera prætermittamus) inceptiſque

Co-

Comitijs, cæpit ex vtraque parte DD. validiſſima concertatio. Dies turbationis, & turbinis dies hæc. Nec ad exitum de ferendis ſuffragijs deveniri potuit vſque ad diem 17. Septembris eiuſdem anni currentis. *In Præfat. tract. Cenſura Cenſuræ.*

8 Quoniam vero ſapientum iudicio huiuſmodi Cẽſura, non tàm celebri Vniverſitati, quin potiùs ſolummodo Doctoribus Deputatis tribuenda procedat, ideò non ſententiam Sacræ Facultatis Pariſienſis, ſed Doctorum Deputatorum Cenſuram impugnare putamus. *Notandũ.*

9 Evulgata igitur Cenſura: hæc ſine Præfatione, & ſine prævia exornatione aliqua præ manibus Pariſienſium omnium proceſsit, vſque ad Kalend. Octobris eiuſdem anni, quo die Comitia celebrata ſunt in Aula Sorbonæ, in eiſque novum libellum attulit Syndicus, ſub titulo: *Cenſura Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis*, longa, & adornata Præfatione munitum in honorem Sacratiſsimæ Virginis MARIÆ, ſententiam Deputatorum continentem, ſed mutatis multis, & cum novis propoſitionibus, atque Notis, Facultatis iudicio nunquam propoſitis. Libellum hunc iuſſit Syndicus in Comitijs Sorbonicis publicè legi, eoq; perlecto, nullatenùs quæſitum eſt à Doctoribus, an placeret, vel non, ſed ſtatim ad alterius negotij propoſitionem tranſitus factus eſt. Reclamarunt de nullitate multi Mariani, nihil autem reſpondit Syndicus, ſed ſurgentibus cum tumultu Factioſis, Comitia ſubitò diſſoluta ſunt. Propterea libellum huiuſmodi, ſententiam ſuppoſititiam Sacræ Facultatis appellamus, quæ re vera non eſt ſententia Sacræ Facultatis, dum Doctorum votis, ac ſuffragijs haud invenitur ſubiecta.

10 Alia permulta de hac hiſtoria moleſtiſsima, extranea quidem ſenſatis mentibus, videre poteris, Amicè Lector, in Præfatione ſupracitata celeberrimi illius tractatus, *Cenſura Cenſuræ*, vbi quæ in hoccè Prologo

dic-

dicta ſunt, aliaque permulta, latiori calamo conti-nentur.

11 Vel ſi mavis, ad principale punctum omnia re-ducentes: nec *Cenſuram DD. Deputatorum*, neque aliam in ſecundo libello repertam, quam *ſuppoſititiam* voca-mus, à Sacra Facultate Theologiæ Pariſienſis emanare ſupponimus, imò neque à DD. Deputatis, ſed præſcin-dimus ab hoc. Quapropter inviolatam, intactamque Sa-cram Facultatem Aulæ Sorbonicæ venerantes, vtram-que Cenſuram, ſub ementito Sacræ Facultatis Theolo-giæ Pariſienſis nomine publicatam, quorũcunque Doc-torum, ſivè cuiuſcunque Conciliabuli quælibet earum ſit, ſuſcipimus impugnandam. Primum tamen libellum appellabimus, *Cenſuram DD. Deputatorum*; ſecundum verò, *Cenſuram ſuppoſititiam Sacræ Facultatis Theo-logiæ Pariſienſis*, vt hoc duplici nomine, vnum ab altero diſtinguamus libellum.

Nota.

VALE.



CER-

CERTAMEN MARIANVM.

VBI VERITAS EXAMINATVR IN SPLENDORIBVS SANCTORVM.

CONCERT. I.

REFLEXIONES PRÆMITTVNTVR ſuper clauſulas Præfationis Suppoſititiæ Cenſuræ Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis.

1 RETVLIMVS cauſam in Prologo, cur libellum vltimum in Comitijs Sorbonicis publicè lectum, & Doctorum ſuffragijs haud iudicatum, Cenſuram Suppoſititiam, & non veram Sacræ Facultatis appellamus. Cenſuræ enim DD. Deputatorum Præfatio non erat. Quoniam autem ſuper exornationem, ſivè Præfationem memoratæ Cenſuræ ſuppoſititiæ, aliquas ſuperaddere reflexiones neceſſarium putamus, opus eſt in primis, nudam litteram ipſius Præfationis legentibus anteponere, quæ ſic eſt.

§. I.

LITTERA PRÆFATIONIS CENSVRÆ Suppoſititiæ fidelitèr tranſcribitur.

2 *CVm in Comitijs ordinarijs Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis die 2. Maij anni Domini 1696. habitis in Aula Sorbonæ, poſt ſolemne Sacrum de Spiritu Sancto, Magiſter N.* (nomē omit-

omittimus) *Doctor & Syndicus eiuſdem Facultatis, librum obtuliſſet evulgatum ſub hoc titulo:* La Myſtiquè Citè de Dieu, &c. *vt Facultas in eum animadverteret; ſelecti ſunt quatuor ex Magiſtris eiuſdem ordinis, qui vnà cum DD. Decano & Syndico diligentèr legerent, & examinarent prædictum librum, & de eo ad proxima Comitia generalia referrent. Quod cum illi in varijs conſeſſibus privatis intra duos menſes habitis, magna & diuturna conquiſitione præſtitiſſent; die 2. Iulij eiuſdem anni, ſuffragijs conſentientibus, retulerunt, & exhibuerunt propoſitiones ex prædicto libro excerptas, quas cenſura notandas exiſtimarunt. Quibus auditis, dato omnibus, & ſingulis Magiſtris illarum propoſitionum cum earum notis indiculo, aſsignata ſunt Comitia generalia ad diem 14. eiuſdem menſis, in quibus auditis iterum iiſdem Doctoribus Deputatis, ac triginta duabus congregationibus habitis, in quibus centum quinquaginta duo Magiſtri dixerunt, die tandem 17. Septembris eiuſdem anni, Sacra Facultas, concluſione lata, prædictum librum damnandum cenſuit, prout de facto damnavit.*

3 *Verum antequam propoſitionibus exhibitis ſingulares notas apponat, præmittendam cenſuit conteſtationem publicam, qua profitetur, ſe nihil quidquam ferenda Cenſura, imminutum velle de vero, & legitimo cultu, quem Sanctiſsimæ Deiparæ exhibendum præſcribit Catholica per Orbem Eccleſia, cuius quidem honoris vindicem ſe præ cæteris præbuit hactenus, & qualibet occaſione data, præſtituram ſe ſpondet.*

S Romanus epiſt. ad Ioann. Epiſc. Syna 1. 7. Syno act. 4. S Proclus orat. 6 in SS. Deip. S. Ireneus lib 5. adverſ. hæreſ. c. 19 S. Baſil. Seleuc. Orat. in Annũtiat

4 *Declarat itaque, ſe Sanctiſsimam Virginem Mariam, vt verè & propriè veri Dei Matrem venerari, & magnificare, eamque vniverſa viſibili, & inviſibili creatura ſuperiorem reputare, vt loquitur Sanctus Romanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Tenere ſe etiam cum Eccleſia, Beatiſsimam Virginem ſpeciali Dei Privilegio immunem fuiſſe à peccatis omnibus, etiam venialibus; eamque cum Sancto Proclo, tamquam penetrale innocentiæ Sacrarium venerari. Se quoque confiteri, illam eſſe Matrem Dei, ſimul & Virginem, ſemperque Virginem: ac proinde deteſtari hæreſes Neſtorij, Ebionis, Iovinian, Helvidij. Agnoſcere cum Sancto Ireneo, Advocatam: cum Sancto Baſilio Seleucienſi, aliiſquè Patribus, Mediatricem; tùm pro materna, qua ſalutis noſtræ negotium apud Filium pertractat charitate; tùm pro ſumma, qua apud ipſum pollet gratia; eiuſque, vt dignitatem ſupra Sanctos omnes prædicat, & ſuſcipit, ita & potentiori eius interceſsioni, & tutelæ præcipuè confidere. Stare ſe determinationi Maiorum ſuorũ*

de Conceptione Immaculatæ Virginis Mariæ; videlicèt, quod in ſua Conceptione præſervata fuit ab originali labe. Sentire ſe denique cum veteri Liturgia Gallicana, eam in Cælum poſt mortem cum corpore & anima fuiſſe translatam.

Liturgia Galli. edita à Mabilionio.

5 Verum cum Sanctiſsima Virgo falſo non egeat honore, veris cumulata honorum titulis, & infulis dignitatum, vt docet Sanctus Bernardus; immoderatum, ſuperſtitioſum, commentitium cultum planè non admittit Sacra Facultas; ſiquidem non eſt hoc Virginem honorare, ſed honori eius detrahere, vt idem Sanctus Bernardus loquitur. Inde obſervabat olim ſapientèr Sanctus Epiphanius, par & idem ex ambabus hæreſibus detrimentum accidere, cum alij Sacroſanctæ Virginis Dignitatem elevent, alij præter modum & rationem attollant. Rectè autem ad propoſitum addit idem Epiphanius: poſterius dogma (eorum ſcilicèt, qui Virginis dignitatem præter modum attollunt) Vix alios Authores ac Patronos habere, quam mulieres. Mirum enim eſt, quantum in hoc genere in prædicto libro, cuius vna verſio Gallicana Facultati exhibita eſt, exceſſerit & aberraverit mulier illa, quæ hiſtoriam texuit vitæ BB. Virginis, tàm abſonam certè, quàm inauditam, quamquè dum à Deo ſibi revelatam aſſerit, ſi non intendit illudere legentibus, ipſa profectò manifeſtè illuditur; vbi fabulas, nugas, commenta, & errores, quorum Deus Author eſſe non poteſt, pro Myſterijs Divinitus revelatis obtrudit, & velut veritates conſtantes vniverſis proponit.

S.Bernar. Epiſ.174. ad Canon. Lugdun.

S. Epiph. hæreſ.79. adverſ. Collyridianos.

6 Ad hæc advertens Sacra Facultas, de excerptis propoſitionibus, deque ipſo libro, vt Gallicè traditus eſt, ſic tandem pronuntiavit.

7 Hucvſque Præfatiuncula, in Cenſura ſuppoſititia Sacræ Facultatis novitèr inventa. Diviſſa videtur in quinque partes; prima incipit in illis verbis: *Cum in Comitijs*, & terminat in alijs: *De facto damnavit.* Secunda incipit: *Verum antequam*, & terminat, *ſe ſpondet*. Tertia incipit: *Declarat itaque*, & finit, *fuiſſe tranſlatam*. Quarta incipit: *Verum cum Sanctiſsima*, & terminat, *vniverſis proponit*. Quinta incipit: *Ad hæc advertens*, & ſiſtit in illis verbis, *tandem pronuntiavit*. De his omnibus agemus in particulari, nonnullas reflexiones ſingulis ſuperaddentes. Tranſeamus ad primam.

§. II.

SVPER PRIMAM PARTEM PRÆfationis Suppoſititiæ Cenſuræ.

8 PRIMA quidem pars Cenſuræ Suppoſititiæ aiebat ſic: *Cum in Comitijs ordinarijs Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis die 2. Maij anni Domini 1696. habitis in Aula Sorbonæ, poſt ſolemne Sacrum de Spiritu Sancto, Magiſter N.* (nomen omittimus) *Doctor & Syndicus eiuſdem Facultatis, librum obtuliſſet evulgatum ſub hoc titulo:* La Myſtiquè Citè de Dieu, &c. *vt Facultas in eum animadverteret; ſelecti ſunt quatuor ex Magiſtris eiuſdem ordinis, qui vnà cum DD. Decano & Syndico diligentèr legerent, & examinarent prædictum librum, & de eo ad proxima Comitia generalia referrent. Quod cum illi in varijs conſeſsibus privatis intra duos menſes habitis, magna & diuturna conquiſitione præſtitiſſent; die 2. Iulij eiuſdem anni, ſuffragijs conſentientibus, retulerunt, & exhibuerunt propoſitiones ex prædicto libro excerptas, quas cenſura notandas exiſtimarunt. Quibus auditis, dato omnibus, & ſingulis Magiſtris illarum propoſitionum cum earum notis indiculo, aſsignata ſunt Comitia generalia ad diem 14. eiuſdem menſis, in quibus auditis iterum ijſdem Doctoribus Deputatis, ac triginta duabus congregationibus habitis, in quibus centum quinquaginta duo Magiſtri dixerunt, die tandem 17. Septembris eiuſdem anni, Sacra Facultas, concluſione lata, prædictum librum damnandum cenſuit, prout de facto damnavit.*

REFLEXIO.

9 SELECTI *ſunt quatuor ex Magiſtris eiuſdem ordinis, &c.* Si ad negotia minoris momenti, tùm decem, tùm & amplius ſeliguntur Doctores à Sacra Facultate; cur ſic pauci ſelecti ſunt ad iudicandum librum, cuius fama celebris per Chriſtianum Orbem diffuſſa, eum fecerat deſiderabilem? Intra limitatum duorum menſium terminum, librum integrum 436. paginas in folio patenti continentem, legerunt; in eodemque breviſsimo tempore libellum cenſuræ conſcripſerunt. Iudicet ſenſatus inter tempus & opus.

Iuxta primam Impreſ. Matrit.

Se-

10 *Selecti ſunt quatuor ex Magiſtris eiuſdem ordinis*: vtilius forent diverſi, ne ſic facilè, tàm citòque convenirent in vnum. Eiuſdem erant ordinis, eiuſdem animi, & eiuſdem conditionis, vt ex effectibus coniectamus. *Diſputando, veritas eluceſcit*, inquit Gloſſa in extravag Ioann 22. cap. 2. verb. *Diſputare de verborum ſignificatione*: & certè quidem DD. Deputati amplius diſputaſſent, antequam convenirent, ſi eiuſdem non forent ordinis, eiuſdemque Opinionis. *Gloſſa in extravag.*

11 *Cum illi* (Deputati ſcilicèt) *varijs conſeſſibus privatis intra duos menſes habitis, magna & diuturna conquiſitione* (examē) *præſtitiſſent, &c.* Qui audierit, *magna & diuturnam conquiſitionē*, quid ſuſpicabitur, niſi quod ſuper hoc negotio annus integer ad minus conſūptus eſt? Si examen intra duos menſes concluſum, dici valet *magna & diuturna conquiſitio*: quibus explicabimus verbis, examen Supremi Tribunalis Hiſpanici pro rebus Fidei, vbi per vndecim annos integros facta eſt conquiſitio veritatis vel falſitatis in eiſdem Libris Myſticæ Civitatis Dei?

12 *Dato omnibus & ſingulis Magiſtris illarum propoſitionum cum earum notis indiculo, &c.* Indiculus datus eſt, ſed negatus, vel abſconditus Liber, vt ſupra retulimus. Ignorabant forsàn, vti tàm celebris Vniverſitatis Doctores, quod ex antecedentibus & conſequentibus verus ſenſus exceptæ propoſitionis comprobatur? Id expreſsè aſſerit S. Auguſtinus his verbis: *Solet circunſtantia ſcripturarum illuminare ſententiam*: *nec etiam alia loca ſcripturarum contulerunt*, (loquitur de hæreticis) *vnde hæreſes exortæ ſunt per ſe legendo, quæ conferendo repulſæ ſunt.* Cur ergo negatus eſt Liber iudicandus, volentibus, & iuſtè quidem, propoſitiones excerptas cum antecedentibus & conſequentibus conferre? *S. Auguſt apud Eminētij. Lauream. 1 p. to 3. in 3 ſent. diſp. 7. n. 150.*

13 *Triginta duabus Congregationibus habitis, in quibus cētū quinquaginta duo Magiſtri dixerunt, &c.* Sed quid dixerunt? Verum quid dicere poterant, cum vt fertur in Præfatione alibi relata, plures eorum nec libros Myſticæ Civitatis Dei vnquam viderant; imò nonnulli eorum, nec fortè ſi tale opus eſſet audierāt? Quidnam erant dicturi Doctores illi, qui exemplaria libri iudicandi poſtulabant, & ea conſequi non valuere? Alij autem, qui ex vicis circumcirca Pariſios à Factioniſtis collecti ſunt, quid dicturi erant, niſi quod à Patronis didicerant? Iuvenum item pars, quæ victricem ferè ſemper ſequitur portionem, cernens

Factioniſtas prævalere, in quam ſortem declinavit, haud dubitamus. Verum abſtineamus ab hoc, & ſat ſit nobis, calculationem huiuſmodi, nec validam, nec Sacræ Facultati tribuendã, doctiſsimos iam viros vna voce proclamare.

14 Statera prudentum ſemper fidelis, judicet nunc de illis verbis, *centum quinquaginta duo Magiſtri dixerunt*. De Magiſtrorum numero gloriari non debuit Author, quicumque ſit, cum illi centum quinquaginta duo Doctores non fuerint vnius labij, nulluſque eorum Cenſuram prout jacet cum Præfatione probaverit, vt diximus in Prologo num. 9. Cęterum ſi de prima calculatione loquatur Author, credimus quidem quod omnes dixerunt, neſcimus autem quid. Ex Præfatione relati tractatus ſcimus, diviſos fuiſſe Doctores: nec ignoramus quod ex eis aliqui cõvitiabantur libro & Authori; nobis autem non licèt, juſtiſsima Decreta Sacri Tribunalis Fidei præ oculis habentibus, & venerantibus, convitia convitijs repellere, ſed rationes rationibus & authoritatibus enervare.

Decretũ Sac. Inquiſit. Hiſpã.

15 *Die tandem 17. Septembris, Sacra Facultas, concluſione lata, prædictum librum damnandum cenſuit, &c.* Relatum manet, Sacram Facultatem Theologiæ Pariſienſis Librum noſtrum haud damnaſſe; libellumquè Cenſuræ non à Sacra Facultate, ſed à Deputatis procedere. Verum dato & non conceſſo, à Comitijs Sorbonicis factum eſſe Decretum, ſententia damnationis nulla eſt, propter quatuor capita ab inſigni D.D. Ioanne de Leyba in vtroque jure Doctore, Regiſque noſtri Catholici in Metropolitana Granatenſi Maioris Flaminis titulo inſignito, in eius juridica Declamatione adverſus Proceſſum factum à Sacra Theologica Facultate Pariſienſium in qualificatione Libri de Myſtica Civitate Dei: primò, quoniã irreverentèr violata eſt Apoſtolica manus: ſecundò quoniam illegitimè delatus eſt liber traductus, abſque prævia comparatione cum proprio exẽplari: tertiò, propter inordinatam, temerariamquè Authoris famæ læſionem: quartò, quoniam ſententia factioſa proceſsit, & non ſatis à Iudicibus percepta materia judicanda, propter repentinam reſolutionem ſuffragantium, &c. *Videatur citata Declamatio.*

D. Ioann. de Leyba in ſua Declamat. per tot.

16 *Prædictum librum damnandum cenſuit, prout de facto damnavit.* Falſò in primis Libri damnatio Sacræ tribuitur Facultati, de quo ſupra. Cœterum, vnde Sacra Facultas authoritatẽ

obtineat ad damnandos Libros, prorſus ignoramus. Scimus quidem, SS. Pontificem Innocentium Vndecimum per Decretum editum in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ & Vniverſalis Inquiſitionis die 2. Martij 1679. determinaſſe, vt omnes Doctores Scholaſtici, aut alij quicumque, in poſterum ſe abſtineant ab injurioſis contentionibus, & in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcepiſſe, vt caveant ab omni Cenſura, & nota, nec non à quibuſcumque convitijs contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à Sancta Sede recognitæ, ſuper ijſdem propoſitionibus judiciũ proferatur: authoritas igitur non erat in Sacra Facultate Theologiæ Pariſienſis ad ſic cenſurandas propoſitiones, nec ad librũ damnandum. *Decret. SS. Innocent. XI.*

17 Præterea memores ſint Sorbonici Doctores, quod poſtquam Sacra Facultas librum prohibuit, & damnavit Amadei Guimenij, reprehenſionem accepit ab Apoſtolica Sede ſumpto motivo ex eo, quod ſupremam Authoritatem vſurpaverat, vt videre eſt in Decreto Alexandri Septimi infra citando. Nec novimus, vnde maiorem quoad hoc ſortiatur authoritatem Sacra Facultas Theologiæ Pariſienſis, quam Sacra Facultas Theologiæ Salmanticenſis, vel Sacra Facultas Theologiæ Complutenſis, &c. immo æqualem legimus in Conſtitutione octava Alexandri IV. tom. 1. Bullarij editionis Romanæ, vbi dicitur: *Vniverſitatum Pariſienſis, Bononienſis, Salmanticenſis, aliarumque probatarum ſtudia, ad librorum expugnationem & correctionem excitent, earumque diligentiam, & induſtriam requirant.* Quibus in verbis duo notatu digna reperimus: Primò, eandem facultatem Vniverſitatibus Bononienſi, & Salmanticenſi, quam Pariſienſi concedi. Secundò, æqualitèr omnibus his Vniverſitatibus negari, poſſe libros damnare, vel prohibere, niſi excitando, vt ab habente authoritatem damnentur, vel corrigantur. *Decret. Alexand. VII.* *Decret. Alexand. IV in Bullar. edit. Rom.*

18 Nec obſtabit reſpondere, in Hiſpaniarum Regnis à Sacro Fidei Tribunali quotidie damnari, vel expungi libros. Hoc verum fatemur, ſed pro nobis militat argumentum. Uel munus Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem collatum eſt Sorbonicis Comitijs; vel ad Epiſcopum, ſivè Archiepiſcopum reddactum? Si primum, jura demonſtrent, ſi ſecundum; Archiepiſcopi nomine, non Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis debuit fieri prohibitio. Verum certius nobis eſt, Sacram Facultatem, ſi li-

librum damnavit, (quod non concedimus) authoritatem ſibi
Leyba ſup citat. non propriam, neque conceſſam arrogaſſe; vt probat Author
Iuridicæ Declamationis, ſupra relatus.

§. III.

SVPER SECVNDAM PRÆFATIONIS partem Suppoſititiæ Cenſuræ Sac. Facult. Theolog. Pariſienſis.

19 SECVNDA relatæ Præfationis pars ſic erat: *Verum antequam propoſitionibus exhibitis ſingulares notas apponat, præmittendam cenſuit conteſtationem publicam, qua profitetur, ſe nihil quidquam ferenda Cenſura, imminutum velle de vero, & legitimo cultu, quem Sanctiſsimæ Deiparæ exhibendum præſcribit Catholica per Orbem Eccleſia, cuius quidem honoris vindicem ſe præ cæteris præbuit hactenus, & qualibet occaſione data, præstituram ſe ſpondet.*

REFLEXIO.

20 VERVM *antequam propoſitionibus exhibitis ſingulares notas apponat Sacra Facultas, &c.* Verius diceret, *poſtquam propoſitionibus exhibitis ſingulares notas appoſuit*; cum certe compertum ſit, Præfationem huiuſmodi ſuperadditam apparuiſſe die 1. Octobris, poſtquam die 17. Septembris eiuſdem anni fertur ab Authore, primi Libelli ſuffragia Doctorum in Comitijs Sorbonicis fuiſſe regulata. Nec hoc dubitari valet inſpecto libello Cenſuræ Deputatorum, & attento ſecundo libello, iuſſu Syndici die 1. Octobris in Aula Sorbonæ abſque Doctorũ ſuffragijs publicè conclamato, vt in Prologo ſupra retulimus.

21 *Præmittendam cenſuit conteſtationem publicam, &c.* Cõteſtatio inibi explicata ſancta eſt, & laudabilis; verum non præmittitur, quod poſtponitur; ſicut nec eſt ante, quod poſt. Si igitur Præfatiuncula hæc in honorem Sacratiſsimæ Virginis ſuperaddita comprobatur; quomodo præmittenda cenſetur?

22 *Se nihil quidquam ferenda Cenſura imminutum velle de vero, & legitimo cultu, quem Sanctiſsima Deiparæ exhibendum præſcribit Catholica per orbem Eccleſia, &c.* Doctores illi qui-

cum-

cumque ſint, veros eſſe Catholicos, conteſtantur; timidos autem experimur in Deiparæ laudibus. Surrexerunt Filij Virginis, & Beatiſsimam prædicaverunt: Iſti ſurgere nolunt vt quidquam honoris ſuperaddant. Nihil quidquam imminutum volunt, nec aliquid ſuperadditum admittunt. Terminum præfigunt in ea, quam Altiſsimus adornavit ſine termino, nobis noto, immo fecit potentiam in brachio ſuo. *Quam magna eſt domus Dei* (ait Sanctus Methodius loquens de Maria Virgine) *& ingens locus poſſeſsionis eius? magnus eſt, & nō habet finē, excelſus, & immenſus.* S. Method in Hypop. Domini.

23 *Cuius quidem honoris vindicem ſe præ cæteris præbuit hactenus, & qualibet occaſione data, præſtituram ſe ſpondet, &c.* Non ad Sacram Facultatem, ſed ad Authores Præfationis huiuſmodi, quicumque ſint, dirigitur ſermo noſter. Dato vero ex coniectura, nōnullos fuiſſe Doctores Sorbonicos, dicitote mihi: Si ianuam clauditis occaſioni, vnde quæritis occaſionem? Vt vindices eſſetis honoris Eccleſiæ, expectare debueratis iudicium Eccleſiæ. Neſciebatis forſitàn, Vicarium IeſuChriſti, & Eccleſiæ Vniverſalis Rectorem avocatam ſibi poſsidère cauſam huiuſmodi, erectumque in Romana Curia perſiſtereTribunal iuſſu Sanctiſsimi ex Uiris Apoſtolicæ confidentiæ, vt volumen hoc legant & examinent, de eoque Sanctitati ſuæ referant eformatum conceptū? Deberetis ergo præ cœteris vos vindices exhibere honoris iuſtè debiti Supremæ Dignitati, vt recolentes caput, corpus totius Eccleſiæ Sorbonica potenti manu ſervaretur illæſſum. Contrarium verò feciſtis; & ab initio non fuit ſic in antiquis Sorbonæ Doctoribus anteceſſoribus veſtris. Recolite memoriam illius antiquiſsimi Decreti Sacræ Facultatis veſtræ, dat 3. Martij ann. 1496. de Conceptione Immaculata defendenda, vbi inter alia, hæc leguntur: *Cum multas Maiores noſtri* (loquitur Sacra Facultas Theologiæ Pariſienſis Doctoribus Filijs præſentibus, & futuris) *fortiſsimi & florentiſsimi Catholicæ Fidei Milites, naſcentes varijs temporibus hæreſes, nullis vnquam laboribus, nullis periculis deterriti, ſacris ſuis diſputationibus oppreſſerint: in illos tamen errores, qui Immaculatæ, & Glorioſiſſimæ Dei genitricis laudem & dignitatem violare viſi ſunt, peculiari quodam & ſancto perfectoque odio vehementius inſurgendū, &c.* Et infra ad Paſtores animarum ſermonem convertens, proſequitur eadem Sacra Facultas: *Per Ieſu Chriſti Domini noſtri Miſericordiæ viſcera, eiuſque Matris intemeratæ Virginis Charitatem,*

Decret. Sac. Facul. Theo. Pariſienſis, an 1496. apud Cēſurā Cenſuræ.

tem, obteſtamur noſtris, imò potiùs Divæ Mariæ hoſtibus reſiſtite, veſtris eos finibus abigite, & mulctatos expellite: vt religioſa Populi Chriſtiani in Glorioſiſsimam Dei genitricem vnam humani generis ſpem devotio, Pietas, & Charitas in dies magis ac magis foveatur, augeatur, accendatur, &c.

24 Hæ ſunt Celeberrimæ Facultatis Pariſienſis erga pias Fideliū de SS. Virgine Opiniones. Legitote hæc, & videte animum celeberrimæ Facultatis veſtræ. Attendite, quomodo Sacra Sorbonæ Facultas eos pro hoſtibus habeat, qui maiores Deiparæ cultus hoſtes ſe præſtant? Quomodo in dies magis ac magis augebitur Pietas & devotio, ſi via clauditur Pietati?

§. IV.

SVPRA TERTIAM PRÆFATIONIS partem Suppoſititiæ Cenſuræ Sac. Facult. Theolog. Pariſienſis.

25 PRÆFATIONIS tranſcriptæ tertia pars ſic videtur: *Declarat itaque, ſe Sanctiſsimam Virginem Mariam, vt verè & propriè veri Dei Matrem venerari, & magnificare, eamque vniverſa viſibili, & inviſibili creatura ſuperiorem reputare, vt loquitur Sanctus Romanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Tenere ſe etiam cum Eccleſia, Beatiſsimam Virginem ſpeciali Dei Privilegio immunem fuiſſe à peccatis omnibus, etiam venialibus; eamque cum Sancto Proclo, tamquam penetrale innocentiæ Sacrarium venerari. Se quoque confiteri, illam eſſe Matrem Dei, ſimul & Virginem, ſemperque Virginem: ac proinde deteſtari hæreſes Neſtorij, Ebionis, Ioviniani, Helvidij. Agnoſcere cum Sancto Ireneo, Advocatam: cum Sancto Baſilio Seleucienſi, alijſquè Patribus, Mediatricem; tùm pro materna, qua ſalutis noſtræ negotium apud Filium pertractat charitate; tùm pro ſumma, qua apud ipſum pollet gratia; eiuſque, vt dignitatem ſupra Sanctos omnes prædicat, & ſuſcipit, ita & potentiori eius interceſsioni, & tutelæ præcipuè confidere. Stare ſe determinationi Maiorum ſuorum de Conceptione Immaculatę Virginis Marię; videlicèt, quod in ſua Conceptione preſervata fuit ab originali labe. Sentire ſe denique cum veteri Liturgia Gallicana, eam in Cœlum poſt mortem cum corpore & anima fuiſſe trāſlatam.*

S Romanus epiſt. ad Ioann. Epiſc. Synad. 7. Syno. act. 4.
S Proclus orat. 6 in SS. Deip.
S. Ireneus lib 5. adverſ. hæreſ. c. 19
S. Baſil. Seleuc. Orat. in Annūtiat
Liturgia Galli edita à Mabilonio.

REFLEXIO.

26 D*ECLARAT itaque, ſe Sanctiſsimam Virginem, vt verè & propriè veri Dei Matrem venerari, & magnificare, &c.* Fatentur in hoc Authores Præfationis, quod quilibet fidelis, nec alitèr pius & verè fidelis. In hocce ſingulari Privilegio Divinæ Maternitatis, cœtera Sanctiſsimæ Virginis dona & privilegia continentur implicitè, vt expreſsis verbis Author fatetur pluribus in locis, & præcipuè ſecunda parte Myſticæ Civitatis Dei num. 1508. à lin. 10. *Myſt Civ. 2. p. num. 1507.*

27 *Eamque viſibili & inviſsibili creatura Superiorem reputare, &c* In hac tertia parte Præfatiunculæ Cenſuræ ſuppoſititiæ, Reginæ Matris proſequuntur encomia, in eaque profitetur, licèt ementito nomine, Sacra Facultas, SS. Virginem vniverſa viſibili & inviſibili creatura ſuperiorē, immunem à peccatis omnibus, etiam venialibus; penetrale innocentiæ Sacrariū; Matrē Dei ſimul & Virginē ſemperq; Virginē; Advocatam, Mediatricē; ſumma gratia pollentē; ſupra Sāctos omnes Dignitatē excellentē; potentiori intercelsione & tutela nobis propiquā; ſinē labe originali conceptam; in cœlumque poſt mortem corpore & anima translatam. His penè clauduntur Virginis elogia in tertia Præfationis parte contenta. Ad hæc profitenda muniūtur authoritatibus Sanctorum; quaſi non vltra progrediendum, & quaſi ſi in Sanctis Patribus & Eccleſiæ Doctoribus nulla alia legantur Sacratiſsimæ Virginis ſingularia Privilegia. Vt ergo, ſi fortè, quod abſit, errore tali delusi, de alijs vltra hæc privilegijs, prærrogativis, & Mariæ donis, in admirationem ducantur Authores Præfationis, nonnullas Sanctorum Patrum vel Doctorum authoritates in ſequentibus adhibemus.

28 Loquatur in primis S. Thomas à Villanova, qui vt timidos excludat, vel timorem à Doctoribus depellat in laudibus Virginis concinendis, hæc ait: *Solve cogitationis habenas, dilata intellectui fimbrias, & deſcribe apud te in animo tuo Virginem quamdam puriſsimam, prudentiſsimam, pulcherrimam, omni gratia plenam, omni gloria pollentem, omnibus virtutibus ornatum, omnibus charijmatibus decoratam, Deo gratiſsimam; quantum potes, tantum auge; quantum vales, tantum aude, maior eſt iſta Vir-* *S. Thom. à Villanov. Ser. 2. de Nativita. Virg.*

go, excellentior eſt iſta Virgo, & ſuperior. Attende quod ſequitur. *Non eam Spiritus Sanctus litteris deſcripſit, ſed tibi eam animo depingendam reliquit, vt intelligas, nihil gratiæ, aut Perfectionis, aut gloriæ, quam animus in pura creatura concipere poſsit, defuiſſe; imò re ipſa intellectum omnem ſuperaſſe.* Conſonat Venerabilis Author to. 1. Myſticæ Civitatis Dei, num. 608. ferè in omnibus verbis.

Myſt.Civ. 1.p. num. 608.

29 Si Authores Præfationis Suppoſititiæ Cenſuræ optant ligari cogitationis habenas: noſter Thomas ſolvi deſiderat. Si illi comprimunt intellectui fimbrias, ille dilatat Si illi nollunt aliquid ſuperaddi animo diſcurrentis; ille præcipit, Doctorem fidelem & pium deſcribere in animo ſuo Virginem puriſsimam prudentiſsimam, &c. Si illi dicere pertentant: Quantum potes, tantum deme, quantum vales, tantum adime, & quæ expreſsè dicuntur ab Eccleſia, vel à nobis citatis Sanctis Patribus ſolū concede: Thomas è contra vociferat: Quantum potes, tantum auge; quantum vales, tantum aude, Maior eſt iſta Virgo, &c. Si illi dixerint: iam eam Spiritus Sanctus Litteris Sacris deſcripſit: non ergo licèt alicui, eam denuo delineare: verbis Sācti Thomæ roboremur, & audiamus eum dicentem nobis: *Non eam Spiritus Sanctus litteris deſcripſit, ſed tibi eam animo depingendam reliquit, &c.*

Seraph. Doct. ad Caniſ lib. 1.de Mar. Deip. c 8. Idem in Spec. lect. 5.

30 Ad Certamen Marianum etiam deſcendat Seraphicus Doctor Bonaventura, qui loquens in defenſionem privilegiorū Sacratiſsimæ Virginis, ait: *Temerarium eſt terminum præfigere Deo, amplius enim poteſt, quam nos poſsimus cogitare.* Et in Spec. lect. 5. ait: *Immenſa certè fuit gratia, qua Maria fuit plena; Immenſum enim vas non poteſt eſſe plenum, niſi immenſum ſit illud, quo eſt plenum. Maria autem vas immenſiſsimum fuit, ex quo illū, qui cælo maior eſt, continere potuit. Si ergo Maria tàm capaciſsima fuit ventre, quanto magis mente?* Conſonat Venerabilis Mater n. 1515. part. 2. vbi motivum adhibet, cur mortales limitare conantur Altiſsimi potentiam in adornanda Vnigeniti ſui Digniſsima Matre.

Caniſ lib. 1 de Mar. Deip. c.8. fol. 34.

31 Divi Bonaventuræ propoſitum extendit & illuſtrat Erudiriſsimus Caniſsius lib. 1. de Maria Deipara cap. 8 fol. mihi 34. vbi ait: *Non poſſumus pleriſque novatoribus aſſentiri, qui contentionis potius, quam Chriſtianæ pacis viam amantes, omne quæſtio-*

tionum genus ad ſolas ſcripturas revocant, & præter illas nihil ferè admittunt, ſivè de Maria, ſivè de rebus alys. Quid autem hoc eſt aliud quæſo, quàm cum Deo ipſo pugnare, & præpotentis ſpiritus gratiam, qui vbi vult, & quando vult ſpirat, ac docet, vel extinguere, vel impedire? Quid eſt, inquam, niſi vias illas ad veritatem inveſtigandam, non ſine Divino Numine nobis monſtratas, atque patefactas perturbare? Faceſſant igitur moroſi Cenſores, qui ſtatim nauſeant & offenduntur, cum ea de Maria Virgine legunt, vel audiunt, quæ in Verbo Dei non ſunt explicata, ſed rationi piorum conſentanea, vt de Matre Domini rectè, piè, ac probabilitèr aſſirmentur. Haud proprius vir iſte doctiſsimus, & pius, loqueretur, ſi in caſu noſtro cum Sorbonicis Doctoribus ageret certamen. Statim vt iſti in libris Myſticæ Civitatis Dei, quam plura quæ in Sanctorum Patrum codicibus expreſsis illis verbis non relata legerunt, elevarunt cum tumultu vocem ſuam, clamantes & dicentes, falſa ſunt hæc, temeraria, ſcandaloſa, erronea, &c.

32 Noverint Pariſienſes, plurima de Sanctiſsima Virgine præter eſſe Advocatam, a peccatis immunem, Mediatricem, ſine labe conceptam, & corpore & anima in Cœlum trãſlatam, in Sanctorum Patrum operibus paſsim inveniri, quam pluraque alia nunc dici, & vſque in finem mundi dicenda ſervari. Audiendus venit Ricardus de Sancto Laurentio ſuper Pſalm.86.vbi loquens de Virgine Maria, ait: *Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei; nec ſolum dicta ſunt, ſed etiam dicuntur quotidie & dicentur vſque in æternum. Christus enim Mariæ Filius, qui antiquis inſpiravit, vt de Matre ſua enigmatibus glorioſa prædicerent, ipſe & quoſdam illuſtrat, & etiam vſque ad finem mundi aliquos illuſtrabit, vt ſemper aliqua glorioſa ſuperaddant.* Idem paucioribus verbis, & maiori authoritate diſſeruit Mellifluus Bernardus in deprecat. ad Virg. Mariam, vbi ait: *Glorioſa dicta ſunt de te Sancta Dei Genitrix, ſed adhuc locus eſt tuæ laudi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit.* His valdè conſonat Venerabilis Author to.2.n.44.55.909.536.694.712.798. & 1126. & tom.3.num.691.vbi expreſsè aſſerit id quod in ſupradictis authoritatibus continetur.

Ricard de S.Laur.in Pſal.86.

S.Bernar. in Deprec ad Virg. Mariam.

Myſt.Civ. var.in loc hic citat.

33 Trepidaverunt igitur timore Doctores Pariſienſes vbi nõ erat timoris occaſio. Faxit Deus vt lumine Sanctorum noſcant mutare ſententiam, & de Sacratiſsima Virgine digna pietate

concipere, loqui, ſcribere, & prædicare. Si enim vſque ad finem mundi Gloriola in dies dicenda ſunt de Myſtica Civitate Dei Maria: ſine cauſa ergo Cenſores nauſeant & offenduntur, cum ea legunt, quæ in Verbo Dei ſcripto haud expreſsis vocibus continentur.

§. V.

SVPER QVARTAM PRÆFATIONIS partem Suppoſititiæ Cenſuræ Sac. Facult. Theolog. Pariſienſis.

34 QVarta Præfationis pars ſic legitur: *Verum cum Sanctiſsima Virgo falſo non egeat honore, veris cumulata honorum titulis, & inſulis dignitatum, vt docet Sanctus Bernardus; immoderatum, ſuperſtitioſum, commentitium cultum planè non admittit Sacra Facultas; ſiquidem non eſt hoc Virginem honorare, ſed honori eius detrahere, vt idem Sanctus Bernardus loquitur. Inde obſervabat olim ſapientèr Sanctus Epiphanius, par & idem ex ambabus hæreſibus detrimentum accidere, cum alij Sacroſanctæ Virginis Dignitatem elevent, alij præter modum & rationem attollant. Rectè autem ad propoſitum addit idem Epiphanius: poſterius dogma (eorum ſcilicet, qui Virginis dignitatem præter modum attollunt) Vix alios Authores ac Patronos habere, quam mulieres. Mirum enim eſt, quantum in hoc genere in prædicto libro, cuius vna verſio Gallicana Facultati exhibita eſt, exceſſerit & aberraverit mulier illa, quæ hiſtoriam texuit vitæ BB. Virginis, tàm abſonam certè, quàm inauditam, quamquè dum à Deo ſibi revelatam aſſerit, ſi non intendit illudere legentibus, ipſa profectò manifeſtè illuditur; vbi fabulas, nugas, commenta, & errores, quorum Deus Author eſſe non poteſt, pro Myſterijs Divinitus revelatis obtrudit, & velut veritates conſtantes vniverſis proponit.*

S.Bernar. Epiſ 174. ad canon. Lugdun. S. Epiph. hæreſ. 79. adverſ. Collyridianos.

REFLEXIO.

35 VERVM *cum Sanctiſsima Virgo falſo non egeat honore, &c.* Scimus quod Sanctiſsima Virgo falſo non eget

eget honore; ſed quid inde? Vt Authoribus Præfationis & Cenſuræ, Divi Bernardi ſententia proficeret, deberent prius oſtendere, quod in libris Myſticæ Civitatis Dei falſus honor Virginis manifeſtè continetur; hoc vero, nec probant, nec facilè probare valebunt. Argumentum in recta forma ſic deberet procedere: Sanctiſsima Virgo falſo nó eget honore; ſed in libris Myſticæ Civitatis Dei falſus Virginis honor continetur: ergo, &c. Minore non probata, quid proficit veritas maioris? Nec latet Pariſienſibus argumentum Divi Bernardi Myſterio Conceptionis applicatum, ſic in illo tempore formatum fuiſſe: Sanctiſima Virgo falſo non eget honore; ſed Myſterium Immaculatæ Conceptionis falſum Virginis includit honorem: ergo, &c. Dum minor putabatur vera, inſtabat argumentum ex maiori procedens; minore vero falſificata, inutilis ad conſequentiam manet veritas in maiori. Vt igitur Authoribus Præfationis ad aliquid ſententia illa deſerviat, parum valet concepiſſe in libris Venerabilis Authoris falſum honorē Virginis contineri, niſi id probent, quod vſque modo non probant, ſed ſolum liberè dicunt, quod in eorum Cenſura legimus adaptatum.

S. Bernar. Epiſt. 174. ad Canon. Lugdun.

36 ***Immoderatum, ſuperſtitioſum, commentitium cultum planè non admittit Sacra Facultas, &c.*** Nec nos admittimus pro veritate laborantes. Si Zelatores Sorbonici ſuprapoſitas Sanctorũ Patrum authoritates, aliaſque infra ponendas, innumeraſque alias, brevitati ſtudentes neceſſario relinquendas, præ oculis haberent, certè haud ſic feſtinantèr immoderatũ, & ſuperſtitioſum cultum invenirent in libro primo Myſticæ Civitatis Dei. Immoderatum, ſuperſtitioſum, commentitium cultum planè nó admittit Religio Sancta Minorum, & vſque modo non reſpuit, ſed defendit libros Myſticæ Civitatis Dei. Immoderatum, ſuperſtitioſum, commentitium cultum planè non admittit Sacrũ Fidei Tribunal Hiſpanicum, & vſque modo poſt longum examē non invenit immoderatum, ſuperſtitioſum, & commentitium cultum in libris Myſticæ Civitatis Dei. Innumeri Viri Doctiſſimi qui vſque ad præſens libros Myſticæ Civitatis Dei Chriſtiana pietate legerunt, de quibus alibi, immoderatum, ſuperſtitioſum, & commentitium cultum in eis non invenerunt: non igitur ſic apertum immoderatum, ſuperſtitioſum, & commentitiũ cultum apparet in dictis libris, ſicut his Sorbonicis Doctoribus viſſum eſt.

Poſ-

37 *Poſterius dogma (eorum ſcilicèt, qui Virginis Dignitatem præter modum attollunt) vix alios Authores, ac Patronos habere, quam mulieres, &c.* Propoſitionem ſingularem Sancti Epiphanij in generalem vertere & extollere volunt noſtri Pariſienſes. Loquitur Sanctus Epiphanius de hæreſi inventa à quibuſdam mulieribus, Deitatem in Sanctiſsima Uirgine recolentibus: ex quo Sorbonici iam mulieres pauperculas Authores efficere volunt cunctarum hæreſum, quæ Virginis Dignitatem præter modum attollunt. *Per vnum hominem intravit mors, & per alium hominem reſurrectio mortuorum.* Itidem, *ſola fuit mulier, patuit qua janua lethi: ex qua vita redijt, ſola fuit Mulier.* Fatemur quidem, ad Diaboli & imaginationis fraudes, promptiores ex ſexu fragili reperiri mulieres. Neque hoc negat noſtra Venerabilis Author; imò vt inimici falatijs januam claudat, num. 617. primæ part. quam plura mulieribus prævenit, & præcipuè, ne in deſideria revelationum leventur. Ad idem faciunt num. 313. part. 2. & num. 314. 436. & 437. part. 3.

S. Epiphã. Hæreſ. 79 ad verſ. Collyridian. 1. Cor. 15. v. 21. Poet. Sedul. in Poemat. heroi ap. Bibliothec. SS. Patr. Myſt. Civ. var in n. hic cit.

38 Enimverò licèt dicta vera ſint, negari non valet abſquè temeritate, revelationum Divinarum, & ſpiritus Prophetiæ etiam Mulieres eſſe capaces. Hoc teſtatur Ioel Propheta cap. 2. verſ. 28. vbi ait: *Etenim poſt hæc: effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ*; & verſ. ſequenti iterum dicit: *Sed & ſuper ſervos meos & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.* Idem invenitur in Actibus Apoſtolorum cap. 2. v. 19. Et concors videri poteſt Ven. Mater num. 14. Introd. ad 1. par. Myſticæ Civitatis à lin. 7. Et poſt Introd. num. 617. & 618. & 2. p. n. 226. 321. & 1049. Et 3. p. n. 436. collat. cum num. 314. eiuſdem 3. p. quibus in locis ſelectiſsimis rationibus, & Cæleſtibus doctrinis concludit aſſumptum.

Ioel. 2. v. 28.

Myſt. Civ. hic cit.

39 Collimat Sancta Thereſia à Iesv, de qua canit Eccleſia: *Multa Cæleſtis ſapientiæ documenta conſcripſit, quibus fidelium mentes, ad ſupernæ Patriæ deſiderium maximè excitantur.* Hæc erat mulier, vbi ſexus non obfuit: ergo, &c.

Lect. in Offi. ſãct. Thereſ.

40 Idem roboratur lib. 4. revelat. S. Birgittæ cap. 143. fol. mihi 544 col. 2. in fine, vbi loquens Dominus ait: *Tertium erit ſignum, quod ego Deus loquor cum vna muliere verba mirabilia, ad quid hoc? & ad quem fructum, niſi ad animarum ſalutem,*

Revel. S. Birgit. lib 4. c. 143.

&

& vtilitatem, & vt boni fiant meliores? Sciant igitur Authores Præfationis, quod verbum Dei non eſt alligatum, & quod idem eſt Dominus virorum ac mulierum; idemque Spiritus Sanctus, qui vbi vult ſpirat. *2 Timot. 2. v. 9. Galat. 4. v. 2 Ioan 3. v. 8.*

41 Item lib 2. Revelation. S. Birgittæ cap. 16. ait Dominus Sponſæ ſuæ dilectæ: *Mirantur multi, cur tecum loquor, & nō cum alijs.* Et cap. 46 Revelat. extrav. *Bene habeo Amicos per quos voluntatem meam, ſed tibi tamquam inſtrumento novo, oſtendere volo nova & vetera, vt ſuperbi humilientur, & humiles glorificentur:* Et cap. 48 Extravag. *Ex charitate mitto eis verba oris mei, quæ per vnam fœminam loquor.* Si ſic placitum eſt Deo, quis audeat contradicere? *Revel. S. Birgit. lib 2 cap. 16 & c. 46. Extrav. cap. 48.*

42 De incredulis Cenſoribus loquitur Sancta Catharina Senenſis tract. 2. cap. 85. his verbis: *Vnde tales admirari ſolent, & aliquandò murmurare, ridendo, Sacram Paginam ignorantes, &c.* Ibique videri poteſt, quo titulo nominentur à Sancta tales irriſores. Sufficiant dicta, vt intelligant Sorbonici, Revelationes privatas ſine cauſa deſpici, dum eo ſolùm quod mulieribus factæ proponuntur, ludibrio committunt. Si hæreſes nonnullæ alios non habent Authores ac Patronos niſi mulieres, recordentur, quod innumeri ſunt errores non alios habentes Authores ac Patronos præter homines. Veneratione ac devotione fidelium leguntur in Eccleſia Catholica privatæ Revelationes S. Birgittæ, S. Hildegardis, S. Getrudis, S. Mariæ Magdalenæ de Pacis, S. Catharinæ Senenſis, S. Melchiadis, Seraphicæ Thereſiæ à Ieſv, &c. quæ omnes numeratæ ſunt de devoto fœmineo ſexu: Has omnes deſpiciunt Cenſores, ſi privatas Revelationes, ſolùm quia mulieribus factas, ſic irriſoriè contemnunt. *S. Cath. Senenſ. tract. 2. cap. 85.* *Sanctæ mulieres cœleſtibus revelationibus ditatæ.*

43 *Mirum enim eſt, quantum hoc in genere in prædicto libro, exceſſerit, & aberraverit Mulier illa, &c.* Si tantum aberravit mulier illa, cur ſic paucas & numeratas propoſitiones Cenſura dignas annotarunt? Etſi in paucis, tàm levi, vt conſtabit, fundamento, ſic exarſerunt, indignationis & furoris ignem ſpirantes; quomodo credendum nobis relinquunt, quod ſi alias propoſitiones inveniſſent cenſura dignas, ſilentio committerent? Mirum revera eſt quantum in hoc genere cenſurandi exceſſerint Doctores illi, vt in progreſſu huiuſce defenſionis patefiet.

44 Nec ſine nota prætereundum, quo deſpectu nomina-

ve-

verint Venerabilem Chriſti Sponſam in illis verbis: *Mulier illa:* Nomen habet, & vndequaque dulce, dum *Maria à Ieſv*, ipſum eſt nomen eius. *Seductor ille* vocatus eſt Chriſtus Dominus; & *Seductrix*, vel *Seducta Mulier illa*, vocata eſt Sponſa fidelis Chriſti Domini: Sponſus igitur & ſponſa ferè eadem in hoc confixi ſunt contumelia. *Seductor ille vocatus eſt Dominus Ieſvs adhuc vivens*, ait Divus Auguſtinus, *ad exemplum ſervorum ſuorum, vt cum ſimili vocentur nomine; patientèr ferant.* Patientèr & nos toleramus injuriam innoxiæ ſervæ Domini collatam.

Mat. 27. v. 63.

S. Auguſ. ſup. Mat. 27.

45 Notum vero ſit omnibus Pariſienſibus in hac cauſa contrarijs, quod *Mulier illa* eſt Venerabilis Mater Soror Maria à Ieſv de Agreda, quæ ab infantia ab omnibus eam communicãtibus, tanquam ſancta celebrata eſt, quam pluraque mirabilia à primeva ætate in ea viſa ſunt.

Relatio vitæ §.2. *& 3.*

46 *Mulier illa* eſt Venerabilis Maria à Ieſv de Agreda, propter quam, vt ex effectibus coniectatur, Altiſsimi diſpoſitione mirabili, paterna domus facta eſt ſacratum Sponſarum Domini Monaſterium, oraculo accepto ab imagine IeſuChriſti, voce ſenſibili. *Videatur Relatio Vitæ* §. 4.

Ralat Vitæ, §.4.

47 *Mulier illa* eſt Ven. Maria à Ieſu de Agreda Autrix, vel potiùs ſcriptrix, Authore divina luce, vt piè credimus, Myſticę Civitatis Dei, cuius ſpiritus ſtricto examini ex alienis Religionibus viris doctiſsimis ac celeberrimis ſubiectus, ab omnibus tanquam ſpiritus ſine dolo iudicatus eſt, ſcientiaque eius vt cęlitus infuſſa conclamata. Ex his numerantur Reverendiſ. P. M. Fr. Ioannes à Sancto Thoma Religionis Dominicanæ, Regis noſtri Catholici Confeſſor, ſapientia, doctrina, virtute, & pietate omnibus notus, qui poſtquam tractavit cum Venerab. Abbatiſſa, teſtatus eſt, ſe defenſurum in quocumque Theologorum concurſu, V. M. Mariam de Agreda ornatam eſſe ſupernaturali ſcientia infuſſa, quod & expertus fuerat, vt dicitur in Prologo Defenſorij R. P. Ioſephi de Falces, ſub num. 13. & 93. & in ſuo Diſcurſu Apologetico fol. 187. R.P. M. Arriola Regalis Militaris Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Theologus & Concionator celleberrimus, de quo in proceſſu Apoſtolica authoritate formato, in ordine ad Beatificationem & Canonizationem ſolemnem huius Ven. Sponſæ Chriſti celebre habetur teſtimonium juramenti ſoliditatę firmatum. R. & V. P.

Relat Vitæ §.9.

Falces diſc. Apologet. fol. 187. ſub n. 263.

Magiſter Arriola Mercenarius.

Em-

Emmanuel Ortigas, Societatis Ieſv, Apoſtolicus Miſsionarius, qui Seraphicæ Religionis directione conductus, Ven. Matrem ſæpè ſæpiùs audivit, ſcripta eius legit, & poſt obitum ipſius V. Servæ Dei, Revelationes eius, quæ ad vtilitatem fidelium pertinere videbantur, ſingulari devotione in Miſsionibus publicis referebat. Sufficiant hi ex alijs multis alibi citandis. De varijs Myſticæ Civitatis Dei cordatis examinibus, tùm in Religione noſtra, tùm & extra, dicemus infra. *Ortigas Ieſuita.*

48 *Mulier illa* eſt Venerabilis Maria à Ieſv de Agreda, quę in omnibus Hiſpaniarum Regnis, excluſo cultu publico, veneratur vt ſancta, & meritis ipſius, vt piè creditur, innumera Divinæ Miſericordiæ referuntur accepta beneficia. Ante, & poſt obitum miraculis claruit, inter quæ illud celeberrimum, quod pauperculus homo, lumine oculorum amiſſo, precibus & meritis huius Ven. Sponſæ Domini, gratiam ſingularem accepit, vt in arte & facultate ſua tali dexteritate laborare poſſet, ac ſi viſum haberet: (erat enim ſutor) miraculumque hoc fuit omnibus notum, & Ordinarij authoritate ad ſupradictum efformandum publicum proceſſum coram multis teſtibus comprobatum. *Illuſtr. Saman. in Relat vit.*

49 *Mulier illa* eſt Venerabilis Maria à Ieſu de Agreda, quę multorum imponderabili admiratione viſa eſt in extaſes, & raptus adeò mirabiles elevata, vt ſicut folium quod vento rapitur, vel tanquam pulvis quem proijcit ventus à facie terræ, oris anhelitu cuiuſcumque percuſſa per aërem ferebatur huc & illuc, nihil habens ponderis, quaſi nihil haberet carnis. In hac materia valdè mirabilia viſa ſunt, retroactis ſæculis aut rarò, aut nunquam talibus circunſtantijs audita.

50 *Mulier illa* eſt Venerabilis Maria à Ieſu de Agreda, quæ zelo ſalutis animarum vſtulata, alio rariſsimo miraculo crebrò perrexit ad Indos, quaſi fervori tanto ſat non foret vnicus mūdus. Infidelibus illis prædicabat, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis; Apoſtolorum ditata privilegio, quorum decorabatur officio. Volabat vt Angelus, Nuntia veræ lucis. Exhibat ad Infideles, clauſa Deo, animabus libera. Indi videbant eam prædicantem per diem, & ignorabant vbi nocte requieſceret pes eius, & cibum ſumeret; erat eis tota ſpiritus, & tota dies Clamabat in voce tubæ, vt regnaret Deus ſuper gentes. Ecce dedit Deus voci ſuæ vocem virtutis, vt ipſi

darent gloriam Deo, & ſibi metipſis. Sic ſubjecit populos multos, & innumerabiles æterno Regi, & Catholico. Hoc ſignum magnum, alium poſtulat hiſtoricum laborem; pro nunc indicaſſe ſufficiat.

51 *Mulier illa* eſt Venerabilis Maria à Ieſu de Agreda, quæ ſi in vita mortali inſigni floruit fama ſanctitatis, poſt obitum claret haud minore. Tranſitus eius fuit mirabilis, ſicut vita. Corpus eius incorruptum, annis non paucis elapſis, Catholico Regi noſtro, multiſque Hiſpaniarum Magnatibus oſtenſum eſt.

52 Hæc eſt *Mulier illa*, & hæc eſt Venerabilis Maria à Ieſu de Agreda, Divinæ Hiſtoriæ Myſticæ Civitatis Dei Scriptrix celeberrima, quam & ſi Factioſi Pariſienſes Seductricem, vel ſeductam appellent Venerabilem & Sanctam fidelium devotio proclamat. Hæc eſt *Mulier illa*, ludibrio ſic vocata, & à Sorbonicis Cenſoribus deſpecta. *Hæc eſt*, inquiunt, *Mulier illa, quæ ſi non intendit illudere legentibus, ipſa profectò manifeſtè illuditur.* Ignorabant abſque dubio, quæ & qualis eſſet Mulier iſta; cuius ſolemnis ſanctificationis cauſam, (Apoſtolica authoritate facto juridicè proceſſu, vbi de virtutibus heroicis, & patentibus miraculis fit conteſtatio) felicem habituram terminum, avidè ſperamus.

53 *Hiſtoriam texuit tàm abſonam certè, quàm inauditam, &c.* Si omne inauditum judicatur abſonum, eo ſolo quia inauditū; innumera ſunt & erunt geſta & ſcripta Sanctorum inter abſona numeranda, quoniam vſque tunc inaudita. Hoc eſt falſum & abſonum, quia inauditum: vel hoc eſt inauditum: ergo falſum & abſonum: illegitima conſequentia. Etiam Myſterium Conceptionis erat inauditum, quando primo revelatum; ergo erat tàm abſonum, quàm inauditum? Non dicent Pariſienſes. Sic etiam arguebat Illuſtriſsimus Caramuel: Doctrina hæc eſt nova: ergo falſa? Non tenet. Scriptura quippe Sacra aliquando fuit nova, nunquam vero falſa, vel abſona. Item Angelici Thomæ doctrina, quoad multa fuit nova, vt ait S. Antoninus de Florentia, his verbis: *Erat enim in legendo, novos Articulos adinveniens, novumque modum determinandi inveniens, & novas producens in determinationibus rationes; vt nemo ipſum audiens dubitaret, quin ipſum Deus novi luminis radijs illuſtraſſet, &c.* Obſerva tot novitates, *novos* articulos, *novas* determinationes, *novas* rationes, novi

Caramuel Apologẽ. de Probabilit. Epiſ. 4 n.164. S. Antonin. 3 p. Hiſt. ti. 23 c. 7. §. 5. fol. 5 7.

vi luminis radios, *novum* modum determinandi, &c. Ex quo ſic: Quoad multa fuit nova doctrina Angelici Magiſtri; ſed quoad hæc multa in quibus fuit nova & inaudita, non fuit falſa, nec abſona: novum ergo & inauditum non inducit falſum, nec abſonum, alias tàm abſona & falſa foret talis Angelica doctrina, ac nova & inaudita.

54 Cœterùm, propoſitio Cenſorum Pariſienſium, vel nihil probat, vel nimis: agit enim contra omnem revelationem, in qua aliquid de novo, vel inauditum manifeſtetur; ſed non eo revelatio particularis convincitur falſa vel abſona, quia de re inaudita: ergo, &c. Minorem probat Eminentiſsimus Laurea to 3 in 3 ſent. diſp. 6. num. 118. vbi ait: *Nulla eſt repugnantia, quod factum aliquod de novo, & ſi in aliqua propoſitione vniverſali non contentum, & cunctorum ſaluti non neceſſarium, reveletur, ſicut multis legimus, &c.* Et eadem diſp 6. num. 152. vbi inquit: *Non eſt ergo mirum, ſi aliæ novæ Revelationes de factis particularibus, & non ſpectantibus ad ſubſtantiam Fidei, & quæ ad ſalutem omniū non fuerint explicitè Apoſtolis revelatæ, &c.* Non eſt igitur idem aliquid eſſe novum, vel de novo revelatum, & eſſe abſonum, ſicut Sorbonici putant.

Laurea tom. 3. in 3. ſent. diſp. 6. n. 118.

Idē diſp. 6. n. 152.

55 Prætetea quanquam aliàs in objecto altero locum habere poſſet propoſitio: *Hoc eſt tàm abſonum quam inauditum*, in Privilegijs autem, prærrogativis, & donis Sacratiſsimæ Virginis Mariæ, quæ ſola ſine exemplo placuit Altiſsimo, & nec primā viſſa eſt, nec habere ſequentem: in hac enim Regina creaturarū non eſt abſonum quod inauditum. Audiatur Anaſtaſius Synaita lib. 1. in Exam vbi ait: *Quod ſi aliquid novum, & minus conſuetum de Virginie Maria noſtra dictat oratio, obſecramus tàm præſentes quàm futuros Filios Eccleſiæ, ne inimico, invido, malignoque animo, ſed fraterno audiant quæ dicuntur.* Non igitur Privilegia Reginæ Matris tàm abſona ſunt, quàm inaudita; aliàs obſecratio pijſsima Synaitæ ad audiendum abſonum excitaret Filios Eccleſiæ præſentes & futuros, dum ad novum & minus conſuetum de Uirgine Maria benevolum & fraternum expoſcit animum.

Anaſt. Synait. lib. 1 in Exam.

56 Ad idem in Revelationibus Sanctæ Birgittæ refertur, SS. Cœli Reginam cum Dilectiſsimo Filio ſuo loquentem, dixiſſe: *Hæc nubes, Fili mi, verba tua ſunt, quæ multis tenebroſa videntur,*

Rev. S. Birgittæ ap. deffenſ. Hiſp. ſol. 63. ſub num. 208.

tur, & incredibilia, quia non multoties audita, quia idiotis miniſtrata, nec ſignis declarata. Tenebroſa Cenſoribus Pariſienſibus videntur, quæ in libris Myſticæ Civitatis Dei leguntur, & tàm abſona dicunt eſſe, quam inaudita: audiant ergo ſibi Sacratiſsimam Uirginem loquentem cum Filio, vt diſcant & ipſi.

Pet. Cellenſ. lib. 9. ep. 10.

57 Poſtmodum juxta commu[n]em SS. PP. doctrinam, quamplura de Sanctiſsima Virgine Maria revelanda manent occultiſſima Myſteria, imò & Doctiſſ. Petrus Cellenſis auſus fuit dicere: *Credo, & confiteor, plura eſſe apud nos ignota de Virgine Sacroſancta, quam nota* Nunc ſic: Si re vera plura ſunt apud nos ignota de Virgine Sacroſancta, quam nota: nunquid ea ipſa ignota Myſteria tàm abſona erunt nunc & ſemper quam inaudita? Ignotum enim & inauditum convertuntur: ergo ſi quæ nunc occulta ſunt, non eo ſunt abſona quia occulta; nec erunt abſona quia inaudita.

Caniſ lib. 1. de Mar. Deip. c. 5. ſol. 27.

58 Hæc inſuper doctrina, *tàm abſonum quàm inauditum*, ſi generalitèr intelligatur, in pernitioſum devenire poteſt abuſum. *Nam quid aliud erit* (iam Caniſsij verbis utor) *niſi cum Deo ipſo pugnare, & Præpotentis Spiritus gratiam, qui vbi vult, & quando vult ſpirat ac docet, vel extinguere, vel impedire? Quid eſt inquam, niſi vias illas ad veritatem inveſtigandam perturbare?* Et certè, ſi ex ratione inauditi deducere volumus rationem abſoni, hoc eſt cum Deo ipſo pugnare, cuius opera mirabilia, quanto magis inaudita, eo mirabiliora. Præpotentis itidem Spiritus Sancti gratia extinguitur vel impeditur; quandoquidem, dum inauditum revelet Spiritus Sanctus vſque in noviſsimum diem, dicetur abſonum, ſi abſonum ſequitur inauditum. Demùm ad inveſtigandam veritatem clauduntur viæ, ſi quodlibet inauditum eſt abſonum abſque alio examine: ergo, &c.

Hurt. to. 1 reſol. mor. nu. 904. Gienen Epiſc. in Prol. ad Revel. S. Birg. c. 6. ſol. 273.

59 *Si non intendit illudere, ipſa profectò manifeſtè illuditur, &c.* Nec intendit illudere, nec eſt illuſa. Suadetur primum ex vita laudabili. *Dum igitur* (ait Thomas Hurtado) *conſtat de bona vita, non obeſt, quod aliqua dixerint difficilia* Ad idem Epiſcopus Gienenſis in Prologo ad Revelationes Sanctæ Birgittæ cap. 6. fol. 273. ait: *Septimum ſignum boni ſpiritus eſt clarificatio miraculorum poſt mortem videntis viſiones; nam qui vſque ad mortem per viſiones à dæmone illuditur, dignus non eſt, vt poſt mortem Divinis miraculis clarificetur.* Quomodo ergo Sanctimonialis, cunctis

die-

diebus vitæ ſuæ in operibus Sanctis exercita, patentibus miraculis clarificata, credenda eſt illudere voluiſſe vſque ad mortem, imò & poſt obitum, ſcriptis ſuis vſque iu finem ſæculorum? *Cedat igitur temeritas ſuſpicionis fallacis ſpiritus* (Gienenſis Epiſcopi verba ſunt) *ac detractio ſuperba, & invida ſtulti judicij, & detur locus gloriæ & gratiæ Dei, quæ tanto maior eſſe dignoſcitur, quanto ignorantiæ, & modicæ fidei noſtræ videtur incredibilior.* Haud igitur illudere volentem vſque in finem vitæ exiſtimemus, quam timore Domini, & damnationis æternæ confixam legimus & putamus. Uideatur ſuper hoc ipſius Ven. Virginis digna ponderatio 1. p. ſuæ Myſticæ Civitatis num. 20. vbi ait: *Jamàs el Señor me ha moſtrado el fin malo de ninguna alma, que ſe aya condenado. Y ha ſido providencia Divina, porque es aſsi juſto, y no ſe ha de manifeſtar la condenacion de nadie ſin grandes fines; y porque ſi lo conociera, juzgo, muriera de pena. Y fuera efecto del conocimiento de eſta luz, porque es gran laſtima ver, que alguna alma carezca para ſiempre de Dios. Si puedo librar con la vida à alguno que eſtè en pecado, no rehuſarè el trabajo; pero al que no tiene remedio, no le vea yo.* Diaboli lux, vel illuſio, hunc non inducit ſalutiferum timorem, ſed ſuperbiam, & diſſolutionem. Non ergo illudere voluiſſe judicemus, quam ſic timore Domini præventam agnoſcimus.

Idem.

Myſ. Civ. Dei 1. p. num. 20.

60 Nec decet illuſam credere Authorem Venerabilem, quam piè credimus neminem voluiſſe illudere. Haud illuſam invenerunt tot Magiſtri, virique doctiſsimi & timorati, quibus examen ſpiritus Venerabilis Authoris, Librorumque Myſticæ Civitatis Dei, ante obitum eiuſdem Sponſæ Chriſti Domini commiſſum eſt. Haud illuſam invenit Venerab. Mariam à Iesv de Agreda Eminentiſsimus Julius Roſpilloſi, qui, dum Nuntius Apoſtolicus exiſteret in Hiſpanijs, vitam & ſpiritum V. Authoris perſonalitèr indefeſſa vigilantia examinare curavit, nihilque minus tutum, aut minus ſecurum invenit in ea. Haud illuſam expertus eſt V. Matrem SS. Clemens IX. qui ſimilitèr Apoſtolicus Nuntius apud Catholicum Regem noſtrum exiſtens, poſtquam per ſemetipſum communicatione non feſtinata mirabilem Vitam V. Abbatiſſæ cognovit, ſemper de illius ſanctitate altè judicavit. Nec illuſam invenit Venerabilem Abbatiſſam Reverendiſsimus Magiſter Ioannes à S. Thoma, Dominicanus, Cele-

Eminētiſ. Iul. Roſpilloſ.

SS. Clem. IX.

Ioannes à S. Thoma.

libris Scriptor, & Doctor, Confeſſarius Regis Catholici, de quo iam ſupra num 47. Et ne amplius immoremur in ijs, videatur Diſcurſus Apologeticus Admod. R P. Ioſephi de Falces, Lectoris Iubilati Regularis Obſervantiæ noſtræ fol.181. à num. 258 vbi inſigniſsimos refert Examinatores & Cenſores, tùm ſpiritus Venerabilis Authoris, tum & divinæ Hiſtoriæ Myſticæ Civitatis Dei; nec ſolum ex Ordine Seraphico, quin & ex ferè omnibus alijs Religionibus & Celeberrimis Vniverſitatibus aſſumptos & electos, ibique numerat vſque ad centum & amplius perſonas nota digniſsimas, quæ cauſam huiuſmodi ſcriptis & favoribus proſecutæ ſunt Quomodo ergo Sorbonici Cenſores aſpicientes à longè illuſam judicant, quam tot tantique Viri periciſsimi è vicino videntes, nec illudentem neque illuſam ſuſpicatunt?

Falces Diſcurſ. Apologet

61 Oporteret vtique, Examinatores & Cenſores privatarum revelationum, magnam illam S. Auguſtini ſententiam memoria retinere, quæ ſic apud Hurtadum refertur: *Caveant ergo exploratores revelationum non vti caliditate & verſutia. Sapiens enim architectus pietatem fundamentum ponit ſapientiæ ſuæ, quæ omnino neceſſaria eſt ad munus exploratoris.* Idem Magnus Parens Serm. 8. de Verbis Domini, ait: *Si digne, ſi diligentèr, ſi quod primum eſt, piè conſideremus, &c.* Et lib. 1. de Ser. Domini in monte cap. 4. inquit: *Noli altum ſapere, ſed time, qui enim piè quærit, honorat ſanctam ſcripturam, & non reprehendit, quod nondum intelligit.*

S. Auguſ. ap. Hurt. to 1. reſol. moral. n. 998. Idē Ser. 8. de verbis Domini. Idē lib. 1. de Serm. Dom in mõte c. 4.

62 Prodeſt & aſpicere ſententiam Angelici Doctoris lib. 1. contra gent. cap. 3 vbi dicit: *Sicut igitur maxima amentiæ eſſet idiota, qui ea quæ à Philoſopho proponuntur, falſa eſſe aſſereret, propter hoc quod ea capere non poteſt: ita & multo amplius nimiæ ſtultitiæ eſſet homo, ſi ea quæ Divinitus Angelorum miniſterio revelantur, falſa eſſe ſuſpicaretur, ex hoc, quod ratione inveſtigari non poſſunt* Et in fine capituli exclamat cum Sancto Iob: *Ecce Deus magnus vincens ſapientiam noſtram.* Defuit timor Sorbonicis Cenſoribus, defuit & pietas, dum vel illudentem, vel illuſam Authorem Venerabilem exiſtimarunt? Eam convitijs ſaturatam deſpexerunt, vt videri licet in textu Præfationis Suppoſititiæ Cenſuræ ſub part. 4. Admiratione itē dignum apparet, quod ſine præviſione ſecundæ & tertiæ partis eiuſdem Operis Myſticæ

S. Thom. lib. 1. cõtra gēt. c. 3

Idem Iobo cit.

Ci-

Civitatis Dei damnarunt Primam, nolentes intelligere, propoſitiones difficiles primæ partis forſan explicatas inveniri in ſecunda vel tertia, & è contra. Ad id Sanctus Auguſtinus: *Non poteſt error oriri palliatus nomine Chriſtiano, niſi de ſcripturis non intellectis, & hoc ideo, quia præcedentia & conſequentia non contulerunt.*

S. Auguſ. ap Eminē tiſ. La ri 1 p. to 3 in 3 ſent. diſp 7. n. 159.

63 Aliam ſatis efficacem in Decreto Nicolai Tertij invenimus aſſumpti confirmationem. Cum igitur dictus Pontifex in Bulla *Exijt qui ſeminat, &c.* de verborum ſignificatione tractaret, ſic ait: *Vtriuſque iuris argumenta nos docent, ea quæ in principio, ad medium, & ad finem; illa vero quæ in medio ad finem atque principium, & ea quæ in fine ad vtrumque, vel eorum alterum ſæpè referri.* Hoc non ſervaverunt Cenſores Myſticæ Civitatis Dei, damnantes tomum primum, ſine prævisione ſecundi & tertij, cũ certum ſit, omnes de eodem argumento, de eadem materia, & de Hiſtoria indiviſibili pertractare.

Nicol. III. in Bulla Exijt, &c.

64 *Fabulas, nugas, commenta, & errores, pro Myſterijs Divinitus revelatis obtrudit, &c.* Dicunt & non probant. In tomo primo Myſticæ Ciuitatis Dei, quem vos quidem legiſtis & iudicaſtis, Cenſores Sorbonici, vbi ſunt fabulæ? Vbi nugæ? Vbi cõmenta? Vbi errores? De erroribus quos concepiſtis, feciſtis Cẽſuræ libellum; de Fabulis autem, nugis, & commentis, ſi tot inveniſtis, quomodo ſic parcè ſingularia loca notaſtis? Nũ Fabulæ & nugæ viſæ ſunt vobis doctrinæ ſacræ, quæ multorum animos in meliorem vitam, quaſi mirabili mutatione dexteræ excelſi perfecerunt? Illuſtriſsimus Caſtrillo, Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus digniſsimus, finito tomo primo Myſticæ Civitatis Dei, incipiebat ſecundum, & finito tertio redibat ad primum, hæc crebrò ſingulari teneritudine cordis verba proferens: *Hæc divina Hiſtoria vim cæleſtem habet ad corda in Cœlum levanda: Hæc erit vſque ad mortem lectio mea cotidiana: Dicant æmuli quidquid velint; ego quidem experimento meo credo: diabolus, & opera eius in bonum non excitant, nec ſalutem animarum requirunt, ſed perditionem potiùs & interitum, &c.* Idipſum de alijs innumeris referens, qui lectione pia Myſticæ Civitatis Dei deteſtaverunt vitia, & ſequuti ſunt virtutes, deſpicientes temporalia, & quærentes æterna, ferè interminabilem poteram protendere relationem. Fabulæ, nugæ, & commenta ef-

Illuſtriſ. Caſtrillo Archiep. Cæſaraug.

tec-

fectum ſic ſalutarem efficere non valent. Dum vaticinabat Apoſtolus, prædicationis Apoſtolicæ fructum deperdendum, de Cōcionatoribus aiebat, *ad fabulas convertendos.* Si ergo fabulæ & nugæ ſunt, quæ in Libris Myſticæ Civitatis Dei leguntur, quomodo juvant nugæ & fabulæ in vitam æternam? *Nun quid poteſt arbor mala bonos fructus facere?* Prunas ardere facit Diabolus in malum: nonne autem cor noſtrum ardens eſt in nobis ſalutaribus deſiderijs, aiunt quamplurimi, Myſticam Civitatem Dei legentes? Fabulæ, nugæ, & commenta, fabulas, nugas, & commenta nutrire queunt; haud lachrimas, dolores peccatorum, & ſuſpiria cordis in Deum, vti ex libris Myſticæ Civitatis Dei gignuntur: loquantur experti.

2. *Timot.* 4. *v.* 4. *Matth.* 7. *v.* 18. *Job* 41. *v.* 12. *Luc.* 24. *v.* 32.

65 *Fabulas, nugas, & commenta, pro Myſterijs revelatis obtrudit* mulier illa, &c. Paulò ante dicebatis, *ſi non intendit illudere, ipſa profectò maniféſtè illuditur:* Nunc vero iam non ſolum illuditur, ſed illudit *pro Myſterijs revelatis Fabulas, & nugas obtrudens.* Sic infamantur ſimplices perſonæ ſanctitatis famam juſta ratione conſequutæ? V. Alphonſus Epiſcopus Gienenſis in Prologo ad lib. 8. Sanctæ Birgittæ cap. 1. ait ſic: *Communitèr hodie in paucis Perſonis iſta theorica, & practica diſcernendi, & juſtè judicandi viſiones & ſpiritus, proh dolor! inveniuntur: & ideo multi velut cæci, aberrantes per invia in iſta materia, potiùs ad condēnandum ſimplices & Sanctas Perſonas Deo conjunctas convertuntur, quam ad perfectè diſcernendum, & juſtè approbandum, aut reprobandum ea, quæ potiùs approbanda, vel reprobanda forent; nihil rationabile in ſuis improvidis iudicijs, & ſubitaneis dictis, ſeù potiùs detractionibus, allegantes, niſi quod Angelus Sathanæ ſæpè ſub Angeli lucis ſpecie ſe transformat. Condemnantes præcipuè ſimplices perſonas ſpirituales, idiotas, & ſexum fœmineum, &c.* Diſcretus conferat quæ in haccè dicuntur authoritate circa Revelationum privatarum rigidos Cenſores, cum hisquæ manent in Prologo, & cum num. 1. Introd. ad prim. part. Myſticæ Civitatis Dei, vbi Venerabilis Author aliqualem Prudentum huius ſæculi, & ſi diſcretiſsimam, fecit mentionem.

V. Alphō. Ep. Gien. Prol. lib. 8. *S. Birgittæ c.* 1. *Myſt. Civ. Dei nu* 1. *Introd. ad prim part*

66 Nec pro libito Authorem Divinæ Hiſtoriæ Myſticæ Civitatis Dei Venerabilem vocamus, quam Sacra Rituum Cōgregatio in ſuis Decretis circa cauſam Beatificationis & Canonizationis eiuſdem, præcipuè in quodam manu propria Sāctiſſi-

ſimi Clementis X. ſignato, eam appellat: *Venerabilem Servam Dei*. Hanc deſpexerunt Sorbonici Cenſores, tanquam illuſam vel illudentem, & tanquam fabulas, nugas, & commenta pro Myſterijs divinitùs revelatis obtrudentem; cum nihil pejus de fœmina virtuoſa, imò & de non virtuoſa vix concinari poſſit. Solatium occurrit in Epiſtola V. Magiſtri Avila ad Seraphicam Matrem Thereſiam a Ieſu, in qua Hiſpano idiomatè ſic ait: *He viſto muchos eſcandalizados de vèr las grandes demoſtraciones del amor de Dios acerca de ſus criaturas, y como eſſos eſtan muy distantes, y lexos, no pienſan que Dios haga con otros lo que no haze con ellos.* Et eadem Seraphica Mater in conceptibus Divini amoris, ſuper illa verba Canticorum: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, inquit: *Diran que yo ſoy vna loca, y que no quiere dezir eſto, que tienen muchos ſignificados eſtas palabras, beſo, y boca, ſiendo claro que no deven dezirſe à Dios; y que por eſto ſeria bien que eſtas coſas no ſe leyeſſen de perſonas ſimples, y idiotas.* Ad quod mirabilitèr reſpondit, impugnantium admirationem ad nihilum reducens cum magnis & immenſis, erga creaturas, dignationibus Divinis. Cœterum Sanctus Auguſtinus ait: *Si de veritate ſcandalum ſumitur, vtilius permittitur naſci ſcandalū, quā veritas relinquatur.*

Clem. X. ap. Falces diſc. Apologet. fol. 182. ſub num. 258. Mag. Avila Epiſt ad S. Thereſiā

S. Thereſ. à Ieſv in cōceptib. Divin. amor.

S. Auguſt. lib. de Doctr. Chriſt. & de lib. arb.

§. VI.

SVPER VLTIMAM PRÆFATIONIS partem Sac. Facult. Theolog. Pariſienſis.

67 VLTIMA, quæ eſt quinta Præfationis pars, breviſſima eſt, & ait ſic: *Ad hæc advertens Sacra Facultas, de excerptis propoſitionibus, deque ipſo libro, vt Gallicè traditus eſt, ſic tandem pronuntiavit.*

REFLEXIO.

68 A*D hæc advertens Sacra Facultas*, &c. Ad quæ hæc? Vel ad præterita, vel ad ſubſequentia volunt intelligi? Si ad præterita; nihil damnandum invenies, niſi fortè quod erratum notavimus. Omnes quippè ſunt Regulæ generales, quas Sorbonici Cenſores ſuo modo diſponunt, vt ad damnationem

excogitatam faciant coadjuvare. Elogia digniſsima quæ de Sacratiſsima Virgine Maria ſecunda & tertia parte conglomerant, certè nihil faciunt, vt ad ea Sacra Facultas advertens in præteſam Myſticæ Civitatis Dei damnationem faciant pertranſire. Sententiæ inſuper Divi Bernardi, & Sancti Epiphanij communes ſunt, nihil convincentes in caſu noſtro. Ludibria poſtmodum, deſpectus, & convitia contra Venerabilem Authorem, eiuſque librum in genere, etiam eſt manifeſtum, ad damnationem ipſius libri non conducere. Nulla igitur motiva in precedentibus reperiuntur, *ad quæ advertens Sacra Facultas*, de damnando libro tandèm pronuntiaverit. Mittimus etiam, quod Sacra Facultas nec ad præterita advertens, nec ad ſubſequentia, ſic tandèm pronuntiavit; cum Cenſura non ſit Sacræ Facultatis. Si Author Præfationis Cenſuræ in illis verbis, *ad hæc advertens*, ſubſequentia in Articulis incluſa intelligere voluit, impropriè, & inconſequentèr loquutus eſt; cum illud verbum demonſtrativum, *hæc*, ex vi vocis, ad jam dicta referatur expresè.

69 *De excerptis propoſitionibus, de quæ ipſo libro, vt Gallicè traditus eſt, ſic tandèm pronuntiavit, &c.* Si de ipſo libro, reduplicativè *vt Gallicè traditus eſt*, & non alitèr facta eſt Cenſuræ pronuntiatio; ad quid tot contumeliæ & convitia contra Venerabilem Authorem Myſticæ Civitatis Dei? Nunquid ipſa eſt Author libri *vt Gallicè traditus eſt*? Author quippè Gallicæ traductionis non eſt ipſa Venerabilis Mater, ſed R.P. Croſet. Sciebāt forsàn Cenſores, quod propoſitiones excerptæ fidelitèr erāt traductæ? Certiſsimè non; aliàs ſuperfluum & inconſonum videretur damnationem libri pronuntiare non abſolutè, ſed reduplicativè prout Gallicè traditus eſt. De his ergo vtcunque convictis Cenſoribus, ad ſingulare Certamen ſuper propoſitiones in Articulis Cenſuræ confixas deſcendamus.

ADVERTENTIA.

DIximus in Prologo num. 11. Duplicem fore publicatum Cenſuræ libellum: Vnum quidem quem vocamus, *Cenſuram DD. Deputatorum* (quorumcunque Doctorum Pariſienſium ſit) & huic non erat antepoſita Præfatio, ſed nude abſque exornatione vlla, ab Articulis propoſitionum confixarum incipiebat;

bati & Alterum, cui nobis titulus: *Cenſura ſuppoſititia Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis*, huicque antepoſita erat exornatio Præfationis, quam huculque retulimus, & in quo decet impugnavimus. *Cenſura DD. Deputatorum* 19. continet Articulos, *Cenſura autem Suppoſititia* ſolummodo 14. ſed in iſtis 14. illi 19. ſunt; & in illis 19. illi 14. Vtraque Cenſura ferè eadem eſt in ſubſtantia, hoc ſolo notato, quod propoſitiones, quæ in prima Cenſura inveniuntur in vno Articulo, in ſecunda reperiuntur in alio, præterquam quod etiam nonnullæ propoſitiones, & ſi paucæ, inveniuntur notatæ & confixæ in ſecunda, quæ non erant in prima, aliæque confixæ erant in prima, quæ omiſſæ ſunt in ſecunda, quod ſuis propriis locis notabitur. *Cenſura DD. Deputatorum*, quæ eſt prima, data eſt 17. Septembris an. 1696. *Secunda* autem Kalend. Octobris, id eſt, die 1. Octobris eiuſdem anni 1696. In impugnatione ſequemur ordinem primæ Cenſuræ quæ 19. continet Articulos, & poſt Cenſuram DD. Deputatorum ſuper propoſitiones cuiuslibet Articuli, immediatè ſequetur Cenſura Suppoſititia ſuper eaſdem propoſitiones, vt viſis ſimùl Cenſuris ambabus, in quo poſsibile ſit, ictu vno vtraque diluatur. Faxit Deus.

ARTIC. I.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

70 PAg. 15. verſionis Gallicæ, & æditionis Hiſpanicæ n. 9. introducitur Deus, ſic loquens de tempore, quo miſit Filium ſuum in mundum: *Tunc miſi paterno amore impulſus, ſalutem æternam; & remedium naturæ humanæ, ad curandas ipſius infirmitates.*

71 *Nunc volo gratiam novam impertiri hominibus, quia venit tempus opportunum.*

72 *Ecce tempus, in quo miſericordia mea maximè eluceſcet, & in quo volo amorem meum maximè operativum eſſe.*

73 Pag. 16. num. eodem. *Reſpiciens ad juſtos, qui in hoc fælici tempore inveniuntur, volo omnibus aperiri januam, per quam*

acceſſum habeant ad meam miſericordiam, & facem præbere ipſis, vt illuminentur in tenebris cæcitatis ſuæ.

74 Pag. 17. num. eodem. *Volo ipſis ob oculos ponere ſpeculũ, in quo videre poſsint ingrati animi ſui crimen, atque prodigia, quæ potentia mea operata eſt in hac creatura, Matre Filij mei incarnati pro genere humano: & volo manifeſtare ipſis plura, quæ huc uſque abſcondita fuerunt, iuxta arcana mea judicia.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

75 HÆc *Doctrina, quæ dicit, Miſericordiam Dei magis eluxiſſe, amoremque eius magis operativum fuiſſe, manifeſtatione rerum, quæ dicuntur huic Moniali revelatæ de Myſterijs SS. Virginis, hactenus occulto Dei, vt ipſa ait, judicio abſconditis, quam in Miſsione Verbi Incarnati in hunc mundum: Falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & impia.*

CENSVRA SVPPOSITITIA SAC. FACVLT.

76 SI *intendat Author in prædictis Propoſitionibus, Myſteria de SS. Virgine ſibi* (vt ait) *recens revelata, comparare, & præferre Myſterijs Incarnationis Verbi, & in illis maiorem Dei Miſericordiam, quam in iſto eluxiſſe, amoremque eius magis operativum fuiſſe: hæc doctrina falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & impia.*

77 *Si vero tantum intendat, gratiam & beneficium prædictorum Myſteriorum ſibi (vt ait) recens revelatorum, præferri debere omnibus gratijs & beneficijs, quæ Deus à tempore Incarnationis hominibus contulit: Hæc doctrina falſa eſt, temeraria, & ſcandaloſa.*

CON-

CONCERT. II.

SUPER PROPOSITIONES CONFIXAS ab vtraque Cenſura in hoc Articulo primo.

78 DISCVTIENDA ſe offerunt omnia hæc. 1. Diſcordia inter Verſionem Gallicam, & exemplar Hiſpanicum. 2. Legitima Ven. Authoris intelligentia in propoſitionibus Notæ ſubjectis. 3. Concordia, ſivè conſonantia Authoris cum Scriptura Sacra, SS. Patribus & Doctoribus aliiſque cum revelationibus privatis. 4. Inordinatio Cenſuræ. De his omnibus fiet in ſequentibus.

§. I.

DISCORDIA INTER VERSIONEM Gallicam & exemplar Hiſpanicum.

79 PRIMÆ propoſitionis Textus Hiſpanus: *Yo con paternal amor embiè la ſalud eterna, y la medicina à la naturaleza humana para remedio de ſus enfermedades incurables.* Verſio de Hiſpano in latinum: *Ego cum paternali amore miſi ſalutem æternam, & medicinam naturæ humanæ ad remedium ſuarum infirmitatum incurabilium.* Verſio de Gallico in latinum: *Ego miſi tunc cum quodam amore Patris ſalutem æternam, & remedium naturæ humanæ ad ſanandum eam de infirmitatibus ſuis.* Enervat hæc traductio energiam & claritatem Originalis. *Diſcordia*

80 Secundæ propoſitionis Textus Hiſpanus: *Aora quiero hazerles otra* (miſericordia) *muy grande, porque es el tiempo oportuno de obrarla.* Verſio de Hiſpano in latinum: *Nunc volo facere illis aliam permagnam,* (miſericordiam) *quia eſt tempus opportunum operandi eam.* Verſio de Gallico in latinum: *Ego volo modò diſpenſare hominibus novum favorem, quia tempus opportunum ad faciendum eum acceſſit.* Mutat hæc Verſio verbum, *permag-* *Diſcordia.*

nam

nam miſericordiam, in illud, *novum favorem*, quod certè minus explicat.

81 Tertiæ propoſitionis Textus Hiſpanus: *Y porque es el tiempo en que el atributo de mi miſericordia mas ſe ha de manifeſtar, y en que quiero que mi amor no eſtè ocioſo; aora quando el mundo à llegado à tan deſdichado ſiglo deſpues que el Verbo encarnò, y quando los mortales eſtàn mas deſcuydados de ſu bien, y menos le buſcan.* Verſio de Hiſpano in latinum: *Et quia eſt tempus, in quo attributum miſericordiæ meæ magis manifeſtandũ eſt, & in quo volo amorẽ meum non ſtare otioſum; nunc quando mundus pervenit ad tam infœlix ſæculum poſtquam Verbum caro factum eſt, & quando mortales maiorem habent incuriam de bono ſuo, & minus illud inquirunt.* Verſio de Gallico in latinum: *Ecce tempus in quo miſericordia mea maximè eluceſcet, & in quo volo amorem meum maximè operativũ*

Diſcordia. *eſſe, &c.* Aperta eſt diſcordia, nam verbum, *magis manifeſtandum eſt*, vertit Gallus in *maximè eluceſcet*; & verbum, *non eſſe otioſum*, vertit in *maximè operativum eſſe.*

82 Quarta propoſitio in Hiſpano Originali: *Quiero que tengan por eſpejo, donde vean ſus ingratitudes, las obras maravilloſas de mi poderoſo brazo con eſta pura criatura, y moſtrarles muchas, que eſtàn ocultas por mis altos juyzios de las que hize con la Madre del Verbo.* Verſio de Hiſpano in latinum: *Volo vt habeant pro ſpeculo, vbi ſuas videant ingratitudines, opera mirabilia potentis brachij mei cum iſta creatura* (ideſt, Sacratiſsima Virgine Maria) *& oſtendere eis multa, quæ occulta ſunt per alta judicia mea ex eis quæ feci cum Matre Verbi.* Verſio fidelis ex Gallico in latinum: *Volo ipſis ob oculos ponere ſpeculum, in quo videre poſsint ingrati animi ſui crimen, atque prodigia, quæ potentia mea operata eſt in hac creatura Matre Filij mei incarnati pro genere humano: & volo manifeſtare ipſis plura, quæ hucvſque abſcondita fuerunt*

Diſcordia *juxta arcana mea judicia.* Verbum, *atque*, non reperitur in Originali Hiſpano, ſuperfluum eſt, imò ſubſtantialitèr ſenſum mutat, dum ponitur ante verbum, *prodigia*, cum in originali non inveniatur, vbi prodigia ipſa ſunt ſpeculum, de quo Author loquitur. Non ergo legendum eſt, *volo ipſis ob oculos ponere ſpeculum, atque prodigia*, ſed imò legendum, *ſpeculum in prodigijs*, vt expreſsè manifeſtant illa verba Hiſpana: *Quiero que tengan por eſpejo las obras maravilloſas, &c.*

§. II.

§. II.

LEGITIMA VEN. AUTHORIS INtelligentia in propoſitionibus notæ ſubjectis.

83 IN prima propoſitione nihil dubitandum occurrit, clariſsima eſt, & nec Cenſoribus dubitationis motivum in ea ſe obtulit. Hæc igitur prima propoſitio quoad ſenſum, ſolum dicit, quod Altiſsimus, paterno amore impulſus, miſit ſalutem æternam, & remedium naturæ humanæ, ad curandas noſtras infirmitates, vel in terminis, ad curandas infirmitates ipſius humanæ naturæ.

84 In propoſitione ſecunda, etiam qui ex noſtris latinè vertunt, non ſatis meo videri Authoris apicem pertingunt, vertendo illa verba Hiſpanica, *otra muy grande miſericordia*, in hęc verba latina, *aliam miſericordiam maximam*; nam hoc ſonat maximam omnium, idque non dicit Venerabilis Author. *Otra muy grande* juxta proprietatem genuinam verborum ſolum dicit, *aliā miſericordiam multum grandem, ſivè permagnam*, non maiorem, nec maximam omnium; nec dicit comparātionem, quin potiùs eam abſolutè excludit. Ob hoc, Originale Hiſpanum ad litteram adducere, duximus convenire. Magna quippè æquivocatio, vel totum potiùs ſuper hoc puncto Cenſuræ fundamentum, ex improprietate vel fallacia verſionis exortum eſt.

85 Nihil clarius in Myſtica Civitate Dei legitur, vel continetur, quam quod beneficium Incarnationis eſt maior & maxima omnium gratia, maiuſque & maximum omnium beneficiū; circa quod videatur p. 1. n. 256. 257. & expreſsè 259. & 2. p. nu 70. 124. 848. 1115. & 3. p. nu. 642 660. collat. cum n. 219. eiuſdem 3. p. quibus in locis manifeſtè legitur, & videtur, quā longè ſteterit Ven. Author à comparatione, quæ falsè ei imponitur à Deputatis. Manet igitur apertiſsimè ex Originali cōvictum, quod manifeſtatio Myſteriorum & operum Sacratiſsimę Virginis, juxta dictum Authoris, eſt multum grandis miſericordia, non autem maior, vel maxima, & hæc eſt genuinus ſenſus, & legitima intelligentia propoſitionis Ven. Matris, quin ad oppo-

Myſt. Civ. Dei num. hic citatis

poſitum intelligendum leviſsima maneat ratio dubitandi.

86 Circa tertiam propoſitionem, legitimus ſenſus hic eſſe videtur; *& quia eſt tempus in quo attributum miſericordiæ meæ magis manifeſtandum eſt, nunc quando mundus pervenit ad tam infœlix ſæculum poſtquam Verbum caro factum eſt.* Aliqui, etiam ex noſtris, in verſione latina virgulam apponunt ante illa verba, *poſtquam Verbum caro factum eſt,* cum revera nec ſit apponenda, nec inveniatur in Originali manuſcripto, nec in primo exemplari impreſſo, cum Originali collato. Integra quippè clauſula ſic eſt, & debet eſſe: *Nunc quando mundus pervenit ad tam infœlix ſæculum* (& virgula non interpoſita proſequitur) *poſtquam Verbum caro factum eſt.* Hoc neceſſariò notato, manifeſtè liquet, quod Venerabilis Author non abſolutè affirmat, nunc eſſe tempus in quo attributum miſericordiæ divinæ magis manifeſtandum eſt, comparativè ad omne tempus, ſed reſtrictivè ad tempus poſt Incarnationem elapſum, aliàs ſine cauſa ſuperadderet illa verba: *Nunc. . poſtquam Verbum caro factum eſt.*

87 Nec placet multorum intelligentia, qui illa verba, *magis manifeſtandum eſt,* in hæc alia vertunt, *amplius manifeſtandum eſt,* vt totalitèr auferant comparationem. Gallus vertit, *le plus,* pro *magis*; Cenſores verò pro vtraque voce dixerunt, *maximè,* ad colorandam Cenſuram. Diſplicet, inquam, *amplius* pro *magis*; nam verbum *amplius* nihil ſingulare explicat; nec aliquid diceret Ven. Author, ſi ſolum aſſereret, quod attributum miſericordiæ amplius manifeſtandum eſſet, hoc præciſsè intellecto, quod attributum miſericordiæ etiam nunc manifeſtandum eſt. De eo enim, qui hodie duos denarios pauperibus erogaret, & cras ſimilitèr alios duos, vel vnum, bene dici poſſet: Hodie erogat, & amplius erogabit, ſivè magis, ſivè minus; non autem dici poſſet, quod magis erogaret cras quam hodie. Si ergo Uen. Mater ſolum diceret, quod attributum miſericordiæ amplius manifeſtandum eſſet, revera ſolum aſſereret, quod attributum divinæ miſericordiæ non erat exhauſtum, ſed quod adhuc amplius manifeſtandum eſſet; ſicut etiam dicitur de vivente hodie, quod amplius vivet, dato quod hodie non moriatur, & quod amplius non vivet, qui moreretur hodiè. Sic dicitur Gen. 44. v. 23. *Non videbitis amplius faciem meam.* Et Zachar. 14. v. 11. *Anathema non erit amplius.* Et Ioann. 8. v. 11. *Iam amplius noli peccare.* Quæ om-

Simile.

Aliud ſimile.

Gen. 44. v. 23.

Zachar. 14 v. 11.

Ioã. 8. v. 11

omnia nullam includunt comparationem majoris vel minoris, ſed ſolum indicaut continuationem, vel ceſſationem ſubjectæ materiæ. Non ergo juxta genuinam Authoris mentem & contexturam, legitimè vertitur: *Mas ſe ha de manifeſtar*, per, *amplius manifeſtandum eſt*.

88 Dicendum eſt igitur, quod V. Author comparationem indicat in illis verbis: *Y porque es el tiempo en que el atributo de mi miſericordia mas ſe ha de manifeſtar*. Qualem autem comparationem faciat, hoc opus hic labor eſt. Ex aperta contextura, hãc eſſe comprobatur, quod ſicut beneficium Incarnationis, vt in eo magis reſplenderet Divina miſericordia, eo tempore operatum eſt, quo magis erat deperditus mundus; ſic beneficium manifeſtationis Myſteriorum, & operum mirabilium Sacratiſsimæ Virginis conceſſum eſt, quando mundus pervenit ad tàm infœlix ſæculũ poſtquã Verbũ caro factũ eſt. Comparatio igitur non eſt inter miſericordiã & miſericordiã, ſed inter tẽpus & tempus vtriuſque miſericordiæ. Hiſpanæ clauſulæ ſic leguntur: *Y como entonces atendì al tiempo que mas reſplandecieſſe eſta miſericordia* (loquitur de Incarnatione) *aora quiero hazerles otra muy grande* (jam loquitur de beneficio revelationis Myſteriorum Virginis Mariæ) *aora quando el mundo ha llegado à tan deſdichado ſiglo deſpues que el Verbo encarnò, y quando los mortales eſtàn mas deſcuydados de ſu bien, &c.* Et paulò antè dixerat, *es el tiempo en que el atributo de mi miſericordia mas ſe ha de manifeſtar*: *aora quando el mundo, &c.* Certum eſt quod Divina miſericordia reſplendet magis in majori miſeria: & ſicut Altiſsimus tempus reſpexit, in quo magis eluceſceret miſericordia Incarnationis, ſic ad manifeſtandam hominibus mirabilem vitam Sacratiſsimę Virginis, tempus elegit majoris miſeriæ poſt Incarnationem, vt ſic attributum miſericordiæ ejus in hoc pergrandi beneficio magis ſplenderet. Attentè legatur textus totius numeri 9. Myſticę Civitatis Dei.

89 Si forsàn dixerint Cenſores, mundum in tanta perditione & anguſtia nunc non inveniri, ſicut in ſæculis præcedentibus, quando tyranni & hæretici, profitentes nomen Chriſti crudelitèr perſequebantur, & divexabant Eccleſiam Dei; facilis eſt reſponſio; nam præterquam quod in tali tempore inſtabat motivum Articulo ſequenti videndum de incapacitate fidelium

ad ſimul tot Myſteria & Sacramenta portanda, adhuc ex parte morum non ſic vitijs oppreſſus & exuberans videbatur Catholicus Orbis. *Tyranni enim, & hæretici fecerunt martyres in Eccleſia; diuitiæ vero & cupiditates fecerunt hæreticos & tyrannos.*

90 Uel ſi mavis, alia invenitur Ven. Authoris legitima intelligentia in illis verbis: *Et quia eſt tempus, in quo attributum miſericordiæ meæ magis manifeſtandum eſt, &c.* Ratio inſtat apertiſsima: qui hodie erogat pauperibus duos denarios, ſi mane erogaret quatuor, evidens eſt, quod magis manifeſtaret pietatem ſuam manè, quam hodiè: ergo ſi Dominus miſericordijs ſuis retroactis ſæculis hominibus conceſsis, ijſque continuantibus, novam ſuperaddit miſericordiam revelationis Myſteriorum vitæ mirabilis Deiparæ Virginis, magis manifeſtat attributum miſericordiæ ſuæ nunc, quam retroactis ſæculis poſt Incarnationem. Ni fallor hæc eſt propriſsima Authoris intelligentia, & ly *magis* facit quoad hoc comparationem huius temporis cum temporibus elapſis poſt Incarnationem Verbi, quod exprimitur ibi, *poſtquam Verbum caro factum eſt.* Etenim Attributum Miſericordiæ magis manifeſtatur duplici miſericordia, quam vnica. Statuamus, ſæculum præſens æquale eſſe in divinis miſericordijs cum ſæculis elapſis poſt Incarnationem Verbi, ſecluſa revelatione mirabilium operum Sacratiſsimæ Virginis Mariæ: Nunc ſic: Vna miſericordia ſuperaddita alteri, majorem facit miſericordiam; ſed divinis miſericordijs, quibus hoc præſens ſęculum æquale ſupponitur cum ſæculis præteritis poſt Incarnationem Verbi, ſuperadditur miſericordia revelationis Myſteriorum Sacratiſsimæ Virginis in hoc ſæculo præſenti: ergo magis quoad hoc reſplendet divina miſericordia in hoc ſæculo prę-ſenti, quam in alijs elapſis poſt Incarnationem Verbi. Argumentum convincere videtur, ſi non negatur, quod revelatio mirabilium Operum & Myſteriorum Sacratiſsimæ Uirginis eſt divina miſericordia.

91 In ordine ad propoſitionem quartam & quintam, intelligentia legitima V. Authoris clariſsimè paret: Nihil actum eſt à Doctoribus Deputatis contra ipſas, neque in Cenſura ſuppoſititia aſſertur aliquid adverſus eas. In quarta dicitur: *Volo omnibus aperire januam, per quam acceſſum habeant ad meam miſericordiam.* Temerarium foret negare Sacratiſsimam Virginem eſſe

ja-

jannam, Eccleſia dicente de Virgine Maria in Litania Laureta- *Litan.*
na, *Ianua Cœli, ora pro nobis*, & Apoſtolo ſuadente: *Adeamus cum* *Lauret.*
fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, &c. *Hebr. 4.*
Quod Mariæ Uirgini applicatum in SanctisPatribus paſſim in- *v. 19.*
venies. Nec vocare *ſpeculum* Virgineam vitam abſonum videtur, cum ſæpè ſæpius etiam de vita exemplari aliorum Sanctorum elogium ſimile reperiamus.

§. III.

CONCORDIA, SIVE CONSONANTIA Venerab. Authoris cum Scriptura Sacra, SS. PP. & DD. alijſque cum Revelationibus privatis.

92 ASSERIT in prima propoſitione Ven. Author, quod Altiſsimus paternali amore miſit ſalutem æternã, & medicinam naturæ humanæ ad remedium ſuarum infirmitatum incurabiliũ. Hoc idẽ prius dictu invenitur Ioan. 3. *Sic Deus* *Ioan c. 3.*
dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis qui *Iſai. 5.*
credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et ab *v. 4.*
Iſaia Propheta: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores no-* *S. Bernar.*
ſtros ipſe portavit. Adeſt & Sanctus Bernardus dicens: *Venit* *Serm. de*
Medicus ad ægrotos, Redemptor ad venditos, ad errantes via, ad *Advẽ. &*
mortuos vita. Ex Revelationibus privatis videri poteſt Sancta *S. Aug. in*
Birgitta *lib. 5. interrog. 16. quæſt. 4.* Nec in hoc amplius im- *Ioann.*
moremur. *S. Birgit.*

93 Ad veram intelligentiam reducta propoſitione ſecunda, *lib. 5. Rev.*
ſenſus eſt, quod manifeſtatio vitæ mirabilis Sacratiſsimæ Vir- *interrog.*
ginis, altera eſt permagna ſivè multum grandis miſericordia *16. q. 4.*
Divina. Et quis in hoc dubitare audebit, textu Sacro dicente, vel potiùs in eo ipſa Sacratiſsima Virgine magnificè conclamã- *Luc. 1.*
te: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt?* Si magna fecit in Maria qui potens eſt, ex quibus multa vſque modo permanſerunt occulta, vt teſtimonio Sanctorum diſſert. ſequenti patebit; magna igitur erit, talia magna revelans Divina Miſericordia. De pro-

 dig-

Offic. Div. in Nat. V.

digioſa Deiparæ vita canit itidem Officium Sacrum, quod *cunctas illuſtrat Eccleſias*: manifeſtare ergo vitam Mariæ inclitam, cunctas illuſtrantem Eccleſias, a ſingularibus Divinæ miſericordiæ beneficijs fidelium pietas audebit abſtrahere?

Idiota in Vmbr. Virgin.

Reſpirat peccator per Mariam in ſpe veniæ & gratiæ, ait Doctiſsimus Idiota; & nollent Deputati, peccatores reſpirare in agnitione mirabilium operum illius per quam reſpirant? *Mater omniũ eorum eſt Maria, qui ſunt in Cœlo, in Purgatorio, & in mundo pœnitentium, pulchrèque dicitur minor mundus, de qua Deo major gloria, & Angelis lætitia, hominibuſque vtilitas eſt, quam de toto mundo.*

S. Birgitta Revel. li. 4 c. 138. & Ser. Ang. cap. 5.

Vtrumque legitur in Divinis Revelationibus Sanctæ Birgittæ *lib. 4. cap. 138. & Serm. Ang. 5. per totum.* Sinant igitur Cenſores agnoſcere Matrem noſtram, in quo mundus eam non cognovit; & profiteri concedant, permagnam eſſe Dei miſericordiam, hoc in ſæculo nequam tantum bonum revelare voluiſſe. *Qui miſericordiam non invenit, vel à dæmone poſsidetur, ad Mariam recurrat*, ait Divinitus illuſtrata in ſuis ſupernis intelligentijs Sancta Maria Magdalena de Pazzis *lib. 2. cap. 18. fol. 28. num. 2.*

S. Maria Magd. de Paz. li. 2. Divin. Intellig. cap 18. fol. 28 num. 2. Eadẽ lib. 4. cap. 18. fol. 108. num. 3.

Agnoſcamus igitur Mariam, ad quam recurrere jubemur, & *liberalitatem Dei profiteamur, quæ talis eſt, vt donum exiſtimet, ſua nos dona recipere*, ſicut ipſa Sancta Maria Magdalena de Pazzis teſtatur *lib. 4. Divinarum intellig. cap. 18. fol. mihi 108. num. 3.* Quoniam vero rationi & authoritati diſſonum judicamus aſſerere, permagnam non fore miſericordiam, oſtendere & revelare vitam Matris miſericordiæ; ideo ſuper hoc nihil aliud vltra ſuperaddere decrevimus. Si enim Deum revelaſſe vbi abſcondita jacebant corpora Sanctorum, permagnũ Dei beneficium ab Eccleſia vniverſali celebratur, quanto magis celebrari & venerari debet vti magna & perquam magna Dei miſericordia, Altiſsimum revelaſſe eius Genitricis mirabiliſsimã vitam?

94 Aſſerit tertia propoſitio, Nunc eſſe tempus in quo attributum miſericordiæ Divinæ magis manifeſtandum eſt: Nunc quando mundus ad tàm infœlix ſæculum pervenit poſtquã Verbum caro factum eſt. Haud dubium, quod Divina miſericordia reſplendet magis in majori miſeria, & *miſericordia Dei quia non ſumus conſumpti*, ait Propheta, *& quia non defecerunt miſerationes ejus.* Si non defeciſſe miſerationes Domini, miſericordia

Hierem in Thren.

Dei

Dei eſt; major ergo miſericordia comprobatur, dum novam miſericordiam ſuperadditam invenimus ad conſuetas & communes miſerationes ejus. *Deus medicamentum eſt non ſano, regula eſt pravo, lux eſt tenebrato, habitatio eſt deſerto,* vt ait Divus Auguſtinus: infirmiori ergo majus eſt medicamentum; magis pravo, directior regula; magis tenebrato, ſplendidius lumen; & magis deſerto, tutior habitatio. Deus eſt, *cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere,* quique *potentiam parcendo maximè & miſerando, manifeſtat;* ſed parcere magis non valet, niſi magis illi offeratur quid parcat: magis ergo attributum miſericordiæ manifeſtat, cum magis ei de quo miſereatur multiplicat humana fragilitas. Duo debitores erant cuidam fœneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. *Non habentibus illis vnde redderent, donavit vtriſque. Cui facta eſt major miſericordia?* Abſque dubio, cui plus dimiſit: magis igitur oſtenditur attributum miſericordiæ in fœneratore ſupremo, quando in pauperculo peccatore magis invenit condonandum.

S. Auguſt. lib. de Charit.

Lucæ 7. v. 41.

95 Speciosè, ſuperno lumine illuſtrata ſcopum attegit S. Maria Magdalena de Pazzis in ſuis Divinis intelligentijs *lib. 3. cap. 32. fol. mihi 78. col. 2. num. 4.* vbi ait: *Renovatur erga peccatores miſericordia, quæ quolibet multiplicatur momento, quemadmodum iugiter contra Deum renovantur offenſæ; quas vel condonat, vel ſacramentorum virtute totalitèr delet; eam gratiam & auxilium peccatoribus præſtans, quibus convertantur ad Deum; & vſquequo convertantur, pœnam protrahendo, auxilia, internas externaſque multiplicando inſpirationes, quibus miſericordiam multiplicare dicitur.* Nihil amplius deſiderandum videbatur, ſed adhuc clarius *lib. 6. cap. 5. fol. mihi 203. col. 1. num 6.* ait. *Nulla eſt comparatio inter Deum & creaturam, nihilominus tantum eam diligis, ò Domine mi, vt non ceſſes iugiter gratias, dona, ac beneficia impendere, & propter infinitam tuam miſericordiam, non modo nobis adeo ingratis, ac vilibus te inclinas, ſed etiam te offendentibus, & non credentibus obviam is.* Nunc adverte quod ſequitur: *O magna bonitas, ò miſericordia infinita, & in quo hæc tua miſericordia oſtenditur major? Audebo dicere, quod major oſtenditur in ferendis continuis magniſque offenſis, quam in proprio ſanguine ſemèl dando.* Ad noſtrum intentum quid magis deciſsivum?

S. Maria Magd. de Paz. lib. 3 Divin. Intellig. cap 32. fol mihi 78. col. 2. nu. 4.

S. Maria Magd. de Paz. lib. 6. Divin. Intelligēt. cap. 5.

Nec

96 Nec id, quod de infœlici noſtro ſæculo ſcribit V. Author indubium revocabitur, ſi quæ ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ad memoriam trahamus. Conferantur in primis & experientia comprobentur, quæ varijs in locis Myſticæ Civitatis Dei de miſerabili mundi ſtatu præſenti continentur, præcipuè *1. p. num 163. & 164. & 2. p. num. 124. & 498. & 3 p. num. 239. & in alijs infra citandis*, quibus in locis lamentabilem, etſi veram, huius ſæculi infœlicis deſcriptionem efformat. Si in deaurata Eccleſiæ Catholicæ prima centuria licuit Apoſtolo dicere, *In hoc ſæculo nequam*; quid poſt ſexdecim ſæcula dicemus, quando frigeſcente mundo, noviſsima hora eſt, & ſcriptũ invenimus dictum illud infallibilis veritatis: *Cum venerit Filius hominis putas inveniet fidem ſuper terram?* Quanto tempora magis diſtabant à creatione, majori replebantur imperfectione, ideoque Chriſtus media nocte natus eſt, vt mediam noctem tenebrarum ad quam mundus devenerat, mirabili fulgore ſuæ Nativitatis illuminaret. De hoc apprimè loquitur V. Author num. ſup. citatis. Ex alijs privatis Revelationibus ſtat in promptu S. Birgitta *tom. 1. lib. 5. interrog. 16 quæſt. 3. fol. mihi 611.* vbi quærit à Domino dubij ſolutionem & ait ſic: *Cum tanta ſalus ſit toti humano generi in Incarnatione tua; cur tanto tempore diſtuliſti incarnari?* Cui Dominus: *Iuſtum fuit, vt tunc veniret Medicus, quando aggravata fuit infirmitas, vt vbi abundavit morbus, ſuperabundaret medicina.*

Myſt. Civ. Dei n. hic citatis.

Galat. 1. v. 4.

Luc. 18. 8.

S. Birgit. Revel. t. 1. lib. 5. Interrog 16 quæſt. 3. fol. 611.

97 Patet inſuper infœlicis ſæculi noſtri revelatum teſtimonium in S. Maria Magdalena de Pazzis *lib. 1. Divin. Intelligent. cap. 14 fol. 9 num. 1.* vbi inquit: *Mundus mihi hodie, quod nũquam, videtur ad pejora redactus, cum in eo nec amplius charitas, nec dilectio, nec amor inveniatur.* Item *lib. 5. cap. 19. nu. 4. fol. 166.* dicit Dominus Sponſæ ſuæ dilectæ: *Tempus advenit in quo creaturæ meæ, malitia magis, quam fragilitate peccent, & quanto magis cum donis meis & gratijs, mea bonitate concurro, tanto magis ipſi in malitia creſcunt.* Ecce quomodo oſtenditur magis attributum Divinæ miſericordiæ in majori miſeria. Conſonat & Sãct. Catharina Senenſis in ſuis Dialogis *tract. 1. cap. 16 prope finem*, vbi ait: *Aperi Domine miſericordes oculos tuos, & non differas miſereri mundo, nam jam videtur quod totum deficit, dum privatus cernitur vnione, & pretioſo vinculo*

S. Maria Magd. de Paz. lib. 1. Divin. Intellig. cap 14. fol. 9 num. 1. Ibid. lib 5 c. 19. n. 4. fol. 166.

S. Cathar. Sen. Dial. tract. 1. c. 16. prope fin.

lo tuæ charitatis & proximi. Et proſequitur cap. 17. & cap. 24. vbi dicit, mundum à bono fatalitèr declinaſſe, multiplicataſque eſſe ſpinas & tribulos, quibus bonum ſemen lamentabilitèr offuſcatur, ac deperditur. *Ibid cap. 17. & c. 24.*

98 Nec deeſt in Sacra Pagina efficax aſſumpti teſtimoniũ, 2. ad Timoth. 3. vbi Apoſtolus ait Diſcipulo ſuo: *Hoc autem ſcito, quod in noviſsimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erũt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei, &c.* Ferè in omnibus videtur deſcriptum infœlix ſæculum noſtrum; conſonamque reperies V. Matrem 1. p. Myſticæ Civitatis Dei nu. 302. & 2. p. n. 499. 266. 1281. 1312. 1328. & 1435. & 3. p. n. 427. 609. & 610. quibus in omnibus locis mirabilem de infœlicitate ſæculi præſentis, deque lamentabili peccatorum ingratitudine deſcriptionem efformat: major ergo Dei miſericordia ex majori hominum miſeria comprobatur. *2. Tim. 3.* *Myſt. Civ. Dei n. hic citatis.*

99 Verum licèt Divinæ miſericordiæ major oſtenſio ex comparatione ad majorem hominum miſeriam non conſurgeret; vnde probari poſſet, Deum in iſto ſæculo non poſſe, attributum miſericordiæ ſuæ magis manifeſtare, quam ſæculis præcedentibus ab Incarnatione? Manus Domini non eſt abbreviata, nec theſaurus miſerationum eius exhauſtus, imò miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

100 Adverſus propoſitiones quartam & quintam ſub Articulo Cenſuræ comprehenſas nihil egerunt Cenſores. In eis continetur, quod Sanctiſsima Virgo eſt *Ianua* ad Divinam miſericordiam; *Fax lucidiſsima* ad illuminandos homines in tenebris cæcitatis ſuæ; & *Speculum præclariſsimum*, vt videre poſsint ingrati animi ſui crimen. Elogia hæc paſsim in Sanctis Patribus & Doctoribus reperiuntur. Eccleſia canit: *Salve Radix, Salve Porta.* Item: *Ianua Cœli.* Et in Officio Aſſumptionis: *Paradyſi Portæ per te nobis apertæ ſunt, quæ hodie glorioſa cum Angelis triumphas.* Cœterum in Paradyſo Sponſi & Sponſæ Fol. 192. Author cæcinit: *Clauſerat ærato mors cardine limina vitæ: Tu domita, (vitæ janua) morte, pates.* Nec minora elogium *Facis* habet teſtimonia. Stella matutina, Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, quotidie ab Eccleſia ſalutatur. Sanctus *Eccleſ. in ant. dic. ſolit.* *Auth. Paradyſ. Spõſi & Spõſæ fol. 192*

Epi-

S. Epiphã. Serm. de laud. Virg. Alb Mag in Biblioth. Marian. Idẽ Ser. 2. in Nativ. V. Mar. Erneſt. in Mariali cap 80. Maurit in Chrõ. nov. B. M. c. 10 S. Ambr. l. 2. de Virg

Epiphanius ait: *Maria eſt Candelabrum aureum Zachariæ, quod ſplendidam lucernam relucentem in Cœlo & in terra, Chriſtum geſtavit.* Et Beatus Albertus Magnus: *Maria eſt Feneſtra illuminationis, totam domum Eccleſiæ luce Divinitatis illuſtrans.* Similitèr & præconium Speculi ipſe Albertus Magnus Sacratiſsimæ tribuit Virgini Mariæ his verbis: *Maria candor eſt lucis æternæ, & Speculum ſine macula.* Erneſtus: *Maria Speculum eſt in quo videtur Deus, non jam magnus Dominus & laudabilis nimis, ſed parvulus Dominus, & amabilis nimis: imò certè ibi videtur ſimul in vnum dives & pauper, parvus & magnus, æternus & infans, Creator & creatura.* Magis aptè ad intentum noſtrum Mauritius: *In B. Virgine tanquam in Speculo, ſuperbi cognoſcunt ſuas maculas, reſpiciendo ad eius humilitatem; luxurioſi, ad ipſius Virginitatem, &c.* Et S. Ambroſius: *Maria eſt Speculum ſine nævo, de qua, velut in Speculo refulget ſpeties caſtitatis.*

S. Birgit. lib. 1. Rev. cap 50. Item c. 51 & lib. 2. cap. 23. S. Birgit. ſer. Ang. cap. 5. Eadẽ lib. 1. cap. 50.

101 Ex Revelationibus privatis videatur in primis S. Birgitta *lib. 1. cap. 50. fol. mihi* 109. vbi oſtendit Mariam eſſe: *Ianuam ad inveniendam Divinam miſericordiam, quæ per Mariam procedit vt calor à Sole.* Ad idem facit *lib. 1. cap. 51. lib. 2. cap. 23. & extrav.* 50. *alijſque in locis.* De lumine Mariæ pertractat in ſermonibus Angelicis *cap.* 5. vbi ait. *O piæ dulcis Domina, Virgo Maria omnibus amabilis: quæmadmodum Deus duo luminaria ſimul cum ſtellis huic mundo neceſſaria creavit, ita & in te alia duo luminaria clariora fieri prævidit, &c.* Et *lib. 1. cap.* 50. aſſerit quod *Lux Mariæ fugat omnes tenebras*; eiuſque operationibus tribuit rationem *Speculi clariſsimi*, vt videre eſt in Serm. Angeli citat.

S. Maria Magd. de Paz lib. 2 cap. 24.

102 Collimat in aſſumptum S. Maria Magdalena de Pazzis *lib. 2. cap. 24 fol.* 34. vbi hæc leguntur: *O quot ſunt dona & gratiæ, quas Maria vult creaturis conferre! O Maria dulciſsima, quam pura, & quam pulchra es: tuo enim intuitu Angelos lætificas, peccatores confortas, & exultantes reddis creaturas. Intuitu tuo agis, vt ira Divina erga peccatores mitigetur; vnde creaturæ miſericordiam Dei admirantur, quod pro anima vna, vt ad ipſum reddeat, tanto tempore expectat.* Et paulò infra: *Aſcendens in Cœlum, ò Maria, Paradyſum in terra relinquis, relinquis enim inauditum illud caſtitatis exemplum, &c.*

Et

Et paulò poſt: *O Maria, tu es Porta illa, per quam nos ad Cæleſtem introducimur Patriam, & per quam Deus deſcendit in terrã.* Alia dulciſsima & valdè ad ſcopum noſtrum conducentia teſtimonia, in his Divinis Intelligentijs de Virgine Maria reperies, præcipuè lib.2. cap.17.23.& 24. & lib.3. cap.16.& 17. Et lib.4.c.18. Et lib.7.cap.19.

Eadẽ alijs in loc. hic cit.

103 Habemus igitur conſonam & concordem in ſuis propoſitionibus in Articulo primo Cenſuræ ſubjectis, prout ad verum originale reductis, Ven. Authorem, cum Scriptura Sacra, Eccleſia Catholica, SS. PP. & DD. & cum alijs Revelationibus privatis inter manus fidelium ſine contradictione currentibus. Solum ergo reſtat oſtendere inordinatam & falſam Doctorum Deputatorum Cenſuram.

§. IV.

INORDINATA ET FALSA DOCTOrum Deputatorum, & Sententiæ ſuppoſititiæ oſtenditur Cenſura.

104 DESTRUCTO fundamento, corruit ædificium; & deſtructo motivo Cenſuræ, totum evaneſcit ipſius Cenſuræ fundamentum. Multi fingunt homines, vt liberè percutiant; falluntur tamen, ſolum aërem verberantes, pugnanteſque in incertum, vel potiùs in figmentum certum, quaſi homines fictos jugulantes. Neſcio ſi ſic evenit noſtris Sorbonicis Cenſoribus. *Hæc doctrina*, inquiunt, *quæ dicit, Miſericordiam Dei magis eluxiſſe manifeſtatione rerum, quæ dicuntur huic Moniali revelatæ, quam in miſione Verbi incarnati in hunc mundum, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & impia.* Adhuc diminuta foret Cenſura, ſi talia diceret V. Author. Verum nec talia dicit, nec illativè ea dicere velle poteſt inferri; vt manifeſtè comprobatum eſt ex ipſo Originali. Præterea nec ipſæ propoſitiones, vt jacent ex Gallico in latinum traductæ, aſſerunt quod Cenſores imponunt, vt ſanis oculis conſideranti patebit.

105 Si defuit pietas Deputatis, defuit eis virtus fundamentalis in huiuſmodi materia expetita Cenſoribus. Æſtimanda ve-

nit diſcreta illa ſententia Cardinalis Turrecremata cap. 3. Prologi ſup. Revelat. S. Birgittæ, quæ ſic eſt: *Si benè & diligentèr, ac pio ſtudio, ſicut Sanctorum dicta ſolita ſunt legi, intelligantur, nihil continent, quod intellectum habeat adverſum Sacræ Scripturæ, aut doctrinæ Sanctorum Doctorum ab Eccleſia approbatorum*; Et in fine defenſionis Articulorum iterum repetit: *Nullum piè & modeſtè intellectum reperies Sacræ Scripturæ, aut Sanctorum Patrum ſententijs contrarium, ſed conſonum, & conformem ſatis reputo vnumquemque,* (nunc attende) *& omnes eos juxta eorum modeſtiam & piam intelligentiam eſſe admittendos.* Amplius pietatem expetit his verbis: *Vt patet inſpicienti ſanis oculis libros huiuſmodi, & ea pietate legenti, qua cæteræ Scripturæ Sanctæ, ſivè Canonicæ, ſivè Doctorum legi debent.* Sanos oculos & pietatem ſemèl & iterum atque iterum in Examinatoribus Revelationum privatarum Eminentiſsimus Cardinalis meritò perquirit, *cum pietas*, Apoſtolo teſte, *omnium virtutum fundamentum ſit.* Super hoc ait Hurtadus: *Caveant ergo Exploratores Revelationum non vti calliditate, &c.* Nunc ergo ad Cenſores Pariſienſes: Si in Tomo primo Myſticæ Civitatis Dei, quem vos quidèm legiſtis, & voto veſtro, vel cenſura veſtra damnaſtis ante faciem Sorbonici Congreſſus: & non vtcunquè legiſtis, *ſed in varijs conſeſsibus privatis intra duos menſes habitis, magna & diuturna conquiſitione* examen vobis commiſſum, factum præſtitiſtis, *vt dicitur in Præfatione Cenſuræ Suppoſititiæ, parte prima*: Si, inquam, in Tomo primo Myſticæ Civitatis Dei num. 259. à lin. 19. legiſtis: *Inter omnes gratias à Divina Miſericordia mortalibus collatas, nullam eſſe majorem,* vel potiùs, *Deum ſe feciſſe hominem, hanc eſſe majorem omnibus gratijs, & beneficijs divinis*: Quomodo ſi hoc legiſtis, intelligentiam contrariam propoſitioni confixæ adjudicaſtis? Verba Hiſpanica ſunt hæc: *Si nada nos deve el verdadero Señor, y todo nos lo diò, y lo dà de gracia; y entre todas ſus gracias, y beneficios, la mayor gracia fue averſe hecho hombre, y muerto por noſotros, porque en eſte beneficio ſe nos diò todo à ſi miſmo, corriendo el impetu de la Divinidad haſta topar con nueſtra naturaleza, y vnirſe con ella, y con noſotros. Como es poſsible, &c.* Si hoc legiſtis, & juxta firmam Nicolai III. regulam *de verborum ſignificatione*, ſupra relatam num. 63. ea quæ in principio,

Eminentiſ. Turrecremat. c. 3. Prolog. ad Revel. S. Birgit.
Idem Turrecremat. in fin. defenſ. Art.

pio, ad medium & ad finem; illa vero quæ in medio, ad finem atque principium; & ea quæ in fine, ad vtrumque, vel eorum alterum referuntur: quomodo ad clauſulam V. Authoris, hic fideliter tranſcriptam, quæ in medio tomi quem legiſtis eſt, non attendiſtis?

106 Authores inſuper Suppoſititiæ Cenſuræ Sac. Facult. Theologiæ Pariſienſis timoratiores in hocce judicio proceſſerũt. Aiunt ſic: *Si intendat Author in prædictis propoſitionibus Myſteria revelata comparare, & præferre Myſterio Incarnationis Verbi, & in illis majorem Dei miſericordiam, quam in iſto eluxiſſe: Hæc doctrina falſa eſt, &c. Si vero tantum intendat prædictam gratiam præferri debere omnibus gratijs & beneficijs, quæ Deus à tempore Incarnationis hominibus contulit; Hæc doctrina falſa eſt, temeraria, & ſcandaloſa.* Nec vnum, nec aliud intendit Ven. Author, vt probatum manet ſupra num. 84. doctrina igitur ejus nec eſt falſa, nec temeraria, nec impia, nec ſcãdaloſa, ſed ſana, vera, ædificativa, & devota; de quo loquantur experti, & innumeri qui his libris vitam ſuam mutaverunt in melius. Timoratiorem autem conatum his Cenſoribus, quam Deputatis attribui, eo ſolum, quod hi abſolutè, iſti vero quaſi profitentes, litteram textus non apertè concludere, Venerab. Authorem loqui de exceſſu comparativo ad beneficiũ Incarnationis, conditionatè & non abſolutè Cenſuram impegerunt. Verum enimverò, tàm Deputati, quam alij Cenſores legitimam Ven. Authoris mentem non invenerunt; quoniam neutram partem affirmat Ven. Abbatiſſa. Neutrum dicit, quæ vtrumque negat. Neutrum dicit, quæ doctrinam contrariam expreſsè tenet, *vt videre eſt*, §. 2. *huius Concert.* 2. *per tot.*

ARTIC. II.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM *Pariſienſium.*

107 PAg. 17. nu 10. Deus inducitur ſic loquens: *Non manifeſtavi hæc in primitiva Eccleſia, quia continent Myſteria tàm alta, tàmque ſublimia, vt fideles illis penetrandis*

& admirandis intenti fuiſſent, cum neceſſè erat ſtabiliri Legem Gratiæ, & Evangelium promulgari. Et quanquam id incompoſsibile non fuiſſet, attamen ingenium humanum oppletum ignorantia pati poterat nonnihil turbationis, & dubitationis, quia Fides Incarnationis, & Redemptionis erat adhuc debilis, atque præcepta novæ legis erant quaſi incunabulis.

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

108 HÆC *propoſitio falſa eſt, temeraria, & novitatem inducens.*

CONCERT. III.

CIRCA PROPOSITIONEM CONFIXAM IN *Articulo ſecundo Cenſuræ Doctorum Deputatorum.*

109 SIMILITER ſicut in capite antecedenti examinanda veniunt. 1. Diſcordia inter verſionem Gallicam, & exemplar Hiſpanicum. 2. legitima Uen. Authoris intelligentia in propoſitionibus Notæ ſubjectis. 3. Concordia, ſivè conſonantia Authoris cum Scriptura Sacra, SS. PP. & DD. alijſque cum revelationibus privatis. 4. Inordinatio Cenſuræ. Ad ſingula tranſeamus.

§. I.

DISCORDIA INTER VERSIONEM *Gallicam & exemplar Hiſpanicum.*

110 HISPANICVS textus ait ſic: *En la primitiva Igleſia no los manifeſtè;* (loquitur dominus de Myſterijs occultis Sacratiſsimæ Virginis) *porque ſon Miſterios tan magnificos, que ſe detuvieran los Fieles en eſcudriñarlos, y admirarlos, quando era neceſſario que la Ley de Gracia, y el Evangelio ſe eſtableceſſe. Y aunque*

todo era compatible; pero la ignorancia humana pudiera padecer algunos recelos, y dudas, quando tan en ſus principios eſtavà la Fè de la Encarnacion, y Redencion, y los preceptos de la nueva Ley Evangelica.

111 Verſio de Hiſpano in latinum: *In primitiva Eccleſia non manifeſtavi ea* (ait Dominus de occultis mirabilibus Sacratiſsimæ Virginis;) *quia ſunt Myſteria adeò magnifica, vt detinerentur Fideles in eis ſcrutandis & admirandis, quando erat neceſſarium quod Lex Gratiæ, & Evangelium ſtabiliretur. Et quamvis totum erat compatibile; tamen ignorantia humana pati poſſet nonnullas ſuſpiciones, & dubia, quando tàm initijs ſuis erat Fides Incarnationis & Redemptionis, & præcepta novæ Legis Evangelicæ.*

112 Verſio fidelis ex Gallico in latinum: *Non manifeſtavi hæc in primitiva Eccleſia; quia continent Myſteria tam alta, tàmque ſublimia, vt fideles illis penetrandis, & admirandis intenti fuiſſent, cum neceſsè erat ſtabiliri Legem Gratiæ, & Evangelium promulgari. Et quanquam id incompoſsibile non fuiſſet, attamen ingenium humanum oppletum ignorantia pati poterat nonnihil turbationis, & dubitationis, quia Fides Incarnationis, & Redemptionis erat adhùc debilis, atque præcepta nova Legis erant quaſi incunabilis.*

113 Hæc verſio Gallica loco illorum verborum, *ſunt Myſteria*, inquit, *continent Myſteria.* Pro, *adeo magnifica*, vertit, *tã alta, tàmque ſublimia.* Pro, *detinerentur Fideles in eis ſcrutandis & admirandis*, vertit, *vt fideles illis penetrandis & admirandis intenti fuiſſent.* Pro, *quando erat neceſſarium, quod Lex Gratiæ & Evangelium ſtabiliretur*, vertit, *cum neceſsè erat ſtabiliri Legem Gratiæ, & Evangelium promulgari.* Pro, *ignorantia humana pati poſſet nonnullas ſuſpiciones & dubia*, vertit, *ingenium humanum oppletum ignorantia pati poterat nonnihil turbationis, & dubitationis.* Pro, *quando tàm in initijs ſuis erat Fides Incarnationis & Redemptionis, & præcepta novæ Legis Evangelicæ*, vertit, *quia Fides Incarnationis & Redemptionis erat adhuc debilis, atque præcepta novæ Legis erant quaſi in cunabulis.* Diſcordia

114 Habes comparationem inter Verſionem Gallicam, & textum Hiſpanum, quorum diſcordia clariſsima eſt, vt inſpicienti

ti patet; & præter alias diſſonantias, & impropietates, addit in fine cauſalem, certè non inventam in Hiſpano Originali. Originale quidem dicit, *quando Fides*, & verſio pro, *quando*, ait, *quia Fides, &c.*

§. II.

LEGITIMA VEN. AUTHORIS INTELligentia in Doctrina Notæ ſubjecta.

115 SUB duplici clauſula plures & diſtinctas propoſitiones imbibit V. Author. Prima dicit, quod *in primitiva Eccleſia non manifeſtavit Deus hæc occulta Myſteria Sacratiſſimæ Virginis.* Secunda aſſerit, *iſthæc Myſteria eſſe adeò magnifica, &c.* Tertia dicit, quod *Fideles detinerentur in eis ſcrutandis, & admirandis, &c.* in quo non parum reperit inconveniens V. Mater. Quarta reſolvit, quod *id totum erat abſolutè compatibile.* Quinta aſſerit, quod *ignorantia humana pati poſſet ſuſpitiones & dubia, &c.*

116 Prima propoſitio eſt manifeſta, ejuſque intelligentia clariſsima, expoſitione non indigens. Dixi manifeſtam eſſe, eo quod æqualitèr certum ſit, occulta manſiſſe talia Myſteria; ac non fuiſſe à Deo manifeſtata. Obſervandum vero, aliud fore nõ eſſe à Deo implicitè revelata talia Myſteria, & aliud non fuiſſe explicitè manifeſtata. Textus ait: *Non manifeſtavi hæc in primitiva Eccleſia*, quod certè non excludit revelationem implicitam, ſed ſolum denegat explicitam manifeſtationem. Vtrumque aſſerit Ven. Author, primum ſcilicèt, omnia Myſteria hæc jam reperiri in Divinis Litteris implicitè revelata; ſecundum vero non fuiſſe in primitiva Eccleſia apertè & expreſsè manifeſtata, ſicut dicitur in propoſitione Notæ ſubjecta: *Non manifeſtavi hæc in primitiva Eccleſia, &c.*

117 Hæc genuina V. Authoris intelligentia manifeſtè conſurgit ex collatione hujus num. 10. primæ partis Myſticæ Civitatis Dei cum num. 413. 1115. & 1515. ſecundæ partis, & cum num. 11. 12. & 13. tertiæ partis ejuſdem Myſticæ Civitatis Dei, ubi formalibus terminis aſſeritur utrumque; & quod

Myſt. Civ. Dei n. hic notat.

Myſteria hæc non fuerunt in primitiva Eccleſia manifeſtata fidelibus, & quod ſub velamine ſcripturarum jam erant implicitè revelata, & fide implicita à fidelibus credita.

118 Secunda propoſitio, ea videlicèt, quæ aſſerit, *Myſteria hæc eſſe adeo ſublimia, &c.* etiam per ſe liquet, in ejuſque confirmationem innumera repetiuntur Sanctorum Patrum, & aliarum privatarum revelationum convincentia teſtimonia, vt in ſequenti §. notum fiet. Proderit tamen propoſitionem huiuſmodi cum num. 44. 93. 128. 267. 296. 463. 770 primæ partis; & cum num. 222. 776. 909. ſecundæ partis; & cum num. 119. 489. & 657. tertiæ partis Myſticæ Civitatis Dei diligentèr conferre, miramque doctrinarum conformitatem obſervare. *Myſt. Civ. Dei n. hic citatis.*

119 Tertia propoſitio de periculis emergentibus primitivis fidelibus, ſi Myſteria hæc ſimùl cum alijs in initio Catholicæ Fidei, eorum credulitati neceſſariæ committerentur, etiam eſt legitimè intellecta, dum juxta litteralem ſenſum verborum ſignificatum accipitur. Ad idem legi poteſt ipſa V. Author prima parte num. 43. 101. & 592. & 2 part. nu. 806. 1515 & 1516. & 3. part. nu. 12. 13. 29. & 571. quibus in locis vrgentiſsima piæ credibilitatis motiva ad aſſenſum propoſitionis ſubjectæ reperiuntur. *Myſt. Civ Dei.*

120 Quarta & quinta propoſitio, earumvè ſenſus liquidò patet: Aſſerit igitur in eis V. Author, non eſſe abſolutè incompatibilia Myſteria hæc cum Myſterijs in primitiva Eccleſia revelatis; verumtamen ignorantiam hominum tunc temporis, ex commixtione Myſteriorum Fidei Divinitatis Chriſti cum arcanis Myſterijs ſuæ Sacratiſsimæ Matris ſuſpiciones & dubia pati potuiſſe. Compatibilitas abſoluta nota eſt, cum ex actu ad potentiam valeat conſequentia: ſi igitur nunc compati deſiderantur vtraque Myſteria revelata: non ergo abſolutè incompatibilia ſunt, neque ex parte revelātis, neque ex parte Myſteriorum; ſed neque ex parte revelationes ſuſcipientiū: ergo abſolutè cōpati poſſent. Minor ſubſumpta videtur manifeſta reſpectu ſingularium, quibus Divinas Revelationes accipere nullatenus repugnabat, præcipuè cum nec ſanctitatem, nec gratiam ſanctificantem in recipiente prærequirant. Videatur num. 612. primæ partis Myſticæ Civitatis Dei. *Myſt Civ Dei. 1. p n. 612.*

121 Ignorantiam itidem mortalium ex revelatione ſimulta-

ta-

tanea credendorum adeò mirabilium pati potuiſſe turbationes & confuſiones, ſuſpiciones & dubia, aliaque formidanda pericula, varijs declaratur exemplaribus in Scriptura Sacra repertis, & num. 12 ſecundæ partis Myſticæ Civitatis Dei relatis, cui conſonat doctrina Notæ ſubjecta. Conferatur itaque numerus vterque; hic, ſcilicèt, decimus primæ partis à Deputatis notatus, cum duodecimo partis ſecundæ, nuper ſignato.

Myſt. Civ. Dei, 2. p. num. 12.

122 Placuit enim, intelligentiam legitimam V. Authoris in hac parte ſub brevitate tranſcurrere, quatenùs ejus expoſitio ita neſcientibus fiat cognita, vt tamen ſcientibus non ſit oneroſa. Nunc ergo conſonantiam cum Scriptura Sacra, SS. PP. & DD. principalitèr intentam requiramus.

§. III.

OSTENDITVR MIRABILIS CONSOnantia Myſticæ Civitatis Dei cum Scriptura Sacra, SS. PP. & DD. in Doctrina Notæ ſubjecta.

123 OMNIA Sacratiſsimæ Virginis Mariæ Privilegia, ejuſque Sacra Myſteria eſſe in Sacris Litteris implicitè revelata, varijſque methaphoris & figuris velata, fatetur expreſsè Uenerabilis Author 2. part. Myſticæ Civitatis Dei num. 1115 his clariſsimis verbis Hiſpanicis: *Entre las obras de Dios, que ſe llaman* ad extra, *porque las hizo fuera de ſi miſmo, la mayor fue la de tomar carne humana*, *&c.* & paulò poſt proſequitur: *En eſta Fè explicita de los Myſterios revelados confeſſamos implicitamente los que en ſi encierran, y no ha ſido neceſſario manifeſtarſe al mundo*, *&c.* Et num. 1516. à lin. 9. *Aunque todos los Myſterios de Chriſto, y ſu Madre eſtèn revelados en las Divinas Eſcrituras; mas no todos ſe manifieſtan igualmente à vn miſmo tiempo, ſino poco à poco à ido corriendo el Señor la cortina de las figuras, metaforas, ò enigmas con que ſe revelaron*, *&c.* Et num. 1508 à lin. 10. ait SS. Uirgo Maria: *Mis prerrogativas eſtavan encerradas en ſer Madre de Dios,*

Myſt. Civ. Dei, 2. p.

Dios. Et adhuc expreſſius 3. p. n. 11. à lin. 12. *Obedeciò el Apoſtol San Juan à la voluntad de la Divina Madre. Y quando fue tiempo, y diſpoſicion Divina, que antes de morir el Evangeliſta enriqueciesſe à la Igleſia con el teſoro de eſtos ocultos Sacramentos, fue orden del Eſpiritu Santo que los eſcriviesſe en metaforas, y enigmas, tan dificiles de entender, como la Igleſia lo confieſſa. Y fue aſsi conveniente, que no quedaſſen patentes à todos, ſino cerrados, y ſellados como las perlas en el nacar, ò en la concha, y el oro en los eſcondidos minerales de la tierra, para que con nueva luz, y diligencia los ſacaſſe la Santa Igleſia quando tuvieſſe neceſsidad; y en el interin eſtuvieſſen como en depoſito en la eſcuridad de las Sagradas Eſcrituras, que los Doctores Sagrados confieſſan, en eſpecial el Libro del Apocalipſi.* *Myſt Civ. Dei. 3. p.*

124 Favet his in primis Seraphicus Doctor Serm. in Exam. vbi ait: *Mira dicuntur de Maria in Scripturis. Et quod dicunt aliqui, quare ita pauca dicuntur de Beata Virgine? Nihil eſt; quia multa dicuntur de ea, quia vbique de ipſa.* Et S. Ildephonſus Serm. de Aſſumpt. Virginis, ait: *Ecce ad quam omnia enigmata concurrunt Scripturarum.* Et S. Germanus in Nativ. Mariæ inquit: *Salve veteris, novique Teſtamenti ſygillum.* Et S. Bernardus Serm. in Salv. *De hac, & ob hanc, & propter hanc omnis Scriptura facta eſt. Propter hanc totus mundus factus eſt, & hæc gratia Dei plena eſt, Verbum Dei caro factum eſt.* Concluditur ergo, Sacratiſsima Dei genitricis eximia Sacramenta in Sacris Litteris eſſe implicitè revelata. *Seraph. Doctor. S. Ildephõ. S. Germanus. S. Bernardus.*

125 Perſuadere nunc ſequitur, quam plura ejuſdem Deiparæ Myſteria, in primitiva Eccleſia non fuiſſe expreſsè manifeſtata Fidelibus. Primum igitur audiamus ipſam Venerabilem Matrem, haud ſolum in propoſitione Notæ ſubjecta, quin etiam alijs in locis ipſius Myſticæ Civitatis Dei, vt ex collatione ſententiarum veritas eluceſcat. *Part.* 2. *num.* 413. *à lin.* 14 ait ſic: *De eſtos grandes Sacramentos, y otros muchos que ſucedieron à nueſtra Reyna no hizieron memoria los Sagrados Evangeliſtas, porque no fue neceſſario introduzir eſtas maravillas en la vida de Chriſto nueſtro Señor, que eſcrivieron, para que con ſu Fè ſe difundieſſe la nueva Igleſia, y Ley de Gracia: antes pudiera ſer poco conveniente para la Gentilidad en ſu primera conver-* *Myſt. Civ. Dei, 2. p. num. 413.*

ſion. Y la admirable providencia con ſus ocultos juyzios, y ſecretos ineſcrutables, reſervò eſtas coſas, para ſacar de ſus teſoros las que ſon nuevas, y ſon antiguas, en el tiempo mas oportuno, previſto con ſu Divina Sabiauria; quando fundada yà la Igleſia, y aſſentada la Fè Catholica, ſe hallaſſen los Fieles neceſsitados de la interceſsion, amparo, y proteccion de ſu Gran Reyna, y Señora.

Myſt.Civ. Dei, 2. p. n.1515.

126 Item *num.* 1515. *ejuſdem* 2. *part* ait: *En eſtos favores, y Miſterios de Maria Santiſsima, muy diferente coſa es inveſtigar la razon, porque el Altiſsimo los obrò en ella, ò porque los ha tenido ocultos tantos ſiglos en ſu Igleſia. Lo primero ſe ha de regular con el poder divino, y el amor inmenſo que tuvo à ſu Madre, y por la Dignidad que le diò ſobre todas las criaturas. Y como los hombres en carne mortal no llegan à conocer cabalmente, ni la Dignidad de Madre, ni el amor que le tuvo, y tiene ſu Hijo, y toda la Beatiſsima Trinidad, ni los meritos, y Santidad à donde la levantò ſu Omnipotencia; por eſta ignorancia limitan el poder Divino en obrar con ſu Madre todo lo que pudo, &c. Pero en manifeſtar Dios eſtas maravillas à ſu Igleſia, concurren otras razones de ſu Altiſsima Providencia, con que la govierna, y le và dando nuevos reſplandores, ſegun los tiempos, y neceſsidades que con ellos ſe ofrece. Porque el dichoſo dia de la gracia, que amaneciò al mundo con la Encarnacion del Verbo humanado, y Redencion de los hombres, tiene ſu mañana, y meridiano como tendrà ſu ocaſo; y todo lo diſpone la Eterna Sabiduria, como, y quando oportunamente conviene.*

Myſt. Civ. Dei p. 3. num. 12. & 13.

127 Item 3. *part. num.* 12. *à lin.* 1. ait: *De la providencia que tuvo el Altiſsimo en ocultar la Grandeza de ſu Madre Santiſsima en la primitiva Igleſia, he hablado algo en el diſcurſo de eſta Divina Hiſtoria; y no me eſcuſo de renovar aqui eſta advertencia, por la admiracion que cauſarà de nuevo à quien lo fuere aora conociendo. Y para vencer la duda (ſi alguno la tuviere) ayudarà mucho conſiderar lo que varios Santos, y Doctores advierten, que ocultò Dios à los Judios el cuerpo, y ſepultura de Moyſes, por eſcuſar, que aquel Pueblo, tan pronto en Idolatrias, no erraſe con ella, dando adoracion al cuerpo del Profeta, que tanto avia eſtimado, ò que le veneraſſe con algun*

cul-

culto ſuperſticioſo, y vano. Y ſi al Pueblo Hebreo ſe le pegò el contagio de la Idolatria con la comunicacion, y vezindad de la Gentilidad, tan inclinada, y ciega en dàr divinidad à todas las criaturas, que les parecian grandes, poderoſas, ò ſuperiores en alguna potencia; mucho mayor peligro tuvieran los miſmos Gentiles de eſte error, ſi quando ſe les començava à predicar el Evangelio, y la Fè de Chriſto Nueſtro Salvador, ſe les propuſiera juntamente la excelencia de ſu Madre Santiſsima. Y en prueba de eſta verdad, baſta el teſtimonio de San Dioniſio Areopagita, que con aver ſido Filoſofo tan ſabio, que conociò entonces al Dios de la naturaleza; con todo eſto, quando yà era Catolico, y llegò à vèr, y hablar à Maria Santiſsima, dixo; que ſi la Fè no le enſeñara, era pura Criatura, la tuviera, y adorara por Dios. En eſte peligro incurrieran facilmente los Gentiles mas ignorantes, y confundieran la Divinidad del Redentor, que devian creèr, con la grandeza de ſu Madre Puriſsima, ſi ſe les propuſiera todo junto; y penſaran, que tambien ella era Dios como ſu hijo, pues eran tan ſemejantes en la Santidad. Pero yà eſte peligro ha ceſſado, eſtando tan arraigada la Ley, y Fè del Evangelio en la Igleſia, y tan iluſtrada con la doctrina de los Sagrados Doctores, y tantas maravillas como Dios ha obrado en eſta manifeſtacion del Redentor. Y con tanta luz ſabemos, que ſolo èl es Dios, y hombre verdadero, lleno de gracia, y de verdad; y que ſu Madre es pura Criatura, y ſin tener Divinidad, fue llena de gracia, inmediata à Dios, y ſuperior à todo el reſto de las Criaturas. Y en eſte ſiglo, tan iluſtrado con las verdades divinas, ſabe el Señor, quando, y como conviene dilatar la gloria de ſu Madre Santiſsima, manifeſtando las enigmas, y ſecretos de las Sagradas Eſcrituras, donde la tiene encerrada. *Joan. 1. v. 14.*

128 Viſa in Venerabili Authore conſonantia Doctrinarum inter ſe, tranſeamus ad illam cum Scriptura Sacra, SS.PP. & DD. in titulo principalitèr quæſitam. Aſſumpta propoſitio decernit, non omnia Sacratiſsimæ Uirginis Myſteria in primitiva Eccleſia fuiſſe Fidelibus expreſsè manifeſtata, quinimò quãplura occulta manſiſſe, ſuccedentibus ſæculis revelanda. Hoc ſatis ſuadent, ni fallor, verba illa magnifica ipſius Puriſsimæ Virginis Lucæ 8. *Beatam me dicent omnes generationes: Quod qui-* *Luc. 8.*

dem ita accipiendum eſt. Ait Magnus Cancellarius Pariſienſis: *Vt ſuccedentes generationes, non modo acceptas à prioribus laudes Virginis celebrarent, ſed etiam illas novis acceſsionibus augerent, & cumularent.* Ex quo arguitur ſic: Succedentes generationes novas non poſſent laudes Virginis augere, niſi novo ad hoc accedente motivo; ſed ſi omnia Sacratiſsimæ Virginis dona & privilegia, eximiæ virtutes, & opera mirabilia in Eccleſia primitiva fuiſſent Fidelibus explicitè revelata, ita vt nihil in poſterum revelandum maneret, vt volunt Deputati, nullum ad novas Uirginis laudes ſuccedentibus generationibus accedere poſſet novum motivum: Ergo, &c.

129 Idem expreſiùs iuxta prænominata Virginis verba: *Beatam me dicent omnes generationes*, ex Authoritate Ricardi de Sancto Laurentio efficacitèr roboratur; ait ſic: *Beatam me dicent omnes generationes.* (nunc Ricardus) *Nam ipſe qui antiquis inſpiravit, vt de Matre ſua ſub enigmatibus glorioſa prædicerent, ipſe & quoſdam modernos illuſtrat, ac etiam vſque ad finem mundi ſemper aliquos illuſtrabit, vt Deiparæ præconio nova ſemper aliqua ſuperaddant.* Ergo in primitiva Eccleſia quam plurima Virginis Sacramenta ſub enigmatibus clauſa & occulta manſerunt, implicitè revelata, & explicitè credentibus non manifeſta, de quibus ſuccedentibus ſæculis, qui antiquis alia inſpiravit, etiam & modernis vſque ad finem mundi poſsit illuſtrare, vt de Digniſsima Matre ſua nova ſemper ſuperaddant, & glorioſa prædicent; ſed hoc expreſsè continetur in primis clauſulis Notæ Deputatorum ſubjectis: Ergo, &c.

Ricard à S. Laurẽt. lib. 4. de Laud. Vir.

130 Collimant inſuper in aſſumptū ſequentia Sacræ Scripturæ teſtimonia cum ſuis expoſitionibus; aliiſque SS. PP. & DD. authoritatibus, quarum aliquas, quanto ſelectiores ad púctum, tanto apud RR. repetitas, & de vno in alterum tranſcriptas ievenies.

131 Cant. 1. v. 11. *Murenulas aureas faciemus tibi.* Rupertus: *O Virgo Virginum tuis auribus amicorum committe ſecretum, vt dicas novis quomodo, vel per quid Altiſsimo placueris? Qualis ille tibi fuerit, primum in corde, ſivè in ſinu, deinde in convictu, ſivè in colloquio, dum lactares vberibus, dum geſtares in vlnis: &c.* Vel magnus iſte Doctor in his quæ à Sanctiſsima Virgine amicorum ſuorum auribus revelanda poſtu-

Cant. 1. v. 11. Rupert. in Cant. 1. v. 11.

tulabat, occulta aliqua de ipſa Regina creaturarum adhuc revelabilia cognoſcebat; vel revelata & manifeſtata iterum revelari poſcebat? Si primum, quod eſt certum? Habemus intentum: omnia igitur Sacratiſsimæ Virginis opera & Myſteria in Eccleſiæ primordijs non manifeſtata profitebatur, & nobiſcum eſt. Si audeant Deputati affirmare ſecundum? Urget implicantia, dum revelata revelari poſtulaſſet: Ergo, &c. *Eadem, vel valdè ſimilis tribuitur Authoritas S. Thomæ de Villanova, Serm. 3. de Aſſumpt. circa finem.*

132 Cantic. 6. v. 9. *Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens.* Cancellar. Pariſ. *In cognitione eorum, quæ ad Deiparam ſpectant, Eccleſiam majores in dies progreſſus feciſſe, mihi compertum eſt. Conſtat enim, antiquitatem multa SS. Virginis encomia, aut prorſus ignoraſſe, aut minus rectè caluiſſe, quæ hodie Eccleſia nova luce perfuſſa, piè amplectitur. Sic quaſi Aurora conſurgit, &c.* Sed ſi omnia SS. Virginis eximia opera, arcanaque Myſteria in Eccleſia primitiva expreſsè Dominus revelaſſet, nequiret in his Eccleſia Catholica majores in dies facere progreſſus: Ergo, &c. *Gerſon. Serm. de Concep. in append.*

133 Cant. 4. v. 1. *Abſque eo quod intrinſecus latet.* Ricardus à Sancto Laurentio: *Propter hoc etiam de Maria ſpecie toties replicat Sponſus in Canticis, abſque eo quod intrinſecùs latet, ſoli pervium Creatori, ſed nulli cognitum creaturæ; nam quanta ſit Mariæ ſpecies, qui dedit ſpeciem ſolus novit.* Sed caſu quo nihil revelandum de Sanctiſsima Virgine, omniaque jam revelata profiteantur, nihil quod intrinſecus lateret, vel ſoli pervium Creatori, nullique cognitum creaturæ reſtaret; cum cognitum creaturæ videatur quidquid revelatum ipſi creaturæ conſpicitur: Ergo, &c. *Cant. 4. v. 1. Ricard. à S. Laurēt. Prolog. 1. de Laud. Deip.*

134 Item Cant. 4. *Abſque eo quod intrinſecus latet.* Rupertus: *Quod ſolus in te, ò Maria, Deus videt, nobis autem, quia inexpertum, idcirco ineffabile, & incogitabile;* ſed nobis non foret inexpertum, quod aliàs luce Divina revelatū; nec ſolus Deus in Maria videret, quod & nos revelatione Divina noſceremus: Ergo, &c. *Rupert. ſup. Cāt. 4.*

135 Pſalm. 86. *Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei.* Ricardus à S. Laurentio, dicebat ſup. num. 32. *Nec ſolum dicta ſunt, ſed etiam dicuntur quotidie, & dicentur uſque in æternum;* *Ricard. à S. Laur. ſup. cit.*

num; ſed ſi jam omnia de Virgine Maria dicta forent, nihilque à Deo Fidelibus occultatum, vt exiſtimant Deputati, nihil novum diceretur quotidie, nec dici poſſet vſque in æternum, imò neque in poſterum: Ergo, &c.

135 Itidem ſuper illa verba: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt, &c. Fecit potentiam in brachio ſuo, &c. Hortus concluſus; Fons ſignatus, &c.* ad ſcopum noſtrum apud SS. PP. Bernardum, Anſelmum, & Bonaventuram inſignes inveniuntur expoſitiones.

136 Cœterum & SS. Patribus, doctrinam Notæ ſubjectam eſſe conformem proſequamur.

S. Bernar. apud Staniſlaũ Phœnic. fol. 81. 137 Sanctus Bernardus vocat Sacratiſsimam Virginem, *Negotium ſæculorum*, vt intelligatur, in quolibet ſæculo glorioſum fore Doctoribus de Virgine Matre alia atque alia nova ſuperadere encomia, & exarare privilegia.

Idẽ Serm. 2. ſupr. Salv. 138 Idem: *Nemo neque in Cœlo neque in terra inventus eſt dignus aperire librum prærrogativarum tuarum ò Maria.* Cui conſonat D. Bonaventura aſſerens, quod Regina Mater eſt *Theſaurus inexhauſtus, & abyſſus multa prodigiorum*, vt detur intelligi, ſemper plurima inveſtiganda remanere in hac profundiſsima ac inſondabili abyſſo mirabilium Omnipotentis.

S. Bonavẽ.

S. Amad. Epiſ. Lauſanenſ. Hõ. 8. de Laud. Virg. 139 S. Amadeus Epiſcopus Lauſanenſ. *Spirituales viſiones, & Cœleſtes revelationes almæ Parentis Domini, Orbi terrarum aſsiduè coruſcabunt, donec finem mundus iſte ſeneſcens inveniat.* Sed ſi omnia in primitiva Eccleſia fuiſſent à Deo manifeſtata, revelationes almæ Parentis Domini, nequirent, vt dicitur, Orbi terrarum aſsiduè coruſcare vſque ad huius ſæculi finem: Ergo, &c.

S. Auguſt. in Pſal. 54 140 Sanctus Auguſtinus: *Multa latebant in ſcripturis, hæretici agitaverunt quæſtionibus Eccleſiam Dei, & aperta ſunt quæ latebant*: Ergo multa poſt Chriſtum latebant in Scripturis Sacris: Ergo & quamplura de Sacratiſsima Virgine ſub velamine ſcripturarum clauſa manſiſſe, poſſumus intelligere, juxta mẽtem tam Magni Parentis. Cui non diſcordat Sanct. Juſtinus hæc dicens: *Apud nos huc uſque etiam prophetica extant dona; vnde & vos, ò Judæi, debetis intelligere, quæ olim in genere veſtro fuere, in nos eſſe translata.*

Iuſtin Mart. in Dialogis.

141 Doct. Petrus Cellenſis, cuius authoritatem ſupra retuli-

timus num. 57. expreſsè ait: *Plura eſſe apud nos ignota de Virgine Sacroſancta, quam nota*: cui ſuperaddendum exiſtimavi, haud ſolum plura, quin & plurima, innumeraque fermè, eſſe apud nos ignota de Virgine Sacroſancta, quam nota. Ad quod & authoritate ducor, & ratione. Authoritate quidem à ſimili: Nam de Chriſto ſcriptum invenimus Ioann. 20. *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſvs, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc*. Et cap. 21. v. 25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſvs: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*. Nunc ratione Dicant Deputati; quæ in Sacris Litteris expreſsè manifeſtata ſunt de Virgine Maria? Numquid toto tempore vitæ mirabilis otioſa permanſit? Num *Rex ſæculorum qui* (teſte Divo Bernardo) *in adornanda quammaximè Vnigeniti Filij Matre, ab æterno quodam modo ſolicitus, & quaſi circa terminum Omnipotentiæ ſuæ per ſæcula occupabatur*, nullum ei conceſsit donum, aut privilegium, quod ab exordio naſcentis Eccleſiæ non ſit hominibus manifeſtum, vel in Sacra Pagina expreſsè revelatum? Num Sacratiſsima Virgo Mater cũ Dilectiſsimo Unigenito Filio ſuo dulciſsimos dialogos, familiares locutiones, & arcana colloquia non habuit? Num, dum in gremio ſuo recumberet æterna Sapientia Patris, haud ei ſecreta Cœleſtia revelavit? Noverat enim Digniſsima Mater, qualis eſſet Filius: noverat & Filius, qualis eſſet Sanctiſsima Parens: Vultis ergo Sorbonici, quod inter Matrem & Filium, taleſque Matrem & Filium, nihil dialogi pretioſi, nihilque colloquij Cœleſtis interveniret? Verbum Patris nihil Matri dicebat? Recumbebat Filius in pectore Matris, & nihil loquebatur ad cor ejus? Recubuit ſemel Diſcipulus in pectore Chriſti, & *fluenta Evangelij de ipſo Sacro Dominici pectoris fonte potavit*, vt canit Eccleſia: Et recumbente ipſo Domino die ac nocte, & diebus quaſi innumeris in pectore Matris, nec Mater ad Filium, nec Filius ad Matrem nihil adhuc per affectum loquebatur? Fuit Maria in Ægypto, hoc fide credimus infallibili: Nihil ergo ibi nec fecit, nec locuta eſt, nec cogitavit? Dormivit forsã omni tẽpore & mẽte & corpore, quæ vti Sponſa vnica, & vnicè dilecta, adhuc dormiente corpore, vigilabat animus, juxta illud: *Ego dormio, & cor meum vigilat*? Nihil fecit, nec locuta eſt dum vixit in domo Patris ſui, in Templo, in Nazaret, in Bethleem, in Ieruſalem,

Tetr. Celleni. lib 9. Epiſt. 10.

Ioann. 20. & cap. 21 v. 25.

Of. Eccleſ. Rom.

Cant. 5. v. 2.

nec

nec in conſortio S. Ioſeph, nec in Paſsione Domini, nec poſt, nec cum Apoſtolis & Diſcipulis Domini, nec cum Sanctis mulieribus, neque cũ alijs? Nihil eſt dicendum eſſe revelabile vltra id, quod expreſsè legitur in Evangelio? Dilemma proponamus: Vel in Ægypto aliquid fecit, & aliquod verbum locuta eſt Prudentiſsima Virgo, vel non? Si primum? Ergo revelabile eſt quod fecit & locuta eſt. Si ſecundum? Ergo revelabile eſt, quod nihil fecit, & quod nihil locuta eſt; ſed neutrum dicit Evangelium: ergo aliquid revelabile eſt de Virgine Sacroſancta vltra id quod dicitur in Evãgelio. Si dilemmata multiplicentur, profecto & ratione recta videbitur, quod non ſolum plura, ſed plurima & innumerabilia plura ſunt apud nos ignota de Virgine Sacroſancta quam nota.

Rupertus. Suarez. Caniſius. Glica.

143 Favent dictis, Rupertus *de Divinis Officijs lib. 7. cap. 25.* Suarez *in Comment. ſup. 3. part. S. Thomæ, quæſt. 55. diſp. 49. ſect.* 1. Caniſsius *de B. Virg. lib. 5. cap.* 2. Et Michael Glica *part. 3. Annalium.*

144 Circa propoſitiones aliàs ſuper hoc Articulo à Deputatis confixas, ſcilicèt quod *Myſteria iſthæc ſunt adeo Magnifica, &c.* Quod *Fideles detinerentur, &c.* præterquam quod infra *Concert.* 4. loquemur, præcipuè de incapacitate Fidelium ad tot & tanta Sacramenta ſimul portanda; ſtatim occurrunt illa ipſius Sacratiſsimæ Virginis magnifica verba: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Super quæ interrogat S. Thomas à Villanova: *Et quæ ſunt hæc magna, quæ fecit illi Deus?* Et reſpondet ipſe: *Neſcio, an ipſa valuerit ſuam comprehendere magnitudinem.* Et S. Auguſtinus: *Hæc, quæ de te ipſa narraſti, ò Puriſsima Virgo, neque tu, vt dignitas tua meretur, dicere potuiſti.* Vide ſi occulta SS. Virginis Sacramenta ſunt adeo magnifica, &c.

Luca 1. *S. Thom à Villanova Serm de Nativit. S. Auguſt. Serm.* 83. *de Aſſũp. S. Tho.* 2. 2

145 De relata Fidelium incapacitate; ſpecioſo loquitur exemplo Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 1. art. 7. vbi ait: *Magiſter qui novit totam artẽ, non ſtatim tradit eam Diſcipulo, ſed paulatim condeſcendens ejus capacitati; & hac ratione profecerunt homines in cognitione Fidei per temporum ſucceſsionem.* Attingitur in hoc vtraque V. Authoris propoſitio, vt plenè quoad omnia tam claſicis Doctoribus conſona reperiatur ejus doctrina.

Angel. D. ſup. Epiſt. ad Epheſ. cap. 2.

146 Idem Angelicus Doctor: *Quantum ad plenitudinem Deitatis, & etiam ad profundas Incarnationis rationes, ſolum ea*

quæ

quæ erant manifeſtiora, & inferiora in Chriſto Ieſu, Apoſtolus Fidelibus revelavit. Compertum igitur eſt, quod quando Apoſtoli Fideles docebant, adhuc Fideles minus capaces inveniebantur ad altiora percipienda Myſteria.

147 S. Gregorius Nazianzenus ſuper illa Chriſti verba: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, &c.* ait: *Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes, vt nec repente, nec confeſtim omnia in lucem efferamus, nec in finem vſque occultemus.* Vbi convincit, revelationes Divinas non eſſe ſimùl factas Eccleſiæ Sanctæ, quinimò paulatim ſucceſsione temporum Spiritus Sanctus illuminat, ſecundum quod decretum eſt à Divina providentia. Hæc etiam ſunt Venerab. Abbatiſſæ verba, *vbi ſup. num 123. & ſequentibus.* *S. Greg. Nazianz. Orat 5. Theolog.*

148 Sed ne ad idem, Sanctorum & DD. authoritates & ſententias cumulemus, mittimus ſolicitum indagatorem ad Bibliam Maximam *tom. 14. fol. 529. Expoſit. in Ioan. cap. 16. v. 12.* vbi conformes inveniet pro V. Authore Menochium, Eſtium, & Tirinum, cum Nicolao Lyrenſi. Et in expoſitione Cornelij Alapide *in idem cap. & verſ. Ioan.* Chriſoſtomum, Cyrillum, & Theophilatum, cum Sancto Auguſtino, quibus ſic concludit: *Hinc Apoſtolos & Eccleſiam ſenſim in cognitione Myſteriorum Fidei profeciſſe, & creviſſe ſicut Solis lumen creſcit à diluculo gradatim vſque ad meridiem. Vnde Eccleſia progreditur quaſi Aurora conſurgens, &c.* quæ ſunt expreſſa verba Ven. Matris num. 1516. 2. part. Myſticæ Civitatis Dei. *Cornel. Alap ſup. Ioann.*

149 Vidimus vndequaque conformem doctrinam Notæ ſubjectam, Scripturæ Sacræ, SS. PP. & DD. Nunc reſtat, eamdem doctrinam cum alijs privatis Revelationibus in Eccleſia Catholica legi permiſsis conſonam invenire, de quo in ſequenti.

§. IV.

OSTENDITVR CONSONANTIA DOCtrinæ Notæ ſubjectæ cum alijs Revelationibus privatis.

150 ID ipſum quod V. Author in doctrina Notæ ſubjecta, ad legitimum ſenſum reducta, dicere compro-

 ba-

batur, affirmatum invenimus etiam in varijs Revelationibus particularibus, præcipuè Sanctæ Birgittæ, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quæ celebriori his ſæculis acclamatione coluntur; & dignè quidem.

S. Birgit. lib. 1.

151 S. Birgitta lib. 1. ſuarum Revelationum cap. 56. fol. 122. col. 2. in fine ſcribit, hæc ſibi Dominum dixiſſe: *Sic ego verba mea mitto amicis meis, quæ non ſic obſcura ſunt vt Apocalypſis, quam Ioanni oſtendi ſub obſcuritate, vt à ſpiritu meo in ſuo tempore, cum mihi placeret, explanarentur. Nec ita occulta ſunt* (loquitur de Myſterijs occultis in Apocalypſi) *vt non annuntientur, ſicut Paulus videbat de Myſterijs meis, quæ non licebat loqui.* Conſonat S. Birgittæ V. Author noſtra, non ſolum in doctrina Notæ ſubjecta, ſed etiam *num.* 1516. 2. *part. Myſticæ Civitatis à lin.* 9. *vbi ait:* Quamvis omnia Myſteria Chriſti, & ſuæ puriſsimæ Matris revelata ſint in Divinis Litteris, non tamen omnia æqualitèr, & eodem tempore manifeſtantur; ſed paulatim Dominus aufert velamen, & opportuno tempore manifeſtat, ſub metaphoris, enigmatibus, & figuris vſque tunc abſcondita Sacramenta.

Eadem S. Birgit. lib. 5.

152 Motivum itaque, cur huiuſmodi Myſteria diverſis tēporibus, & non ſimul Dominus manifeſtat, revelatum legitur eidem S. Birgittæ lib. 5. interrogat. 11. fol. 586. col. 1. in reſponſ. ad quæſt. 3. vbi ait Dominus: *Illorum qui me in carne videbant, quidam erant, qui mihi crediderunt; quidam vero non credebant; ideo hi qui credebant, neceſsè erat, vt per intervalla temporum erudirentur. Sicut materialitèr contrarium eſt corpori, vt tantum cibi accipiat vna hora, quanto multis annis contentari poſſet. Sic contra Divinam diſpoſitionem eſt, vt verba mea, quæ ſunt cibus animæ, in vna hora omnia dicerentur, ſed ſicut cibus corporalis paulatim ſumitur, ſic verba mea non in vna hora ſed per intervalla temporum dicenda erant juxta intelligentiam proficientium, vt eſurientes haberent vnde ſatiarentur, & ſatiati ad altiora excitarentur.* Et paulò infra: *Sicut ergo in primordijs creationis mundi omnia distinctis horis, & modis patrata ſunt, ſic & in humanitate mea omnia erant diſtinctè facienda ad omnium ſalutem, & eruditionem.*

Ead. S. Birgit. lib 6.

153 Expreſsius eadem S. Birgitta tom. 2 lib 6. cap. 10. fol. 125. col. 2. init. oſtendit incapacitatem hominum ad ſimul

por-

portanda vtraque Myſteria tam Chriſti, quàm ejus Sacratiſsimæ Matris, his Mariæ Virginis verbis: *Quia verò Aſſumptio mea non multis cognita fuit, hoc voluit Deus, qui eſt Filius meus, vt prius infigeretur cordibus hominum credulitas Aſcenſionis ſuæ; quia corda hominum difficilia & dura erant ad credendum Aſcenſionem ejus, quanto magis, ſi prædicata fuiſſet ſtatim in initio Fidei Aſſumptio mea.* Intendant Deputati in hæc clariſsima verba, identica quidem cum doctrina in eorum indiculo confixa.

154 Præterea eodem lib 6. cap. 110. fol. 175. col. 2. vbi Dominus ait: *Ioannes ex inſpiratione mea vidit futura Eccleſiæ pericula ſub ſpeciebus corporalibus, quæ ſi ſcripſiſſet ad certa tempora, auditores omnes horruiſſent. Propterea præceptum fuit ſibi, quod ſignaret quæ vidit, ſed non ſcriberet. Sic ego oſtendi futura, ſed non expoſui, vt homines timeant, & quia non erat tempus, vt frangeretur teſta, & eliceretur nucleus. Ideo oſtendi futura ſub obſcuritate, quia prius debet parari vas, quam infundatur potus.* Ead. S. Birgit. lib. 6.

155 Nec minori claritate S. Maria Magdalena de Pazzis lib. 7. ſuarum Divinarum Intelligentiarum cap. 3. fol. 254. col. 2. init. ponderoſis verbis inſinuat, innumerabilia fuiſſe in ſecreto relicta ex his, quæ non ſolum Chriſtus Dominus, ſed etiam Sancti & electi in hac vita mortali operati ſunt. Verba Revelationis ſic leguntur: *Sciaſque, ô Filia, quòd ſi uti ea, quæ amore veſtri dilectus Filius meus operatus eſt, multo plura fuere ſecreta, quam ſcripta; ita incomparabilitèr, & improportionabilitèr, exceſſu infinito, majora fuerunt Sanctorum opera mihi nota, aliys etiam electis in alia vita, quam ea quæ de ipſis fuerunt litteris demandata.* Si igitur de aliquibus, vel de omnibus Sanctis hoc eſt certum, & à Deo revelatum, multo plura fuere eorum opera in ſecreto derelicta, quam litteris demandata; quid erit dignum exiſtimare de Regina Sanctorum omnium, cuius minimum opus (ſi aliquod ratione materiæ poteſt dici minimum) ſuper altiora Sanctorum & Angelorum opera, exceſſu quaſi infinito profiremur? S. Magd. de Pazzis lib. 7.

156 Nec de eximia magnificentia operum & Myſteriorum Sacratiſsimæ Virginis remanebit ambigendi locus, ſi eàmdem S. Mariam Magdalenam de Pazzis conſulamus, quæ lib. 4. ſua- S Mag de Paz. lib. 4

rum Divinarum Intelligentiarum cap. 5. fol. 89. col. 2. ait: *Voluit Dominus vt annihilatio in illa* (in Maria) *præcederet, quæ Mater ſua eſſe debebat, Ecce Ancilla Domini, vt tali actu, dignior tanta gloria, & magnitudine redderetur; quam nec ipſa, nec vllus Beatus Spiritus, aut pura creatura valeat comprehendere, cum Dignitas Matris ſit infinita.* Et S. Birgitta in ſermonibus Angelicis cap. 14. poſt med. ait: *Quis igitur mirari debet, quod Deus hanc Virginem ſuper omnes maximè dilexerit, in cujus vtero humanitati fuit vnita Divinitas, factuſquè eſt homo & Filius Virginis, verus Deus Filius Dei Patris?*

S. Birgit. Ser. Ang. cap. 14.

157 Mirabilior inſuper inter Authorem noſtram & prælibatos Doctores, Revelationesque particulares apparebit conformitas, ſi quæ in Myſtica Civitate Dei ſequentibus numeris marginalibus expreſsè continentur, attento corde recolantur num. 413. 2. partis, à lin. 1. num 1115. & 1515. ejuſdem 2. part. Et num. 11. 12. vſque ad 14. 3. partis, vbi rationes prudentis credibilitatis inveniuntur, quare in primordijs Legis Gratiæ occulta manſerunt Sacratiſsimæ Virginis ſingularia dona, & privilegia.

Myſt. Civ. Dei, loc. hic. cit.

§. V.

VITIA CENSVRÆ DD. DEPVTATOrum manifeſtantur.

158 HÆc *propoſitio*, inquiunt Deputati, *falſa eſt, temeraria, & novitatem inducens.* Cum in doctrina Notæ ſubjecta plures ſint propoſitiones, ignoramus de qua loquantur Cenſores. Si de prima, ſcilicèt quod Dominus non manifeſtavit hæc Myſteria in primitiva Eccleſia, falluntur, & implicantur. Falluntur quidem, cum ex Doctoribus & Revelationibus privatis id ipſum apertiſsimè conſtet. Implicantur ſimilitèr, cum ipſi ex vna parte eidem doctrinæ novitatis notam imponant, & ex alia nihil in hoc libro, quod in primitiva Eccleſia non fuerit manifeſtatum, ſimul affirment. Si omnia in hiſce libris contenta, à primordijs naſcentis Eccleſiæ jam expreſsè revelata fatentur; quomodo aſſerenti, in hoc ſæculo ei fuiſſe revelata, tanquam novitatum inventore convitiantur?

Aſ-

159 Aſſerit Author, Deum ſibi dixiſſe: *Non manifeſtavi hæc in primitiva Eccleſia*: Et Deputati opponunt, hanc doctrinam eſſe falſam. Quid eſt falſum? Vel Deum hoc ei dixiſſe, vel Deum hæc in primitiva Eccleſia non manifeſtaſſe? Si primum: unde probant eſſe falſum, cum neſciant eſſe verum, vel *falſum*? Si ſecundum? Ergo eſt falſum dicere, Deum in primitiva Eccleſia hæc non manifeſtaſſe: Ergo erit verum dicere, Deum in primitiva Eccleſia hæc manifeſtaſſe: Ergo hæc doctrina novitatem non inducit, nec falſa eſt, nec temeraria, quæ à Deputatis fatetur in primitiva Eccleſia revelata. Implicantur igitur in Cenſura Deputati, dum novam eſſe doctrinam, & aliàs ab initio naſcentis Eccleſiæ revelatam ſimul affirmant.

160 Si falſitatem, non doctrinæ, ſed Ven. Authori vellint imponere Deputati, in eo quod aſſerat, Deum ſibi dixiſſe: *Non manifeſtavi hæc in Eccleſia primitiva*: Nam cum Deus nequeat loqui falſum, dato quod in primitiva Eccleſia Deus revelaverit hæc Myſteria, falſum diceret ipſe Deus in illis verbis, *Non manifeſtavi hæc, &c.* Arguo ſic: Ergo falſitas non ſtat ex parte doctrinæ: Ergo Deputatorum Cenſura ex ipſis terminis claudicat, dum dicit: *Hæc doctrina falſa eſt*, cum falſitas in doctrina non ſit, juxta hanc Deputatorum intelligentiam, ſed in Authoris aſſerto de revelatione divina.

161 Præterea, ſi authoritates Doctorum, aliarumque inſignium Revelationum, quas nuper retulimus, conſulamus; nec Dominus in primordijs naſcentis Eccleſiæ manifeſtavit hæc, nec alia quam plurima, quæ adhuc remanent manifeſtanda Sacratiſsimæ Virginis Myſteria, & ſingulariſsima Privilegia: tota ergo corruit Deputatorum compaginata Cenſura.

162 Cœterum, ſi de Cenſura temeritatis diſcurramus: quibus urgentiori fundamento temeritas applicabitur; vel Authori Venerabili, ex parte doctrinæ haud aliud quam quod aliàs à graviſsimis eſt affirmatum Doctoribus, expreſsis verbis aſſerenti; vel Doctoribus Deputatis, qui abſque Sanctorum Patrum, vel aliorum inſignium Doctorum authoritate, liberè dicunt eſſe falſum, quod tot tantiſque pijſsimis & venerabilibus ſententijs invenimus roboratum? Iuſto Iudici, Viroque ſanè Doctori calculationem ſententiæ relinquamus.

163 Poſtmodum, quamvis indeterminata, & vaga Deputa-

rorum Cenſura, ſingulis doctrinæ confixæ partibus applicetur, earum nullæ nocebit injuria, cum omnes identicis SS. Patrum propoſitionibus circumfultæ tueantur. Recolantur ſupra dicta à num. 124. vſque ad n. 148. huius Certaminis, vbi Angelici Doctoris, Nazianceni, & Nicolai Lyrenſis authoritates, ſic conſonæ doctrinæ à Deputatis damnatæ reperiuntur, vt vix hęc poſsit ſine alijs offendi. Haud hic iteramus SS. PP. ſententias, quoniam ad alias Concertationes properamus. Nec parum de Viris tali laurea decoratis obſtupeſcunt ſenſati, quod vel tàm lucidas non viderint SS. PP. doctrinas ſatis communes; vel quod voluntariè ſimulantes ignorantiam, ab omnibus vt illitterati & indocti voluerint reputari.

ARTIC. III.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM *Pariſienſium.*

164 PAg. 17 num. 10. *Propterea Verbum homo factum dixit Diſcipulis ſuis in vltima Cœna: Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

165 *HÆC propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & hæreticis favens, qui hac Evangelica ſententia abuſi ſunt, vt novitates & audacias figmentorum ſuorum colorarent.*

CENSVRA SUPPOSITITIA SAC. FAC. PARISIENSIS.

166 HÆ *propoſitiones* (loquitur de contentis in Articulis 2. 3. & 4. quos in libello Cenſuræ Suppoſititiæ reduxerunt ad vnum, qui eſt ſecundus ipſius libelli) *quibus Author aſſerit, veritates ſibi fuiſſe revelatas, ipſis prioribus Eccleſiæ ſæculis incognitas, imò & de ipſarum numero, quas Apoſtoli ipſi portare non poterant, eaſque tanquam conſtantes, & infallibiles Fidelibus proponit: Falſæ ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ,* fa-

fanaticis & hæreticis favent, ad omnes novitates viam aperiūt, & Authoritati Eccleſiæ derogant: ad quam pertinet Fidelibus proponere veritates tanquam conſtantes & infallibiles ex Verbo Dei ſcripto, per Apoſtolos ad nos tranſmiſſo.

CONCERT. IV.

SVPER PROPOSITIONEM CONFIXAM in hoc Articulo 4. ab vtraque Cenſura.

167 INTER Verſionem Gallicam & OriginaleHiſpanicum nulla ſuper hoc Articulo intervenit ſubſtantialis diſcordia. Textus Originalis Hiſpanus ait ſic: *Por eſto dixo la Perſona del Verbo humanado à ſus Diſcipulos en la vltima Cena: Muchas coſas tenia que deziros; pero no eſtais aora diſpueſtos para recibirlas.* Verſio litteralis de Hiſpano in latinum eſt hæc: *Propter hoc dixit Perſona Verbi humanati Diſcipulis ſuis in vltima Cœna: Multa habebam vobis dicere, ſed modò non eſtis diſpoſiti ad eà recipienda.* Reductio de Gallico in latinum dicit ſic: *Propterea Verbum homo factum dixit Diſcipulis ſuis in vltima Cœna: Ego habuiſſem dicere vobis multa, ſed vos non ſtatis modo diſpoſiti ad ea recipienda.* Hæc ſunt punctualia verba latina, quæ fidelitèr correſpondent Gallicæ traductioni, non formalia quæ reperiuntur in propoſitione Notæ ſubjecta prout hic jacet in Articulo: neutro tamen modo littera textus originalis quoad ſenſum mutari videtur. Hoc ita.

168 In examen occurrunt. 1. Legitima V. Authoris intelligencia in propoſitione confixa; quidque in ea ſupponatur, & affirmetur. 2. Vtrum in exordio naſcentis Eccleſiæ, & per ſequētia ſæcula, quamplura fuerint occulta SS. Virginis Myſteria, magnifica dona, & ſingularia Privilegia? 3. Vtrum probabilitèr dici poſsit, ſupradicta Virginis Myſteria, quæ in primitiva Eccleſia manſerunt occulta, eſſe de eorum numero, de quibus Chriſtus dixit: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò?* 4. Vtrum talia Deiparæ Myſteria ſint revelabilia, & an debeant Summo Pontifici revelari, vt de ipſis probabilitèr affirmari poſsit, eſſe de eorum numero, de quibus Chriſtus aſſeruit: *Multa*

ta habeo vobis dicere, &c. 5. Vtrum Chriſtus Dominus in illis verbis: *Multa habeo vobis dicere,&c.* Sit in Apoſtolis etiam omnibus Fidelibus, & vniverſo mundo locutus? 6. Vtrum repugnet ex parte materiæ, Myſteria Deiparæ in hiſce Libris Myſticæ Civitatis Dei contenta, eſſe de eorum numero, de quibus Chriſtus dixit in vltima Cœna: *Multa habeo vobis dicere, &c?* 7. Vtrum V. Abbatiſſa ſit piè credibilis, dum aſſerit, ſibi fuiſſe revelatum, Myſteria Deiparæ in Libris Myſticæ Civitatis Dei conſcripta eſſe de eorum numero, de quibus Chriſtus dixit: *Multa habeo vobis dicere, &c?* 8. Redarguitur immodicitas Cenſurarum, tùm DD. Deputatorum, tùm & Cenſuræ Suppoſititiæ Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis. Ad ſingula deſcendens, ſit.

§. I.

LEGITIMA V. AVTHORIS INTELLIgentia in propoſitione confixa; quidque in tali propoſitione ſupponatur & affirmetur.

169 EXpreſsè aſſerit V. Mater in propoſitione Notæ ſubjecta, Deũ ſibi dixiſſe, Myſteria Sacratiſsimę Virginis Mariæ ſibi revelata, in hiſque Libris contenta, fore de ipſorum numero, de quibus humanatum Verbum dixit Diſcipulis ſuis in vltima Cœna: *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo.* In hoc, non eſt dubium; ex contextu enim idipſum apertiſsimè conſtat. Aſſerit preterea immediatis verbis ipſa Ven. Author, humanatum Verbum vniverſo mundo in Apoſtolis fuiſſe locutum. *Habló en ellos*, id eſt in Apoſtolis, *à todo el mundo, que no ha eſtado diſpueſto, &c.* In hiſce clauſulis alia aſſeruntur, & alia ſupponuntur. Supponitur quidem. 1. Quod lineis antecedentibus ſatis exprimitur, ſcilicèt; Dominum in exordio naſcentis Eccleſiæ Legis Gratiæ, quamplura Sacratiſſimæ Virginis magnifica Myſteria haud mundo manifeſtaſſe. 2. Talia Myſteria fore revelabilia. 3. Myſteria Deiparæ in hiſce Libris expreſſa, ea ipſa fore, quæ in primitiva Eccleſia manſerunt occulta. 4. Myſteria Virginea eiſdem Libris contenta ex ipſorum eſſe numero, quæ Chriſtus ſub ſilentio reliquit in vlti-

ma Cœna, dum dixit *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò.* 5. Chriſtum in Apoſtolis vniverſo mundo fuiſſe locutum. Ex his duo vltima non ſupponuntur, ſed expreſsè affirmantur in textu; quartum in propoſitione confixa, & quintum in clauſula immediata à Deputatis omiſſa, forſitan quoniam eorum excogitatæ Cenſuræ non proficua.

170 Prima propoſitio, ea ſcilicèt quæ aſſerit, Dominum in exordio naſcentis Eccleſiæ quamplura Sacratiſsimæ Virginis Myſteria, haud mundo manifeſtaſſe, legitima & aperta doctrina eſt V. Abbatiſſæ, conſtatque non ſolum ex num. 10. primæ partis Myſticæ Civitatis Dei, ſed etiam ex alijs ferè innumeris numeris ejuſdem Operis. Videantur inter alios 1. p. n. 101. 604. 797. 799. & 2 part. num. 141. 413. 1026. 1514. 1515. 1516 & 3. part. à num. 11. 22. 31. 622. 623. ex quorum convinatione mirabilis exiſtimo quod fiet doctrinæ conceptus. *Myſt.Civ. Dei, loc. hic cit.*

171 Secunda propoſitio aſſerens, talia Deiparæ Myſteria, quæ in primitiva Eccleſia manſerunt occulta, eſſe revelabilia, non ſolum ſupponitur in doctrina Notæ ſubjecta, ſed expreſsè legitur alijs in locis ipſius Myſticæ Civitatis Dei, præcipuè 1.p. num. 604. 797. 799. & 2. part. num. 44. 57. 413. 536 694. 712. 798. 1126. & 3. part. num. 11. 12. 13. 14. 22 & alibi, quibus in locis etiam plura illibatæ Virginis Sacramenta revelanda aſſerit in noviſsimo die, alia in gloria Sanctorum, quod & affirmatum vidimus SS. PP. authoritatibus ſupra num. 129. *Myſt.Civ. Dei num. hic cit.*

172 Tertia & quarta propoſitio expoſitione non indiget; ſed eruditione, vt poſita non repugnantia ex parte rei aſſertæ, pia credibilitas non negetur, cui heroicitate virtutum, & Sanctitatis fama, adhuc poſt obitum decoratur. Ait enim V. Abbatiſſa, Myſteria Deiparæ in hiſce libris Myſticæ Civitatis Dei conſcripta, ea ipſa fore, quæ in primitiva Eccleſia manſerunt occulta, eſſeque de eorum numero, de quibus Chriſtus in vltima Cœna dixit: *Non poteſtis portare modò.* In his, duo ſunt videnda; primum, ſi dictum repugnet; ſecundum, ſi talia dicens ſit piè credibilis, dato qnod dictum ex parte materiæ non repugnet; primum judicare, ad Doctores attinet, principalitèrque ad Eccleſiam, quæ eſt Magiſtra Orthodoxæ Fidei, & Columna veritatis, ab ipſaque V. Authore ſic catholicè fatetur 2. part. n. 678. *El juzgar, ſi lo que eſcrivo tiene conveniencia con la verdad de*

Myſt.Civ. Dei 2.p. num.678. *la Eſcritura, y con la Mageſtad, y grandeza del argumento que trato, y ſi tienen las coſas entre ſi miſmas conveniente conſequencia, y conexion; todo eſto lo remito à la doctrina de mis Maeſtros, y Prelados, y al juizio de los ſabios, y piadoſos.* Et 3. part. num. 791. lin. 8. ait: *Eſta Divina Hiſtoria dexo eſcrita por la obediencia de mis Prelados, y Confeſſores, y la ſugeto à ſu mejor ſentir, y ſobre todo à la enmienda, y correccion de la Santa Igleſia Catolica Romana, à cuya cenſura, y enſeñança, como hija ſuya, proteſto eſtoy ſugeta, para creer, y tener ſolo aquello que la miſma Santa Igleſia nueſtra Madre aprobare, y creyere, y para reprobar lo que reprobare, porque en eſta obediencia quiero vivir, y morir. Amen.* Sapientibus & pijs committit examen, non Doctoribus alijs, quibus divino monitu excluſionem dederat 2. part. num. 1312.. & 1313. & alibi.

Et 3 par. num.791.

Myſt.Civ. Dei 2. p.

173 Quinta propoſitio, vbi dicitur, Chriſtum in Apoſtolis vniverſo mundo fuiſſe locutum, expreſſa eſt in textu litterali, authoritatibuſque fulcietur loco ſuo. Hæc de V. Authoris legitima intelligentia.

§. II.

VTRVM IN EXORDIO NASCENTIS Eccleſiæ, & per ſequentia ſæcula, quamplura fuerint occulta SS. Virginis Myſteria, magnifica dona, & ſingularia Privilegia?

174 AFFIRMATIVAM partem expreſsè tenet V. Abbatiſſa, locis ſupra citatis, totumque tituli quæſitum ſatis videtur fore concluſum *Concertat. ant.* §. 3. & 4. *per tot.* doctrinis inibi videndis, quibus non demeretur aſſociari illa percelebris Doct. Caniſsij ſupra videnda *Concert* 1. §. 4. *num.* 31. vbi Novatores appellantur qui de Sacratiſsima Virgine Maria, de rebuſque alijs divinis nihil admittere volunt, niſi quod explicite in Scripturis Sacris continetur: hoc eſt, inquit, cum Deo ipſo pugnare, & præpotentis ſpiritus gratiam, qui vbi vult, & quando vult ſpirat, vel extinguere, vel impedire: eſt inſuper circa revelationes particulares ad veritatem inveſtigandam

dam præcludere vias, Doctoreſque à laudabili ſapientiæ ſtudio retrahere, vt minus petant, quærant, pulſent, atque proficiant, vt ait ipſe Caniſsius loco citato, vbi & ſubſequens ſententia reperitur: *Propterea miſit Paracletum Dominus*, (Tertuliani verbis vtor) *vt quoniam humana mediocritas omnia ſimul capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectũ perduceretur diſciplina ab illo Vicario Domini Spiritu Sancto.* Hãc num. 31. omiſimus clauſulam, dum Caniſsij verba retulimus, quoniam ad præſens commodiorem judicavimus. *Caniſsius lib. 1. de Mar. Dup c. 8. fol. 34*

175 Aliud inſuper inſigne teſtimonium, ex quo efficax ad ſuadendam propoſitionem aſſumptam conſurgit argumentum, invenitur lib. 7. divinarum intelligentiarũ Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis cap. 25. fol. 291. col. 2. init. vbi ſic ait: *O amor ſine menſura! Quot, & qualia ſunt dona & theſauri, quos Pater Æternus poſſet impendere, ſi eum rogaremus! Nobis dicere poſſet.* Non potestis portare modo. *Non poteſt anima illos recipere, & cum Sancto illo clamare cogeretur: Non amplius Domine, ſufficit,* quia, *Non poſſumus portare modo, propter noſtri cordis anguſtiam, dum in hac vita moramur.* Huculque illuminata Eliæ Filia, & Sponſa Jeſu Chriſti. Nunc arguo ſic: Si Sanctus ille Franciſcus, Indiarum Apoſtolus, in Fide Catholica roboratus, Spiritus Sancti magiſterio toties eruditus, vociferare coactus eſt, *Non amplius Domine, ſufficit,* quia *non poterat portare modò.* Cæterum, ſi talis eſt amor Divinus erga creaturas mortales, quod Pater Æternus tot & talia dona nobis poſſet impendere, ſi eũ rogaremus, vt nobis dicere poſſet, *Non poteſtis portare modò, propter noſtri cordis anguſtiam, dum in hac vita moramur,* & hoc poſt quindecim & amplius ſæcula à publicatione & roboratione Catholicæ Fidei: Ex quo mirantur, ſi non ſcandalizantur Deputati, Viri docti, Doctores Sorbonici, Venerabilem Abbatiſſam dicere, multa Sacratiſsimæ Virginis Myſteria, Dona, & Privilegia, ſub ſilentio in vltima Cœna fuiſſe à Chriſto Domino derelicta, & auribus Fidelium non commiſſa, quoniam ipſi Fideles, quibus in Apoſtolis loquebatur Dominus, in Fide nova tenerrimi, & animo debiles, *non poterant portare modò*, nec ſimul capere divinitatem in humanitate Filij, & ſupremam ſine divinitate dignitatem Matris, vnà cum cæteris ipſius Almæ Parentis ſtupendis & mirabilibus Privilegijs? *Hoc voluit Deus, qui*

S. Magd. de Pazzis lib. 7 c. 25

S. Franc. Xaver.

S. Birgit. lib.6.cap. 61. *eſt Filius meus, (ait Virgo Maria Sanctæ Birgittæ) vt prius inſi-geretur cordibus hominum credulitas Aſcenſionis ſuæ; quia corda hominum difficilia & dura erant ad credendum Aſcenſionem ejus, quanto magis, ſi prædicata fuiſſet ſtatim in initio Fidei Aſſumptio mea!*

176 Nec diſſimile videtur, quod Sancta Hildegardis in Epiſtola ad Prælatos Moguntinenſes fol. 570. col. 2. aſſerit his verbis: *Quoniam ipſe Deus integra plenitudo eſt, ideo Angeli nunquam ſaturabuntur illum intueri, quoniam ſemper ignota & nova in eo vident cum glorioſa jucunditate.* Si ergo Angeli, videntes faciem Patris qui in Cœlis eſt, ſemper ignota & nova vident: quid mirum, quod homines mortales, infirmi, lutea vaſa portantes, quæ faciunt invicem anguſtias, omnia ſimul in primordijs Eccleſiæ, quando præcepta Legis gratiæ erant incunabulis, portare non poſſent Deiparæ Sacramenta, vnà cum Myſterijs Redemptionis humanæ, donec currentibus ſæculis, & ſi ſemper anguſtiarentur vaſa carnis, dilatarentur tamen ſpatia Fidei & Charitatis? Angelis puriſsimis, videnda ignota & nova ſucceſſivè traduntur; & hominibus terrenis, paulominùs ab Angelis conſtitutis, omnia ſimul ignota & nova portanda traderentur?

S. Hildegard. in Epiſt. ad Prælat. Mogunt.

177 Cœterum, ſi Apoſtoli Domini, commites ipſius fideliſſimi, quibus dictum legimus: *Vobis datum eſt noſſe Myſteria Regni Cœlorum, cæteris autem in parabolis*, poſt diuturnum in Schola Supremi Magiſtri diſcipulatum, poſtquam cum eo comederāt & biberant, & inſimul cum Filio Dei, ſapientia Patris, dulces capiebant cibos, plus mentis quam corporis, audire meruerunt, *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò:* Nunquid robuſtiores cœteri Fideles? Portare poterit Pumilio vel Pygmæus quod ferre non valet Gigas? Hac efficaci ratione vtebatur, vt noſtrum apprimè convinceret aſſumptum, Magnus Baſilius tit. de vera ac pia Fide, vbi ait: *Qui idonei viſi fuerant, vt à Domino eligerentur, qui vnà cum eo vitam agerent, qui ejus Apoſtoli eſſent, qui promererentur accipere donorum Spiritus diſtributionem, poſtquā etiam audierunt,* Vobis datum eſt, noſſe Myſteria Regni Cœlorum: *Poſt ejuſmodi ſcientiam, poſt aperta ipſis quæ reliquis erant operta & arcana. Tamen longo tandem tempore poſt adventante jam Paſsione, verba audiunt illa:* Adhuc multa habeo vobis dicere,

Matt. 13.

S. Baſil. Mag. tit. de vera ac pia Fide.

ſed

ſed non poteſtis portare modò. *Ex his igitur, atque huius generis alijs colligimus, infinitum quidam eſſe, quod de rerum divinarum cognitione, divinæ litteræ ſentiant: neque vllo modo vires humanas, quandiù hic in terris vitam ducimus, earum arcana penitùs poſſe comprehendere: cum majoribus in dies ſingulos progreſsibus faciendis, aliquid novi aſsiduè ſemper acquiratur: neque ſit quiſquam, qui ad ſummum illud prius queat pervenire, quam venerit quod perfectum eſt.* Hucuſque Baſilius Magnus. Fateamur ergo imperitiam noſtram, & puſillanimitatem propriam non abſcondamus. Fateamur itaque, ferè infinita fore, quæ de rerum divinarum cognitione divinæ litteræ ſentiunt, & nos ignoramus; quoniam vires humanæ quandiù hic in terris vitam ducimus, earum arcana pœnitùs poſſe comprehendere non valemus. Sciant itidem & Sorbonici Magiſtri, qui ſtatim de novitatibus obſtupeſcunt, quod vſque dum venerit quod perfectum eſt, majores in dies ſingulos ſunt progreſſus faciendi, aliquid novi aſsiduè ſemper acquirendo. *Non enim in ſolo Privilegio Immaculatæ Conceptionis finiri Mariæ laudes exiſtimo* (ait Ambroſius Catharinus) *ſed latere etiam plura Beatis nota ſpiritibus, & ſua die revelanda Eccleſiæ, vt quævis ætas, ſuis, atque novis gaudeat decorata Myſterijs. Amen.*

Ambroſ. Catharin. diſp. pro Concept. expug. 3.

178 Ne autem aſſumptum, tot SS. PP. & Doctorum inſignium authoritatibus hic & ſupra convictum, vltra Lectorum patientiam protrahamus, alias authoritates haud deſpicabiles omittimus.

§. III.

VTRVM PROBABILITER DICI POSSIT, ſupradicta SS. Virginis Myſteria, quæ in primitiva Eccleſia manſerunt occulta, de eorum fore numero, de quibus Chriſtus Dixit: Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.

179 HIC non loquimur de Myſterijs Sacratiſsimæ Virginis Mariæ in Libris Myſticæ Civitatis Dei conten-

tentis, ſed de illis ſolum, quæ tot SS. PP. ſententiarum concordia, in Eccleſia primitiva manſerunt occulta. De his inquirimus, an ſecluſá revelatione, probabilitèr affirmare licitum ſit, de eorum eſſe numero, de quibus in vltima Cœna Chriſtus aſſeruit: *Non poteſtis portare modo?* Clarius aperitur difficultas quæſiti, hoc ſylogiſmo: Fide credimus, Chriſtum in vltima Cœna plura Myſteria ſub ſilentio reliquiſſe, dum dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo*; ſed probabile eſt ex tot SS. PP. authoritatibus, alijſque privatis revelationibus, multa SS. Virginis Myſteria fuiſſe à Chriſto Domino ſub ſilentio derelicta, & auribus Fidelium in primitiva Eccleſia non commiſſa: Ergo probabile eſt, & non repugnat, quod hæc Sacratiſsimæ Virginis Myſteria de illorum ſint numero, de quibus Chriſtus dixit in vltima Cœna: *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo*. Inquirimus ergo, vtrum aſſenſu probabili aſſentiri poſsimus conſequentiæ, dum evidentia Fidei aſſentimur majori; & aſſenſu probabili ſaltem, minori paritèr aſſentimur?

180 Affirmativam partem tuendam eligimus, ſequentibus authoritatibus & rationibus. Si licitum non foret probabilitèr affirmare, hæc Myſteria eſſe de tali numero, maximè quia Chriſtus hoc ſub ſilentij ſygillo reliquit; ſed id non obſtat: Ergo, &c. Major vel Maxima eſt manifeſta, nec enim aſsignari valet ratio diſtincta. Minor, in qua eſt difficultas, ſuadetur primo ex S. Gregorio Papa Homil. 15. in Evangelia, vbi loquens de expoſitione, quam per ſemetipſum dignatus eſt Dominus de ſeminatore propalare, ait: *Idem Dominus per ſemetipſum dignatus eſt exponere quod dicebat, vt ſciatis rerum ſignificationes quærere in ijs etiam, quæ per ſemetipſum noluit explanare.* Conſequentia igitur non tenet: Noluit Chriſtus aperire, qualia illa forent Myſteria, quæ relinquebat occulta: Ergo nobis non licet, qualia illa fuerint probabilitèr inveſtigare? Non ſequitur. Imò ex authoritate relata contrarium deducimus, addiſcentes, rerum ſignificationes quærere in ijs, quæ per ſemetipſum noluit Dominus explanare.

S. Gregor. Pap.

181 Eadem minor principalis roboratur, authoritate nonnullorum SS. PP. qui ſcriptis ſuis certa aliqua ſignant Myſteria, probabilitèr aſſerentes, ea fore de eorum numero, de qui-

bus

bus Chriſtus locutus eſt in illis verbis: *Multa habeo vobis dicere, &c.* S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 5. *Theologiæ* docet, Spiritus Sancti Divinitatem & perſonam diſtinctè & apertè cognitam, eſſe vnum ex his, de quibus dictum: *Multa habeo vobis dicere, &c.* Juſtinus Martyr, ante ipſum Gregoriũ, *in explicat. quæſt. Geneſ. reſp.* 112. affirmat, quale ſit Regnum Iſrael per Chriſtum ſuſcitandum & reſtituendum, eſſe vnum ex his, de quibus Dominus dixit: *Multa habeo vobis dicere, &c.* Origines, qui inter Juſtinum & Gregorium fuit medius, *lib.* 2. *contra Celſum, &* *didimus lib.* 2. *de Spiritu Sancto*, aſſerunt, veterem legem non eſſe ſecundum litteram & corticem ſervandam (quod Petrum ignoraſe conſtat *Actor.* 10. quando non eſt auſus occidere animalia, nec manducare, quia per legem immunda erant) fore vnum ex illis Myſterijs, de quibus Chriſtus, *Multa habeo vobis dicere, &c.* Vivebant enim judaicè Diſcipuli, Chriſto præſente, *vt dicit Cyrilus lib.* 10. *cap.* 41. Ex his nunc: Ergo probabilitèr aſſerere, aliqua Myſteria de eorum fore numero, de quibus dixit Dominus, *multa habeo vobis dicere, &c.* quanquam explicatum à Chriſto haud inveniatur, qualia fuerint illa Myſteria, nec illicitum eſt, nec dignum Cenſura: Ergo ſimilitèr & aſſenſu probabili dici poterit, Sacratiſsimæ Virginis Myſteria, quæ in Eccleſia primitiva manſerunt occulta, de eorum fore numero, de quibus Chriſtus aſſeruit, *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed, &c.*

S. Gregor. Nazianz. — *S. Iuſtin. Martyr.* — *Origines.* — *Actor.* 10 — *Cyrilus.*

182 Si fortè dixeris, diſparem inveniri rationem, cum de Myſterijs nuper aſsignatis, id probabilitèr affirmaverint Doctores, poſtquam Eccleſiæ vniverſali revelata repererant talia Myſteria; in caſu autem noſtro loquimur de Myſterijs nondum Eccleſiæ revelatis. In primis, licèt revelata repererint DD. talia Myſteria, revelatum non invenerunt, eſſe de eorum numero, de quibus Chriſtus dixit, *Adhuc multa, &c.* ſed hoc probabilitèr affirmarunt, vt tenet infra citandus Toletus: Ergo, &c. Dein de non meis, ſed inſignitsimi Conſalvi Duranti reſpondebo ſententijs: Ait ſic: *Addendum eſt, noluiſſe Deum in principio naſcentis Eccleſiæ pallam facere omnibus Matris ſuæ Conceptionem, & ad Cælos animæ corporeque aſſumptionem, aliaque ſingularia privilegia illi divinitus conceſſa, quoniam non expediebat cuncta Eccleſiæ divina arcana ſimul reſerare, & fidelibus ſuis omnia ſimul aperire,*

Conſalv. Durant. in Not. ſup. lib. 6. *c.* 55 *revelat. S. Birgittæ.*

quod

quod inſinuavit Chriſtus Dominus Ioann 16. *qui poſtquam in ſermone vltimæ Cœnæ plura Diſcipulos docuiſſet, dixit: Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò*; ſed Deiparæ privilegia à Conſalvo ibi relata, Eccleſiæ vniverſali revelata non profitentur: Ergo, &c. Præterea, nec ſolum de Conceptionis Immaculatæ, Aſſumptioniſque glorioſæ Myſterijs, de quibus ſaltem privatas revelationes crebrò conſpicimus, ſed & *de alijs ſingularibus privilegijs* non dum revelatis, eidem Deiparæ conceſsis, Illuſtriſsimus aſſerit Conſalvus verba Chriſti probabilitèr intelligi, vti ex eadem liquet authoritate: Ergo probabilitèr affirmare, Sacratiſsima Virginis Privilegia, quæ in primitiva Eccleſia manſerunt occulta, de eorum fore numero, de quibus Chriſtus aſſeruit in vltima Cœna, *Adhuc multa habeo vobis dicere, &c.* licitum eſt, & alienum à Cenſura.

Henriq. de Haſia Carthuſan

183 Cœterùm, haud contemnendus Henricus de Haſsia Carthuſianus, plantator Gymnaſij Viennenſis in Auſtria, qui in Opuſculo contra diſceptationes, & contrarias prædicationes Fratrum Mendicantium ſuper Conceptione Beatiſsimæ Mariæ Virginis, & contra maculam S. Bernardo mendacitèr impoſitam, hæc ait inter alia: *Penſato deinde dicto Salvatoris: Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò, & alium Paraclitum mittam vobis, qui docebit eos omnem veritatem, & ſuggeret vobis quæcunque debetis facere, ſupple, in diſcurſu Eccleſiæ pro diverſis temporibus, & hominum variationibus. Similitèrque penſatis quamplurimis veriſimilibus motivis, & rationabiliſsimis expoſitionibus & Gloſsis omnium dictarum authoritatum, & ſimilium, reputo eſſe valdè illum reprehenſibilem, qui aſſertivè prædicat populo, Virginem Conceptam in peccato originali, &c.* Ergo ſi penſato dicto Salvatoris, *Multa habeo vobis dicere, &c.* reprehenſibilis eſt valdè qui prædicat Virginem conceptam in originali labe, ſignum eſt, Myſterium hoc in Henrici pio dictamine de illis fore, vel eſſe poſſe, de quibus dictum Salvatoris aſſeruit, *Multa habeo vobis dicere, &c.* ſed eadem ratione de alijs quamplurimis Deiparæ donis & Privilegijs, in primis Eccleſiæ ſæculis notitiæ Fidelium non commiſsis, argui valet: Ergo, &c.

184 Adeſt inſuper inter alios, non contemnendus eruditus Quiròs, Sacri Tribunalis Conſultor, & propoſitionum Fidei Cenſor, qui in præclaro Opere, cui titulus: *Roſarium Immacu-*

latum, 1. *part. lib. 3. cap.* 12. *fol.* 141. *col.* 2. *num.* 230. aſſerit, Chriſtum in illis verbis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*, locutum fuiſſe in Apoſtolis etiam primis Eccleſiæ Parentibus, quibus inter quamplura Myſteria, ſingularia quoque occultavit Sacratiſsimæ Virginis Mariæ nonnulla privilegia: ſatis igitur & pluſquam ſatis comperta & confirmata videtur quæſiti reſolutio.

185 Si dicant Deputati cum Auguſtino *tract. 96. in Joannem*, temerarium fore, quærere & inveſtigare, vel potiùs aſſerere, aut judicare velle, qualia ſint abſcondita Myſteria, de quibus Chriſtus dixit in vltima Cœna: *Non poteſtis portare modò?* Toleti verbis ſatisfaciam *tom.* 2. *Comment. in cap.* 16. *Joannis fol. mihi* 146. vbi ait ſic: *Auguſtinus temerarium judicat velle dicere, quæ ſint iſta, quæ Chriſtus Dominus habuit dicenda, & non expreſſit Diſcipulis ſuis. At quia graves Doctores nonnulla ſaltem eorum expoſſuerunt, quos tamen temeritatis arguere, mihi temerarium videtur; idcirco Auguſtini ſententiam diſtinguamus* Diſtinguenda igitur ſunt tempora. Si enim de illo tempore, quando hæc protulit Dominus, loquamur, nemo dubitat, quin temerarium fuiſſet, ea velle tunc explicare, quorum Apoſtoli capaces non erant, nec Dominus propter eorum ruditatem enarranda cenſuit. At ſi de tempore poſt adventum Spiritus Sancti ſermo fiat, quando illa jam omnia, quæ dicenda erant, non Apoſtolis ſolis, ſed Eccleſiæ etiam ſunt manifeſta; non video, cur temerarium ſit, aliqua ex his eſſe, quæ Dominus tunc habuit dicenda, exprimere, maximè quia promiſſum eſt adveniente Spiritu Sancto ſe ea dicturum. *Ab effectu igitur ex his, quæ dicta ſunt, quæ id temporis occulta erant, jam licèt interpretari.* Hucuſque Toletus loco citato, vbi poſt pauca proſequitur, S. Gregorij Nazianzeni, Iuſtini Martyris, Origenis, & Didimi trahens exempla, quæ ad noſtrum probandum aſſertum ſupra retulimus, ex quibus arguit à ſimili: vel Doctoribus his temerarium fuit, probabiliter aſſeruiſſe, ſupra relata Myſteria ex eorum eſſe numero, de quibus Chriſtus dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, &c.* vel temerarium non fuit? Temeritatis arguere tales ac tantos Eccleſiæ Magiſtros, mihi temerarium videtur, ait Toletus: Si ergo in his temerarium non fuit, habetur intentum: Ergo, &c. *Cardin. Toletus.*

186 Nec argumenta Divi Auguſtini, quibus probat teme-

rarium fore occulta illa rimari, abſolutè convincunt, prout à contrarijs afferuntur, ait Toletus. Primum ſic eſt: Si Diſcipuli non fuerunt capaces, quomodo nos erimus? Hæc ratio non cóncludit, ſi de tempore præſenti, & poſt adventum Spiritus Sancti loquamur. Non valet argumentum: Beatiſsima Virgo Lucę 1. non intellexit illud verbum: *In his quæ patris mei ſunt opportet me eſſe*: Ergo nec nos nunc poſſumus intelligere, nec probabilitèr inveſtigare? Non ſequitur, quoniam ſtatus ſunt diverſi, & tempora diſtinguenda. In illo enim ſtatu nec nos intellixiſſemus. Cœterum, in Paſsione Chriſti timidi erant Diſcipuli, & fugerunt Chriſto relicto: ergo nullus poſtea fortior fuit illis tempore fugæ? Non ſequitur. Non ergo comparatio fieri debet, niſi ſervata paritate, & qualitate ſtatus. Quod Apoſtoli poſtea adveniēte Spiritu Sancto non potuerunt capere, nec nos profecto poteramus: at ſtatu mutato, argumentum non procedit.

187 Secundum argumentum ſic eſt: Etiam ſi talia Myſteria poſſemus capere, & portare, tamen quis ſcit, eſſe de tali numero, de quo illa multa ſunt? Temerarium ergo eſt, ea Myſteria aſsignare velle. Nec hoc argumentum concludit, ait Cordubenſis citatus, nam ſtatu mutato, & impleta promiſsione, colligere poſſumus, eam fore rem ante promiſſam. Non igitur temerariū eſt poſt factum, quod occultum prius erat inquirere. Occultas cauſas ex effectibus jam manifeſtis inquirimus, quas ignotis effectibus pœnitus neſciremus. Probabilitèr igitur objecta revelata de eorum fore numerò, de quibus Dominus dixit: *Non poteſtis portare modò*, licebit affirmare, dum nunc revelata piè credimus, & impletam Chriſti promiſsionem de revelatione futura probabilitèr exiſtimamus.

188 Tertium argumentum: Quæ poſt Apoſtolos tradita inveniuntur, etiam & Cathecumeni portare poſſunt: potuiſſent ergo, & tunc Diſcipuli Chriſti: quæ igitur poſt Apoſtolos revelata ſunt, de numero eorum quæ Apoſtoli portare nequiverunt, haud eſſe videntur. Neque hoc convincit. Longè enim aliud eſt tradere quæ jam recepta ſunt in Eccleſia, qualia Cathecumenis traduntur; & aliud nova nunquamque recepta docere. Hoc quidem multò difficilius eſt, & de his dicitur Diſcipulis: *Non poteſtis portare modò* Præterea, neque à Cathecumenis eorum omnium quæ Dominus habuit dicenda, diſtincta fides exigitur.

Quam-

Quamvis enim vnum aut alterum capere poſsint, non tamen omnia, de quibus dictum eſt: *Non poteſtis portare modò.* Excuſandus igitur eſt Div. Auguſtinus, (ait Tolet.) quia populo rudi loquebatur: nec recordatus eſt, tàm graves Doctores iſta inquiſiviſſe, quos temeritatis arguere, modeſtia & mira tanti Doctoris humilitas non pateretur. Addendum exiſtimavi, Magnum Parentem eos ſolum judicaſſe temerarios, qui talia Myſteria aſſignare vellent aſſenſu certo: Secùs qui probabili, vel coniecturali judicio. Vel dicendum, tantum Doctorem, non alijs, ſed ſibi ſoli, ob ſuam magnam humilitatem & modeſtiam, comminatum fuiſſe dictam temeritatis notam.

189 Si incidentèr quæſieris, cur Dominus non præſtiterit Apoſtolis ſufficientem capacitatem, vt portare poſſent omnia Myſteria, cum revera poſſet, ſicut potuit Spiritus Sanctus, cui æqualis eſt Dominus in potentia? Omiſſa pro nunc ingenioſa Chriſoſtomi ratione Homil. 77. aliam Nazianzeni noſtro commodiorem aſſumpto ſeligere decrevi. Dicendum igitur, id ſic factum, propter Apoſtolorum inſtructionem. Futuri enim erant Diſcipuli, Magiſtri & Doctores totius orbis: oportebat igitur, vt in ſe ipſis experirentur modum docendi, & illuminandi alios. Non ſunt certè omnia Myſteria ſtatim nobis fidelibus tradenda, ſed paulatim & ordinatè, idcircò eodem modo & ipſi illuminantur. *Vides*, inquit Nazianzenus, *Theologiæ ordinem, quem nobis tenere præſtiterit, vt nec repente, nec confeſtim omnia in lucem efferamus, neque in finem vſque occultemus: illud enim inconſultum, hoc impium; illud, alienos offendere; hoc noſtros eſt à nobis alienare.*

Sãct. Ioan. Chriſoſt. hom. 77. *Nazianz. oratio.* 5. *Theolog.*

Sup. num. 147.

190 Eadem eſt doctrina Origenis Homil 5. in judicio: *Non*, inquit, *in initijs ſtatim diſcipulis, de profundis & ſecretioribus tradendum eſt Sacramentis, ſed morum correctio, diſciplinæ emendatio, religioſè converſationis & ſimplicis fidei prima eis elementa traduntur.* Præterea Diſcipulis addit motivum, vt ſuam ſcilicèt imperitiam agnoſcerent, & non propriæ virtuti, ſed divinæ, perfectionem quam habuerunt, tribuerent: & vt nos in eis hoc idem diſceremus. Multum quidem humana imbecilitas manifeſtatur, quando tanto Magiſtro præſente, adhuc multa ſunt, quæ capere & portare non poſſunt.

Origen. homil. 5. *in Iudic.*

191 Cœterum ſi requiras, cur Diſcipuli, qui Divinitatem

Chriſti portare poterant, non poterant & alia Myſteria? Dicendum: quod ſi ſingula per ſe ſummas, poterant; at ſi omnia ſimul, minimè, donec eis vires per virtutem adderentur Spiritus Sancti. Poteſt quidem homo mille libras ferri portare, ſi dividas, modo hanc, modo illam: tamen ſimul omnes non poteſt. Valet intellectus humanus multas aſſequi difficultates, & percipere diviſas, at ſimul non poteſt. Poteſt homo hodie, & cras, & quolibet die diviſsivè omnia vitare peccata venialia, at in aggregato totius vitæ non poteſt abſque ſpeciali Dei privilegio, prout definitum eſt in Concilio Tridentino. Diſcipuli enim multa jam acceperant divina Myſteria, cum quibus alia nova ſimul accipere & portare non poterant, niſi auctis viribus per Spiritum Sanctũ: propterea dicitur: *Non poteſtis portare modò.* Intellige, *modò*, id eſt, non accepta majori perfectione, & ſimul cum his, quæ jam didiciſtis. Hĩs ſic.

Conc. Trident. ſeſſ. 6 cap. 11.

192 Redeo nunc ad punctum principale quæſiti. Temerarium non eſt, juxta prælibatas DD. authoritates, probabilitèr aſſerere, hæc vel alia digna Myſteria, quæ piè & rationabilitèr credimus revelata, eſſe de eorum numero, de quibus Chriſtus D. in vltima Cœna dixit in Apoſtolis vniverſo mundo: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*: Ergo nec temerarium erit probabilitèr affirmare, Sacratiſsimæ Virginis digniſſima Myſteria, quæ occulta manſerunt in primitiva Eccleſia, eſſe de eorum numero, de quibus dixit Dominus: *Non poteſtis portare modò* Conſequentia liquidò ſequi videtur, cum æqualitèr hęc & alia in illa vltima Cœna occulta manſiſſe profiteamur.

§. IV.

VTRVM SVPRA DICTA DEIPARÆ Myſteria ſint revelabilia: & an revelari poſsint perſonæ particulari antequam Summo Pontifici? Agiturque de Revelationibus privatis.

193 CIRCA primum, de mente V. Abbatiſſæ dubitare non poſſumus. Aſſerit eſſe revelabilia, imò & de

fac-

facto revelanda, partim Eccleſiæ Militanti, aliaque Triumphanti, & ſicut Domino placebit, ita fiet, vt ſit nomen Domini benedictum in ſæcula.

194 Revelabilitas aſſerta liquet in primis ex ipſo Sacro textu, cum Dominus abſolutè non dixerit: *Non poteſtis portare*, ſed, *Non poteſtis portare modò*, quaſi poſſent portare poſtea. His conſonant alia Chriſti verba, quibus Petro dixit: *Quod ego facio neſcis modò, ſcies autem poſtea.* Liquet inſuper ex Eccleſia ſic orante: *Mentes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus qui à te procedit illuminet, & inducat in omnem ſicut tuus promiſit Filius veritatem:* ſed hæc promiſsio Filij de illis loquitur Myſterijs, de quibus in vltima Cœna dixit: *Non poteſtis portare modò*, vt patet ex contextu: Ergo, &c. Ioann. 13. ver. 7.

195 Adſtipulantur inſuper DD. authoritates ſupra legendæ, illæ præcipuè quibus aſſeritur, vſque ad finem mundi ſemper aliqua præconijs Deiparæ fore ſuperaddenda, illuſtratione divina.

196 In oppoſitum ſonant aliæ SS. PP. authoritates, incapacitatem mortalium explicantes ad plura portanda Myſteria: Ergo, &c. Patet antecedens in primis apud S. Birgittam, cuius verba ſupra tranſcripſimus num. 151. Deinde in Revelationibus S. Hildegardis fol. 588. tom. 23. Bibliothec. Noviſsimæ SS. PP. vbi ſolvens quæſtionem illam, ad Monachum Gemblacenſem cũ alijs tranſmiſſam: *Quid eſt*, ſcilicèt, *quod Paulus dicit ſe in Paradyſum, & vſque in tertium Cœlum raptum, vtrum è corpore cum anima ejus ad iſta raperetur?* Ait: *Ipſe etiam in ſplendore Angelorum, qui cum hominibus officia ſua faciunt, in Paradyſum venit, vbi omnia arcana, quæ per animam vidit, plenitèr cognovit, & ea corpore ita ſenſit, vt ſciret in ſcientia ſua, illa homini importabilia eſſe, qui ſimus eſt, & ideo omnibus Prophetis ſapientior extitit. Deus verò, mòx vt anima in corpus ſuum reverſa reſedit, eum valdè domabat, &c.* Ad has & aliàs huiuſmodi authoritates, neceſſario exponendum, ſic, vt de incapacitate ad ſimul, & non ſucceſsivè aut ſucceſsione temporum Myſteria portanda loquantur, vel ſolum de incapacitate cum vita mortali comparata. Vtrumque locum habet ſine violentia & abſque contradictione in Myſticæ Civitatis Dei doctrina ſana, vt attentè conſideranti, pièque legenti patebit, 1. *part. introd. num. 2. & poſt introd. num. 2. in fin.* S. Hildegardis.

&

Miſtic. Civitat Dei. num. hic citatis. & *num.* 44. 267. 296. 463. 604. 797. 799. & 2. *part. nu.* 44. 57. 536 694. 712. 798. 806. 846. 909. 1126. 1165. 1516. & 3. *part num.* 39. 207. 226. 331. 571. 691. vbi ex eorum lectione & aſſertum confirmatum & cum SS. PP. (quorum ſententias retro tranſcripſimus) prętenſa conſonantia roborata manebit.

197 Circa ſecundam partem quæſiti dicendum venit: Abſolutè non repugnare, imò ſæpèſæpiùs evenire de facto revelationem divinam de occulto Myſterio, prius ad perſonam particularem, quam ad Summum dirigi Eccleſiæ Pontificem. Huic aſſerto opponi non valent, niſi qui omnes revelationes privatas & particulares, ſcandaloſa temeritate condemnant. Hi profectò haud minus quam Apoſtolo Gentium opponuntur, ſanè conſulenti: *Prophetias nolite ſpernere, omnia probatè, quod bonum eſt tenete.* Super quod Eſtius adjecit: *Adverſus hoc Apoſtoli præceptum peccant & illi, qui revelationes privatas, quibuſcunque hominibus factæ legantur, toto genere ſpernunt, atque reijciunt. Etenim hæc omnia prudentèr examinanda ſunt, vt ſciatur quid tenendum, quidvè reijciendum.* Et Illuſtriſsimus Durantus *tract. de Viſionibus cap.* 7. *fol.* 127. de illis agens, qui ſine ſufficienti fundamento revelationes privatas impedire & reprobare connantur, ait: *Sanè vellem memoriæ firmitèr retinerent, quod Paulus Apoſtolus monuit dicens, Prophetias nolite ſpernere.* Collimant in idem authoritates ſubſecutæ.

1. Theſal. 5. v. 20.

Eſtius ſup. 1. Theſſal. cap 5.

Durant. tract. de viſſionib.

198 Eruditus P. Thomàs Hurtado, in Schola Thomiſtarũ valdè celebris, & à ſuis varijs elogijs dignè exaltatus, *to.* 1. *reſol. moral. tract.* 5. *n.* 795. ait: *Revelationes privatas, viris Sanctis factas, omnino excludere, nec illis fidem dare, protervia eſt, & impietas. Sic fecit Kemnitius, quem imitantur plures huius ſæculi, prudẽtiam maturam & ſeverum judicium affectantes.* Et *num.* 797. addit: *Omnem omnino negare fidem omnibus revelationibus, factis perſonis particularibus, non ſolum exiſtimo impium & temerarium, ſed erroneum in fide.*

P. Thom. Hurtad.

199 Idem Hurtado *nu.* 998. ait: *Revelationes divinæ, etiam propheticæ, non ſolum fiunt à Deo, quia neceſſariæ ſint ad Fidei confirmationem & augmentum, quamvis ob hoc motivum fierent in primis Eccleſiæ fundamentis jaciendis; ſed etiam fiunt, vel ad directionem morum, vel ad demonſtrationem Sanctitatis alicuius perſonæ, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis;* vt docet Div.

Idem.

Thomàs 2. 2. *q.*178. *art.*2. *in corp. Hæc ſuppoſitio negari non poteſt ſine ingenti temeritate.*

200 Idem *num.* 900. *Et quidem, ſi præſumptio eſt pro negantibus revelationes factas, & contra peritos eas affirmantes; etiam erit præſumptio pro negantibus eſſe veros ſervos & amicos Dei, ſanctitate illuſtres, & contra illos defendentes & approbantes. Et quis hoc dicat? Amicis autem ſuis Deus arcana ſua pandit.* **Idem.**

201 Eminentiſsimus Laurea *tom 3. in 3. diſp. 3. num.* 135. ait: *Poſt Apoſtolorum tempora, accidentalia credibilia creverunt, & quotidie creſcunt.* Quod probat revelationibus S. Birgittæ, & cõcludit ſic: *Has autem revelationes circa contingentia, frequentes eſſe poſſe, etiam Auguſtinus ſentire videtur.* Et *diſp.* 4. prætenſionem impugnandi omnes revelationes privatas vocat *tenacitatem ridiculam & inſanam.* *Eminẽtiſ. Laurea.*

202 Magiſter Avila in Epiſtola ad S. Thereſiam à Iesv ait: *Quien ſerà que quiera poner taſſa à la bondad del Señor? Principalmente quãdo algunos dones no ſe dàn por merito, &c. No tienen razon aquellos, que no creen eſtas coſas que ſon muy altas, pareciendo increible abatirſe la Mageſtad infinita à comunicacion tan amoroſa con vna criatura ſuya. Eſcrito eſtà, que Dios es amor; y ſi amor, es amor infinito, y bondad infinita; y de tal amor, y bondad, no ay que maravillarſe, que reſulten tales exceſſos de amor, que turban à aquellos que no lo conocen, aunque muchos lo conozcan por Fè.* Ex quo liquet, ignorare divinam bonitatem, & amorem infinitum Dei erga creaturas, qui omnes revelationes privatas ſemper reſpicit vt inſanias falſas. *Magiſter Avila.*

203 S. Antoninus de Florentia 3. *part. tit.* 23. *cap.* 14. §. 4. *fol.* 696. loquens de S. Catharina Senenſi ait: *Refert Magiſter Raymundus, quod ex ſecreto confeſsionis habuit, nihil quod pertineat ad viam ſalutis eam habuiſſe ab homine, ſed per revelationem Ieſu Chriſti:* Et cap. 13. ejuſdem tituli §. 10. refert, quod Confeſſori ſuo ſciſcitanti, quid viderit in raptu, de quo ibi tractatur, reſpondit Sancta: *Tantam conſcientiam haberem, vobis illud quod vidi defectivis iſtis vocabulis explanare, ſicut Deum blasfemare, vel verbis meis inhonorare; quia tanta eſt diſtantia inter id quod intellectus à Deo raptus & illuſtratus intelligit, & id quod verbis exprimi poteſt, vt quaſi contraria eſſe videantur: qua de cauſa nullo pac-* *S. Anton. Florent.* *S. Cathar. Senenſis.*

to poſſem inclinari vobis ad aliquid diſſerendum pro nunc de iis quæ vidi, quia ineffabilia ſunt Et S. Thereſia cap. 27. vitæ ſuæ, ait: *Dios trata con tanta amiſtad, y amor à las almas que ſe entregan á èl, que no ſe ſufre eſcrivir; porque haze mercedes, que conſigo traen la ſoſpecha, por ſer de tanta admiracion.*

S. Thereſ. à Ieſv.

Ven. Ludovic. Gran.

204. V Ludovicus Granatenſis in Præfatione ad Dialogos S. Catharinæ Senenſis, ait: *Favores ſuperni huic Sanctæ conceſsi, vti impoſsibiles judicabuntur ab illis, qui incomparabilem Dei erga ſuos charitatem minus perfectam habent.* Et S Bernardus Serm. 79. in Cant. dicit: *Si quis horum quæ leguntur, cupit adipiſci notitiam, amet; alioquin fruſtra ad audiendum, legendumvè amoris carmen, qui non amat, accedit.* Cœterum & Magiſter Ludovicus de Leon, loquens de revelationibus S. Thereſiæ, ait: *Lo que yo de algunos temo, es, que diſguſtan de ſemejantes eſcrituras, porque no creen que Dios ſe humane tanto con nadie, lo qual no penſarian ſi conſideraſſen lo miſmo que creen. Porque ſi confieſſan que Dios ſe hizo hombre, que dudan que hable con el hombre? Y ſi creen que fue crucificado, y azotado por ellos, que ſe eſpantan que ſe regale con ellos?* Ignorantia igitur divini amoris ſpernere facit divinas revelationes. Prudentia carnis mors eſt, & ſapientia carnis inimica eſt Deo. Stulta mundi elegit Deus, vt confundat fortia.

S. Bernardus.

Mag. Ludovic. de Leon, in Epiſt. de revelationibus & ſcriptis S. Thereſiæ.

Ad Rom. cap. 8.

1. Cor. 1.

Hugo Car.

B. Ioan. à Cruce.

205. Hugo Cardinalis de Fide diſp. 3. n. 70. ait: *Poſſunt de facto alicui privatæ perſonæ aliqua revelari à Deo, quæ Apoſtolis nõ ſunt manifeſtata.* Et B. Ioannes à Cruce in Obſcura Nocte lib. 2. cap. 12. poſt med. ait: *Almas ay, que en eſta vida percibieron mas perfecta iluminacion que los Angeles.* Qua proptèr Eminentiſsimus Card. Bona lib. de diſcretione ſpirituum c. 20. §. 5. num 5. loquens de vtroque periculo, ſcilicèt de cito credentibus, & nihil credentibus, ait: *Quia vero divina chariſmata, quibus animam ſibi ſoli vnitam illuſtrat Spiritus Sanctus, altiſsima nonnunquam & ineffabilia ſunt, adeo vt ab ipſa vix intelligi, multo minus verbis explicari queant; ſedulo cavendum eſt, nedùm vni periculo nos ſubducere ſatagimus, in alterum gravius labamur.* Vbi notandum, & duobus malis, vt minus judicari, in nimiam pietatem, quam in duritiam incredibilitatis declinare.

Cardinal. Bona.

206. Quoniam vero, etſi quamplures docti de poſsibilitate revelationum particularium non dubitent, de multiplicitate

ra-

tamen revelationum, præcipuè in mulieribus, confunduntur, loquentes perverſa ſine diſtinctione perſonarum: his ſapientibus huius ſæculi, eruditi Thomæ citati ſententijs poſtmodum ſatisfaciam, ait ſic: *Miror quoſdam hoc ſignum multiplicitatis revelationum appoſuiſſe ad præſumendum male contra revelationes factas alicui perſonæ, de cuius bona vita & ſanctitate aliàs bonus eſt cōceptus, & bona fama publica; nam ſi non eſt bonæ opinionis, etiam vnica revelatio ſuſpecta eſt, & illi non eſt fides adhibenda. Si tamen perſona revelationes patiens, bonus odor Chriſti eſt in omni loco, magnitudo & multitudo revelationum nec leviſsima præſumptio eſt contra revelationes; ſolet enim Deus ad ejuſmodi perſonas declinare quaſi fluvius pacis, & torrens inundans gloriam, portat eas ad vbera, & ſuper genua blanditur, vt dicitur Iſaiæ cap 66. aliàs ſi hoc indicium aliquid probaret, quid dicent iſti Politici de revelationibus S. Birgittæ, S. Catharinæ Senenſis, S. Getrudis, S. Hildegardis, quibus ita continuò Deus arcana ſua pandebat per Angelos, ſicut amicus ſolet ſecreta cordis aperire, ita vt nihil occultum videatur reſervare, vt dicit Severus Sulpicius in vita S. Martini.* Hurtad. tom.1. reſol. Moral tract. 5. c.6. §.12. à n 919.

207 Non igitur ex multitudine continua revelationum ſuſpectæ illæ reddantur: dicit enim Sācta Hildegardis lib.1. cap 8. *Ab infantia mea oſsibus & nervis, ac renibus meis non dum confortatis, viſionem hanc in anima mea vſque ad præſens tempus ſemper video, cum jam plus ſeptuaginta annorum ſim.* Hoc facit divinus amor. S. Hildeg. lib.1. c.8.

208 Præterea negantes omnino revelationes privatas aſsignare tenentur, ex parte cujus impoſsibilitas vel repugnantia fundetur; vel ex parte Dei, cui repugnet perſonæ particulari ſecreta cœleſtia revelare; vel ex parte perſonæ particularis impotentis & incapacis ad divinas revelationes ſuſcipiendas. Non primum, nam teſte S Bonaventura: *Temerarium eſt, terminum præfigere Deo; amplius enim poteſt quam nos poſsimus cogitare.* Neque ſecundum, nam ſcriptum legimus quod de Sancta Birgitta canit Eccleſia: *Domine Deus noſter, qui Beatæ Birgittæ per Filium tuum Vnigenitum ſecreta cœleſtia revelaſti, &c.* Ergo, &c. S. Bonavent. in 3. diſt. 20. q. 6. in fine. Eccleſia in Orat. S. Birgit die 8. Octobr.

209 In oppoſitum dices: Sæpeſæpiùs Angelus Sathanæ ſe transfigurat in Angelum lucis, & illudit quandoque, Deo permittente, etiam Sanctos Viros. Quapropter experta Sancta Therefia, quæ in vita mortali tot & tantas Viſiones & revelationes ha- S. Theref. Mont. 9. pag. 304. to.2. Oper

habuerat, cum poſt obitum ſe conſpiciendam dediſſet (*Monit.9. pag. mihi 304 tom.2. Operum*) pro recto regimine Monialium prohibuit: *Que no ſe eſcriva coſa, que ſea revelacion, ni ſe haga caſo de ella; porque aunque ſea verdad, que muchas ſon verdaderas, pero tambien es cierto, que muchas ſon falſas, y mentiroſas; y es gran trabajo andar buſcando vna verdad entre cien mentiras:* Ergo ratione ducuntur, qui revelationes privatas, mulierum præcipuè, contemnunt. Hac doctrina vociferant & clamant increduli, dum potiùs Apoſtoli doctrinam ſequi deberent: *Omnia probatè, quod bonum eſt tenete*, & Seraphicæ Magiſtræ verba, debita intelligentia interpretari. Labor eſt, inter centum mendacia vnam quærere veritatem; at & injuſtitia putatur, vnicam veritatem confundi & conculcari inter centum mendacia. Fatemur verum, ſæpeſæpiùs Angelum Sathanæ ſe transfigurari in Angelum lucis, &, Deo permittente, nonnunquam etiam Sanctos viros illudere, hocque ipſum notavit noſtra Venerabilis Author, ſigna deſcribens vt veræ revelationes diſcernãtur à falſis, diabolicæque vitentur illuſiones *1. p. à n.614. vſque ad 618. & à n. 640. vſque ad 642. & 2. par. nu. 514. 515. 528. 529. 675. & 3. part. Introd. nu.15. & poſt. Introd. n. 381. & in fine Operis Epiſt. Dedicat. num. 16.* Argumentum vero non valet: Revelationes & extaſes contingere poſſunt ope Dœmonis: ergo de facto in hac perſona particulari non fiunt ope divina? Conſequentia non tenet, vt docet Angelicus Doctor 2.2. *queſt. 175. art. 1. in corp.* S. Vincentius Ferr. *de vita ſpirituali cap.12.* ibi: *Credo, quod plus placeat Deo, &c.* Eminentiſ. Laurça *in 3. ſent. tom. 4. diſp. 20. de miraculis art. 23. nu. 992.* Cardin. Turrecremata *in Prolog. Revel. S. Birgittæ cap 5.* Magiſter Mathias de Suecia *in ſuo Prolog. ad eaſdem Revelat. ſub init.* ibi: *Nec ſuſpicio falſitatis, &c.* Conſalvus Durant. *tract. de Viſionib. cap.11. pag. mihi 192. col. 1.* ibi: *Illud quoque pro agnoſcendis, &c.* Et Chriſtus Dominus eidem dixit S. Birgittæ, *lib. 6. cap. 92. fol. 160 col.1. med. Nulli amici mei deluſi ſunt, qui me dilexerunt ſapientèr, ſed illi qui ſuperbientes de abſtinentia & juſtitia ſua, præferebant ſe alijs, &c.* Cui conſonat V. Author *1. part. num.617.* vbi ait: *Eſte daño de las Viſiones, y Revelationes falſas, aſsi en las mugeres como en los hombres, à nacido de vna mala rayz: porque la antigua ſerpiente que los conoce inmortificados*

Myſt. Civ. Dei, loco hic citat.

Angelic. Doctor.
Eminẽtiſ. Laurça.
Card. Turrecremat.
Mag. Mathias de Suecia.
Durãtus.
S. Birgit. lib. 6.

dos en las paſsiones, les introduce vna oculta preſumpcion, &c. Idemque aſſerit S. Thereſia à Iesv *cap.* 23. *vitæ ſuæ*, ibi: *Lei vn libro, &c.* *S. Thereſ.*

210 Ad probandum, in Eccleſia Catholica ſemper reperiri de facto revelationes privatas, videri poſſunt B. Ioannes à Cruce *lib.*2. *cap.*27. *poſt init.* Eminentiſ. Cardin. Bona *cap* 12. *n.*6. *& cap.* 20. Durantus *tract. de Viſionibus cap.* 5. Eminentiſ. Laurea *tom* 4. *diſp.*19. *n.*163. & alij citati apud iſtos. *B. Ioannes à Cruce.* *Car. Bona* *Durãtus.* *Laurea.*

211 Strictiori autem expreſsione ſecundam quæſiti partem reſolventes, dicimus, etiam Sacra Myſteria, quæ Chriſtus Dominus in vltima Cœna reliquit occulta, & de quibus aſſeruit: *Multa habeo vobis dicere, &c* poſſe prius revelari perſonæ particulari, quam Summo Pontifici. Hoc ſuadetur primo ex non repugnantia, ſiquidem nec ex parte Dei repugnat revelare, nec ex parte Myſterij revelari, nec ex parte creaturæ recipere revelationem. Cœterum & authoritate confirmatur Doctiſsimi Salmeron tom.9. in Evangelia tract. 69. qui exponens illa Chriſti verba: *Adbuc multa habeo vobis dicere, &c.* ait. *Per hæc verba includit revelationes privatas horum ſæculorum: nam alia alijs temporibus revelantur, modo prioribus temporibus non diſentiant.* Nec contra hoc ratio ponderis occurrit: ſi quis vero id negaverit, probare tenebitur quod negat, juxta commune proloquium: *Neganti incumbit onus probandi*; haud facilè poterit. *Salmeron in Evang.* *Com. Pro. loq.*

§. V.

AN SVFFICIAT REVELATIO PARticularis alicuius Myſterij, vt de Myſterio revelato probabilitèr affirmare poſsimus, de illis eſſe, de quibus Chriſtus aſſeruit: Multa habeo vobis dicere, &c.

212 ASSERENDVM primo, vel potiùs ſupponendum: Poſſe revelari Myſterium, quod revera in ſe ex illis ſit, quæ Chriſtus abſcondita reliquit in vltima Cœna, quin animæ ſuſcipienti revelationem manifeſtetur, Myſterium ei revela- *Aſſert.* 1.

tum eſſe de tali numero. Patet hoc, nam circa duo objecta materialia credenda, duæ fieri poſſunt revelationes diſtinctæ; ſed veritas Myſterij in ſe, & Myſterium fore de tali numero, ſunt duo objecta materialia diſtincta: Ergo, &c. Minor liquet, nam Myſterium Immaculatæ Conceptionis Deiparæ eſſe verum, & verum eſſe, tale Myſterium de illis fore, quæ Chriſtus occulta reliquit, ſunt duæ veritates diverſæ & ſeparabiles: Ergo, &c. Antecedens eſt manifeſtum, nam hic actus: *Credo, Virginem Mariam eſſe ſine macula Conceptam*, valdè diverſus eſt ab hoc alio: *Credo, Myſterium Conceptionis fore de illis, de quibus Chriſtus dixit: Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: Ergo, &c.* Vbi enim duo diverſa ſunt credenda, duæ revelationes requiruntur, vel formalitèr, vel æquivalentèr, & in revelationibus privatis S. Birgittæ & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis conſpicitur, primũ eis fuiſſe expreſsè revelatum, ex earumque libris non conſtat, eis fuiſſe expreſsè revelatum ſecundum.

Aſſert. 2. 213 Aſſerendum ſecundo: Poſſe particulari perſonæ revelari Myſterium, ſimulquè ei manifeſtari, Myſterium ſibi revelatũ ex illis fore, de quibus Chriſtus dixit in vltima Cœna: *Multa habeo vobis dicere, &c.* Vel alitèr dicam: Poſſe per diverſam revelationem animæ dici, Myſterium ei jam revelatum ex eorum eſſe numero, de quibus Chriſtus aſſeruit: *Multa habeo, &c.* Totũ hoc, exemplaribus aliarum revelationum privatarum inoffenſo pede currentium, ſatis probatum & confirmatum apparet. Quod enim nondum revelatum eſt, & eſt revelabile, revelari poteſt; ſed dato quod in prima revelatione Myſterij Conceptionis, v. g. revelatum non ſit, eſſe vel non eſſe de numero eorum de quibus in vltima Cœna Chriſtus dixit: *Multa habeo vobis dicere, &c.* talis circumſtantia revelata non eſt, & eſt revelabilis: ergo revelari poteſt. Secunda pars minoris probatione non eget, nam tale Myſterium eſt vel non eſt in ſe de eorum numero? Si eſt? Ergo eſt revelabile quod eſt; ſi non eſt? Relicto hoc exemplo, formabimus argumentum in alio Myſterio ex illis, quæ revera ſint in ſe de tali numero: convincitur ergo poſsibilitas aſſertæ revelationis, præſertim cum revelatio ſupernaturalis à ſola pendeat divina

Dan. c. 4. voluntate, juxta illud Danielis 4. *Eſt Deus in Cælo revelans Myſ-*

Amòs c. 3 *teria*, & infra: *Verè Deus noſter Deus Deorum eſt, & Dominus Re-*

1. Corint. cap. 2. *gum, & revelans Myſteria*: quibus Sacris Textibus conſonant & Amòs 3. & 1. Corint. 2.

Nunc

214 Nunc igitur principale tituli quæſitum reſolventes jux ta primum aſſertum, cum diſtinctione loquemur. Tenentes enim, omnia quæ poſt vltimam Christi Cœnam Spiritus Sanctus revelat, & vſque ad vitam venturi ſæculi revelabit, ad ea pertinere Myſteria, de quibus Dominus dixit: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*: Sufficiet his, qui debita ratione fundati piè credant, aliquod Myſterium eſſe revelatum alicui perſonæ ſanæ opinionis, vt probabilitèr affirmare poſsint, tale Myſterium eſſe de numero eorum, de quibus Chriſtus aſſeruit: *Multa habeo vobis dicere, &c.* Ratio eſt manifeſta, nam æquali probabilitate affirmatur exiſtentia Myſterij, ac exiſtentia revelationis de tali Myſterio; ſed exiſtentia revelationis particularis probabilitèr affirmatur, dum non levi ducti fundamento piè credimus, alicui perſonæ ſanæ opinionis fuiſſe revelatum tale Myſterium: ergo ſi exiſtentia revelationis particularis probabilitèr affirmatur, etiam probabilitèr affirmabitur exiſtentia Myſterij: nunc ſic: ſed in horum ſententia, omnia quæ poſt vltimam Chriſti Cœnam revelantur, de eorum ſunt numero, de quibus Chriſtus dixit: *Multa habeo vobis dicere, &c.* Ergo his ſufficiet, probabilitèr affirmare, Myſterium eſſe revelatum revelatione particulari, vt etiam probabilitèr affirment de tali Myſterio, eſſe de illorum numero, quæ Chriſtus occulta reliquit in vltimâ Cœna, & de quibus dixit: *Multa habeo vobis dicere, &c.*

Reſolut. juxta 1. Aſſert.

215 Defenſantes verò, non omnia quæ poſt vltimam Chriſti Cœnam Spiritus Sanctus revelat, eſſe de eorum numero, de quibus Chriſtus aſſeruit: *Non poteſtis portare modò*: Si circunſtantiam iſtam non manifeſtat revelatio particularis, quamvis probabilitèr affirmetur exiſtentia revelationis & Myſterij revelati, non ſufficiet vt probabilitèr etiam affirmetur, tale Myſterium fore de dicto numero. Hoc paritèr liquet, nam circunſtantia hæc deberet eſſe objectum creditum; ſed non poſſet eſſe objectum creditum, niſi foret objectum revelatum: ergo caſu quo non foret expreſsè revelata circuſtantia iſta, qualis non foret vt ſupponitur, quamquam probabilitèr affirmaretur exiſtentia Myſterij per revelationem particularem, nequiret ex eo probabilitèr affirmari, tale Myſterium eſſe vnum ex eis, de quibus Chriſtus locutus eſt in illis verbis: *Non poteſtis portare modò.* His favet Div. Auguſt. tract. 96. in Ioannem, vbi ait: *Etiam ſi poſſemus*

Alitèr reſolv.

S. Auguſt.

mus capere, & portare, & ſciremus res: tamen quis ſciret, eas res eſſe de tali numero, de quo illa multa ſunt? Vid. ap. Tolet. Cordub. Comment. in Ioannem ſup. cap. 16. annotat. 18. fol. mihi 147. col. 2. lit. D.

Reſolut. juxta 2. Aſſert. 216 Ab vtroque tamen modo diſcurrendi nunc abſtrahendo, quoniam ad finem noſtrum neuter neceſſarius: ſufficiet reſolvere juxta ſecundum ſuppoſitionis aſſertum, quod ſi perſonæ particulari non ſolùm revelatur Myſterium, ſed inſimùl divina luce indicitur circunſtantia illa, videlicèt, tale Myſterium ex illis fore, de quibus Chriſtus Dominus aſſeruit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, &c.* in huiuſmodi caſu ſat eſt nobis revelatio particularis, vt de Myſterio revelato probabilitèr affirmare poſſimus, de illis multis eſſe, quæ Chriſtus habuit dicere & non dixit in vltima Cœna. Ratio vrget: ſi enim revelatio particularis ſatis eſt, vt Myſterium revelatum probabilitèr affirmetur, *de quo latiùs infra*: Ergo ipſa revelatio particularis ſatis erit, vt etiā probabilitèr affirmetur circunſtantia revelata. Conſequentia liquet, nam ſicut Myſterium piè creditur eſſe revelatum, ſic circunſtantia piè creditur eſſe revelata: ergo ſi Myſterium probabilitèr affirmatur, quia ſic judicatur eſſe revelatum; etiam circunſtantia probabilitèr affirmabitur, quia ſic judicatur eſſe revelata. Haud alitèr ſupponitur revelata circunſtantia Myſterij, ac ipſum Myſterium.

217 Nec modo dubitandum, revelationes particulares juxta regulas prudentiæ examinatas & approbatas, fundare probabilitatem, ſivè aſſenſum probabilem, tùm de exiſtentia revelationis, tùm de exiſtentia Myſterij revelati, aut revelatæ circunſtantiæ. Circa quod Illuſtriſsimus Araujo Dominicanus, in Opere poſthumo Deciſionum moralium tract. 3. quæſt. 23. cū haud nimis pius erga privatas revelationes manifeſtetur, dixit n. 55. Loquens de revelationibus S. Birgittæ, deberi eis aſſenſum humanæ fidei, propter earum probabilitatem evidentem, & credibilitatem piam: *Ipſis debetur* (ait) *aſſenſus fidei humanæ, juxta regulas prudentiæ, juxta quas tales revelationes ſunt probabiles evidentèr, & piè credibiles.* Ergo ſi privata revelatio, juxta regulas prudentiæ piè credita, ſufficit ad aſſenſum probabilē de objecto revelato, ſivè de revelata circunſtantia; ſufficiet revelatio particularis de eo quod aliquod Myſterium de illis ſit, de qui-

Illuſtriſ. Araujo.

bus

bus Chriſtus aſſeruit: *Adhuc multa*, *&c.* vt probabilitèr affirmare poſsimus, ſic eſſe.

§. VI.

VTRVM CHRISTVS DOMINVS IN illis verbis: Adhuc multa habeo vobis dicere, &c. *ſit in Apoſtolis, etiam omnibus Fidelibus, & univerſo mundo locutus?*

218 AFFIRMAT noſtra Venerabilis Author, in clauſula immediata ad propoſitionem Notæ ſubjectam. Idē tenent graviſsimi DD. ex quibus, alijs omiſsis, principaliora adducam teſtimonia.

219 Probatur 1. ex Marci 13. à v. 3. vbi dicitur: *Cum ſederet Ieſvs in monte Olivarum, interrogabant eum ſeparatim Petrus & Iacobus, & Ioannes, & Andreas.* Et relato ibi ſermone, concludit Dominus, & etiam caput, his verbis: *Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Ex quo ſic: ſicut Dominus in monte Olivarum loquebatur cum Diſcipulis ſuis, ſic in vltima Cœna loquebatur cum Apoſtolis; ſed in ſermone montis loquebatur in Diſcipulis cum omnibus fidelibus præſentibus & futuris, vt patet ex textu: Ergo, &c. Similitèr argui valet ex illis Chriſti verbis Math. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi:* ſed hìc in Apoſtolis toti Eccleſiæ locutus eſt Dominus juxta communem Expoſitorum intelligentiam: Ergo, &c. *Vid. Dioniſ. Carthuſ. Dom. 4. poſt Paſcha.*

Marc. cap. 13.

Math. 28.

220 Præterea ſuadetur reſolutio ex jam relata Eccleſię prece, qua ſic orat: *Mentes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet; & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.* Arguo ſic: In omnibus illis Chriſti verbis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem:* Æ qualitèr loquebatur Chriſtus cum Apoſtolis ſuis, & hoc patet, nam in ſecunda clauſula immediatè ſequitur ad primam abſque vlla interpoſitione aliorum verborum; ſed in ſecunda clauſula lo-

Orat. Eccleſiæ.

loquebatur in Apoſtolis omnibus Fidelibus, etiam futuris, aliàs immeritò prædictam Eccleſiæ orationem recitaremus: ergo etiã in prima Chriſti clauſula, ſcilicèt in illis verbis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, &c.* loquebatur in Apoſtolis omnibus Fidelibus, etiam in Eccleſia futuris. *Spiritus Sancti Magiſterium*, ait Maldonatus, *pro ſe à Chriſto Eccleſiæ datus eſt, donec ipſe ad judicium, id eſt, ad colligendam Eccleſiam venerit, ejus officium duraturum.* Imò V. Beda vltra diem judicij prædictum extendit Paracliti magiſterium, dum exponens illam Chriſti promiſsionem, *cum autem venerit ille, docebit vos omnem veritatem*, & explicans quomodo & quãdo docebit omnẽ veritatẽ, ait: *Non de hac, ſed de altera vita intelligendum eſt, vbi omnem veritatem cognoſcituri ſumus, & in quam nunc Spiritus Sanctus, donec eò perveniamus, paulatim inducit.* In Apoſtolis igitur etiam nobiſcum loquutus eſt Dominus, quos Spiritus Sanctus ex promiſsione Chriſti in omnem veritatem, & in vitam æternam paulatim inducit.

Maldonat ap. Illuſtr. Samaniego Not. 4. 1. p. §. 4. V. Beda ſup. Ioan. 16. v. 13.

221 Cœterum, Tertulianus lib. de Velandis Virginibus, ait ſic: *Quæ eſt Paracleti adminiſtratio, niſi hæc, quod diſciplina dirigitur, quod ſcripturæ revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur?* Sed omnia hæc adhuc fiunt in nobis, & fient in futuris fidelibus: ergo promiſsio Chriſti etiam nobis in Apoſtolis facta eſt: ergo ſi Chriſtus in illis verbis, *cum autem venerit ille, &c.* in Apoſtolis nobiſcum loquebatur, etiam in antecedentibus: *Adhuc multa habeo, &c.*

Apud Caniſ. lib. 1. de Deipara cap. 5. fol. mihi 27. col. 2.

222 Collimat Henricus de Haſsia Carthuſian. exponens Epiſt. S. Bernardi Abbatis ad Canonicos Lugdunenſes *cap. 7.* vbi aſſerit, dictum Salvatoris: *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò, & alium Paraclitum mittam vobis, qui docebit vos omnem veritatem, & ſuggeret vobis omnia, &c.* intelligendum eſſe, *in diſcurſu Eccleſiæ pro diverſis temporibus, & hominum variationibus*; ſed ſi Dominus ſolis Apoſtolis, & non illis Eccleſiæ vniverſali, cœteriſque Fidelibus futuris locutus eſſet, non poſſet Chriſti promiſsio in diſcurſu Eccleſiæ, Apoſtolis è mundo ſublatis, pro diverſis temporibus, & hominum varietatibus adimpleri, vt de ſe patet: Ergo, &c.

Henricus de Haſsia Cartuſian

223 Alia in aſſerti confirmationem adduci poterant præclara teſtimonia, cum vix inveniatur aſſumpti textùs celebris Expoſitor, qui illativè ſaltem, ſi non expreſsè, haud ambulet

no-

nobiſcum: dicta tamen ſufficiant pro ſic tenui difficultate; præterquam quod & alia ſupra relata idipſum confirmare conſpicientur, ſi attenta conquiſitione legantur.

224 In oppoſitum autem ſi dicatur, adæquatè in Apoſtolis expletam inveniri promiſsionem Chriſti, cum per adventum Spiritus Sancti didicerint omnem veritatem: ergo in Apoſtolis, ſolis Apoſtolis locutus eſt Dominus. Duplici via venit ſequenda ſolutio. Dici poteſt in primis, Apoſtolos adhuc per adventum Paracliti, non omnem abſolutè, ſed omnem tunc eis & Eccleſię convenientem didiciſſe veritatem, quod ſufficere videtur, vt veritas Sacri Textus eluceat. Hoc patet à ſimili, nam Ioann. 15. v. 15. dixit Iesvs Apoſtolis ſuis: *Omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*: Ergo ex illo tunc, jam Apoſtoli didicerant à Chriſto omnem veritatem; ſed hoc eſt falſum, niſi modificatione relata: Ergo, &c Patet minor, nam Ioann. 16. v. 12. poſtquã audierant à Chriſto: *Omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*, dictum eſt eis ab ipſo Domino: *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò. Cum autem venerit ille, &c.* Ergo huculque non didicerant Apoſtoli omnem veritatem abſolutè, niſi modificatione dicta, ſcilicèt, omnem veritatem tunc convenientem; ſed modificatio hæc ſufficit, vt primus Sacer Textus verificetur: ergo vt verificetur ſecundus ſat erit, quod per adventum Spiritus Sancti didicerint omnem veritatem tũc ſibi & Eccleſiæ convenientem, quamvis abſolutè nõ didicerint à Paraclito in vita mortali omnem veritatem. Favent ijs Suarez de Fide tract. 1. diſp. 2. ſect. 6. num. 19. & Hugo Cardin. de Fide diſp. 3. num. 70. aſſerentes, *poſſe de facto alicui perſonæ aliqua revelari à Deo, quæ Apoſtolis non ſunt manifeſtata*; ſed hoc non eſſet verum, ſi Apoſtoli didiciſſent abſolutè omnem veritatem: Ergo, &c.

Ioan. 15. *v.* 15.

225 Alio modo dici poteſt, Apoſtolos per adventum Spiritus Sancti omnem veritatem abſolutè cognoviſſe, ſed non omnia quæ cognoverunt, Eccleſiæ propalaſſe, quia non omnia portare poterant novi Fideles. Et quidem hoc nec repugnat, nec liberè dicitur. Non repugnat, vt de ſe liquet, & ratio præmit, nam virtute Spiritus Sancti capaciores redditi ſunt Apoſtoli, primiciæ Legis Gratiæ, quibuslibet Fidelibus diviſivè ſumptis vſque ad finem mundi: Ergo, &c. Nec liberè dicitur, quoniam S.

Birgittæ revelatum reperimus, Myſteria Sacra Immaculatæ Conceptionis & Glorioſæ Aſſumptionis SS. Virginis, non omnibus nota fuiſſe in Eccleſia primitiva: ergo Apoſtolis, ſaltem aliquibus, nota fuere: idemque à ſimili dici valet de alijs Myſterijs: Ergo, &c. His etiam conſonant graves Authores conſcribentes, Apoſtolos Chriſti aliquibus in populis iſthæc Myſteria, præcipuè Conceptionis, prædicaſſe, vel dicta nonnullis reliquiſſe. Conſonat & noſtra V. Author 1. *part. num.* 248. 266. 545. *&* 2. *part. n.* 149. 413. 559. 714. 848. *in fin.* 975. 1034. 1044. 1048. 1049. 1508. *&* 3. *part num.* 560. Ubi declarat ſingularē notitiam Apoſtolis communicatam, & maximè Ioanni, de Myſterijs, Donis, & Privilegijs Reginæ Matris, cauſamque offert, cur de SS. Virgine ſic parcè locuti ſunt Evangeliſtæ diſpoſitione divinâ, & quomodo dilectus Diſcipulus in Apocalypſi innumera ſub velamine clauſit Deiparæ Myſteria, quæ re ipſa & ipſe clariſsimè cognoſcebat.

Myſt. Civ. Dei, loco hic cit.

226 Dato ergò, & libentèr conceſſo, Apoſtolos in vita mortali per adventum Spiritus Sancti omnem didiciſſe veritatem, adhuc argumenti conſequentia non tenet. Si in Eccleſia Fidelium Myſteria manebant occulta, quid intereſt quod ſolis Apoſtolis fierent manifeſta? Itidem quamvis Chriſti promiſsio in Apoſtolis, prout ad Apoſtolos attinebat, adæquatè fuerit expleta: vnde convincitur, in Apoſtolis, ſolis Apoſtolis Dominum fuiſſe locutum, & non Ecleſiæ? Solum igitur probatur, quod ſicut in Apoſtolis magiſterio Spiritus Sancti adæquatè fuit expleta promiſsio vſque ad conſummationem vitæ, ſic in Eccleſia cœpit expleri, explebiturque adæquatè vſque ad conſummationem ſæculi. Quapropter vtroque modo enervatur argumentum; ſivè negando, Apoſtolos per adventum Paracliti omnem abſolutè didiciſſe veritatem in vita mortali, ſivè id libentèr concedendo.

(*†*)

§. VII.

§. VII.

VTRVM REPVGNET EX PARTE materiæ, Myſteria Deiparæ in hiſce Libris Myſticæ Civitatis Dei conſcripta, eſſe de eorum numero, de quibus Chriſtus dixit in vltima Cœna: Multa habeo vobis dicere, &c?

227 STABILITO jam ſemel & iterum, quamplura Sacratiſsimæ Virginis Privilegia in Eccleſia primitiva manſiſſe velata; probatoque, probabilitèr affirmari poſſe, talia Deiparæ Privilegia, quæ in primitiva Eccleſia manſerunt occulta, de illorum fore numero, de quibus Chriſtus in vltima Cœna dixit: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*; alijſque ſuppoſitis, quæ huculque ſuper hoc Articulo diſcuſſa relinquimus; ingredimur nunc ad præcipuam huius Concertationis difficultatem. Aſſerit enim V. Abbatiſſa, Deum ſibi dixiſſe, propter Myſteria Reginæ creaturarum in Libris Myſticæ Civitatis Dei contenta, Humanatum Verbũ in vltima Cœna Apoſtolis dixiſſe, in eiſque vniverſo mundo: *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò*. Reſtat igitur examinare, vtrum hoc quod dicitur revelatum, ex parte rei revelatæ repugnet; & caſu quo ex parte materiæ non repugnet, an V. Author ſit prudentèr credibilis in eo quod aſſerit ſibi revelatum? Primum examinabimus in præſenti §. ſecundum in ſequenti. Si enim perſona revelationem manifeſtans, ex parte perſonæ vel circunſtantiarum non redditur prudentèr credibilis, etiamſi id quod affirmat ſibi eſſe revelatum ex parte materiæ non repugnet, reſpuenda & deſpicienda manet revelatio: & è contra: quando id quod dicitur alicui perſonæ revelatum, invenitur falſum, vel Scripturæ Sacræ manifeſtè contrarium, quanquam aliàs perſona revelationem patiens qualiſcunque ſit bonæ opinionis, putandũm eſt, deceptionem ſaltèm eveniſſe paſsivam, vt ex S. Gregorio *ſup. Iob* 33 abundantèr probat Philamarinus *tract.* 1. *de Divinis revelationibus cap.* 3. *ſig.* 4. *fol.* 192. *col.* 1. *à num.* 1. *S. Greg. in Iob* 33. *Philamarin.*

228 Ad rem igitur in titulo quæſitam devenientes, dicendũ no-

nobis eſt, in divina Hiſtoria Vitæ mirabilis Sacratiſsimæ Virginis, à V. Abbatiſſa Maria à Iesv Gracchuritana (vulgo de Ageda) octo Libris Myſticæ Civitatis Dei conſcripta, nihil falſum reperi, diſſonumvè Scripturæ sacræ & SS. PP. quapropter ex parte materiæ non repugnare, quod altiſsima Deiparæ Myſteria, in eiſdem Libris comprehenſa, de eorum poſsint eſſe número, de quibus Chriſtus dixit in vltima Cœna: *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò.*

229 Primum ſit aſſertæ propoſitionis teſtimonium, examen rigidum tot Virorum Inſignium, qui vſque ad vnguem de clauſula in clauſulam mirabile Opus hoc ſæpeſæpiùs examinarunt, & nihil falſitatis, aut diſſonátię cũ Scriptura Sacra & SS PP. invenerũt. Ex his inter alios enumerantur Excel. & Illuſtriſ. D. D. Michael Eſcartin, Turiaſonenſis Epiſcopus, Catholici Regis Conſiliarius, & V. Abbatiſſæ Diœceſanus, qui & Operis & Authoris celebre conſtruxit elogium. Illuſtriſ. & Rev. D. D. Fr. Didacus de Silva, in Sacra Theologia Magiſter, Magni Patriarchæ S. Benedicti, antea Generalis, poſtea verò Epiſcopus Guadicenſis, vulgò *de Guadix*, RR. P. M. Andreas Mendo, Societatis Iesv, Regius Concionator, Inquiſitionis Supremæ Hiſpaniarum Conſultor, Theologiæ & Scripturæ Sacræ Salmantinus Lector, ejuſdemque Salmantinæ Diœceſis Synodalis Examinator. Hi omnes ante primam editionem publicam Operis huiuſce, Cenſuram & Approbationem, varijs totius doctrinæ præconijs & elogijs refertam exibuerunt, vno calamo conclamantes, nihil falſum, aut ſanæ veritatis diſſonum inveniſſe.

Exam. Oper.

230 Nec contemnendam putes ſtrenuam Seraphicæ Religionis vigilantiam, cujus Miniſter Generalis, inſpecta materiæ gravitate, ſelectiores totius Familiæ Ciſmontanæ Theologos elegit, & injuncto eis ſalutaris obedientiæ præcepto, vt totum opus de verbo ad verbum perlegerent & examinarent, antequã primo prælo & prælio committeretur, matura diligentia diſpoſuit. Quod vtique factum eſt indicibili prolixitate, ad ſingula Comitia intervenientibus & aſsiſtentibus perſonalitèr notiſsimis quantum doctiſsimis Viris Theologis, qui ſequuntur. RR. P. Fr. Ildephonſus Salizanes totius Ordinis noſtri Miniſter Generalis, poſtea Epiſcopus Cordubenſis. RR. P. Fr. Ioannes Munieſſa, Sac. Theologiæ Lector, Propoſitionum Fidei Cenſor, Catho-

Aliud Exam.

Exam. ex par. Relig. Seraph.

tholicæ Maieſtatis Concionator, antea Aragoniæ Provincialis, Definitor Generalis, & totius Familiæ Ciſmontanæ Commiſſarius Generalis. RR. P. Fr. Andreas de Guadalupe, Lector Iubilatus, Ex Provincialis Provinciæ Angelorum, Vice-Comiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ, & actualis Commiſſarius Generalis Indiarum Occidentalium. R. P. Fr. Ioannes de Molino, Lector Iubilatus, Sancti Officij Conſultor, Provinciæ Conceptionis Ex-Provincialis, & Auguſtiſsimæ Dominæ Imperatricis Confeſsionibus deſtinatus R. P. Fr. Chriſtophorus Delgadillo, Lector Iubilatus, Provinciæ Caſtellæ Cuſtos, & Magni Conventus Matritenſis actualis Guardianus. R.P.Fr.Bartholomæus Garcia de Eſcañuela, Lector Iubilatus, Catholici Regis Concionator Eximius, & Provinciæ Granatenſis dignior Pater. R.P.Fr.Andreas de Fuenmayor, Burgenſis Provinciæ Definitor, & V. Abbatiſſæ noſtræ olim annis duo de viginti Director. Hi ſimùl veritatem inveſtigantes, totum Opus Myſticæ Civitatis Dei à prima vſque ad vltimam lineam attenta diſcuſſione legerunt, nihilque falſum, aut erroneum, minuſvè tutum invenientes, ſolummodò nonnullas clauſulas Notis Theologicis illuſtrandas decreverunt, prout in prima patent editione.

231 Quærentes verò ſalutem ex oppoſitis, inter examina Myſticæ Civitatis Dei apud Hiſpanos rigidiùs nullum, quam quod occaſione Delationis Hiſpanicæ, ſeligente Magiſtros & Cenſores ipſo Sacro Tribunali, diebus innumeris, & annis integris continuis factum eſt. Hi quidem ex noſtris non erant, nec nobis audientibus vel videntibus diſputabant. Præceſsit enim Operis Delatio, minutiſsima quæque ipſius Operis verba ex imaginata vel apparenti diſſonantia dilacerans; quamplures propoſitiones & ſententias integras acutiſsimis Cenſurarum ictibus configens, & vſque ad virgularũ ſituationes appendẽs. Exhibito igitur Supremo Hiſpaniarum Sacro Tribunali Delationis Libello, de adducendis ad ipſum Fidei Tribunal omnibus hiſce Libris emanavit Decretum. Alijs nunc omiſsis, ſatisfactionis & defenſionis locus conceſſus eſt ab æquiſsimo Tribunali; participatoque Delationis Libello Religioni Seraphicæ, Delatorum argumenta ſolvere connati ſunt Docti Minores. Oblato deinde ſatisfactionum codice Inquiſitori Generali, vt judicium exiret æquanimè, Qualificatores oppetijt omninò indifferentes. Cœpit

Delat. Operis.

Exam. ex part. Tribunal. Hiſpan.

exa-

examen, & quò tardius, exivit glorioſiùs. Inter Cenſores nonnulli erant tardi ad credendum, ſed incredulitas eorum profuit non paucis ad piam fidem. Haud eſt inventa propoſitio, nec in Libello Delationis notata, nec in progreſſu Operis incluſa, quę ſanam & non repugnantem non ſaperet doctrinam. Nullam igitur cauſam damnationis vel prohibitionis invenientes Cenſores in hiſce Libris, dimiſi ſunt Libri liberi, qui authoritate Sacra tenebantur incluſi.

232 Tot ergo Celebrium Virorum inſpecto dictamine de
immunitate Operis à Cenſura falſitatis ex parte materiæ; vnde
probant, vel inferunt Deputati, eſſe falſum, quod non repugnat
Magiſt. eſſe verum? Sic arguebat Celebris Thomiſta Magiſter Alvarez,
Alvarez. Archiepiſcopus Tranenſis, ſolvens objecta Seraphicæ Thereſiæ
Cenſura 5. vbi ſic ait: *Irrationabilitèr notatur falſitatis propoſitio*
Caietanus *probabilis, quamvis etiam contraria ſit valdè probabilis.* Et Caieta-
nus exponens Angelicum Doctorem 3. p. q. 57 art 6. ad 3. *Po-*
teſt contingere, quod ex duabus opinionibus probabilibus, ea, quæ
minùs probabilis eſt, vera ſit, & alicui perſonæ ſpirituali revelata:
Ariſtot. *nàm vt dicit Ariſtoteles, multa falſa ſunt probabiliora veris.* Con-
victa igitur non repugnantia materiæ revelatæ, hoc ſat ex par-
te materiæ; quamvis aliàs judicium omnino certum ferri non
M. Domi- poſsit, vt eruditus eloquij Myſtici M. Dominicus à SS. Trinita-
nic. SS. te fert expreſsè to. 6. lib. 7. ſect. 7. cap. 6. vbi in materia ſubjec-
Trinit. ta dicit: *Quamvis autem ex his certum omninò judicium ferri ſem-*
per non poſſit, moralis tamen, ac prudentialis certitudo ibi non de-
Turrecre- *eſt.* Et Cardinalis Turrecremata, hoc principalitèr exiſtimavit
mat. inveſtigandum fore in Revelationibus Sanctæ Birgittæ: *An arti-*
culi præſentati poſsint ſuſtineri, Fidei Catholicæ veritate ſalva, &
abſque doctrina Sanctorum Doctorum injuria? Et Eminentiſsimus
Car. Bona. Cardinalis Bona lib. de diſcret. ſpirituum cap. 20. §. 3. num. 5.
magnî facit ſapientum approbationem his verbis: *Sic ab homini-*
bus, humanâ & divinâ ſapientiâ præditis, Sanctæ Thereſiæ viſiones
& revelationes approbatæ fuerunt, &c. Cum ergo ex tot ſapien-
tum calculatione, propoſitionibus contradictoriè diſcuſis, nihil
in Libris Myſticæ Civitatis Dei falſum, nihilvè Fidei Catholi-
cæ contrarium, totumque abſque Sanctorum Doctorum injuria
prolatum inveniatur, inde ex parte materiæ, non repugnantia in
titulo quæſita, facilè cognoſcetur.

Sa-

233 Salutem amplius quærentes ex oppoſitis, ne dicam ex inimicis: videat, & conſideret ſenſatus, quis majori conatu examini rigidiſsimo tanti Operis applicabitur, quàm ipſi Cenſores & Delatores, tùm in Hiſpania, tùm Romæ, tùm Pariſios: ſcimus enim quanto labore & ſudore vexati ſunt; ſed quidquid hi vſquemodò, vt nota vel Cenſura dignum adduxerunt, totum eſt ſufficienti ſolutione diſolutum, ſalvo ſemper Supremo Eccleſiæ Catholicæ judicio: Ergo, &c.

Alia. Exã.

234 Proderit inſuper pietati, digniſsimam Sancti Bernardi penſare ſententiam Homil. 1. ſup. Miſſus eſt, vbi ait: *Et quod mirum, ſi Deus, qui mirabilis legitur & cernitur in Sanctis ſuis, mirabilem ſe exibuerit in matre ſua?* Illamquè Catholicam recolere veritatem, qua dicitur: *Non eſſe impoſsibile apud Deum omne verbum.* His nitebatur Hurtadus, dum, examinatis revelationibus, animum informans, dixit: *Cuncta, quæ non ſunt Fidei & regulis morum oppoſita, ſunt Deo poſsibilia.* Et S. Petrus Chriſologus: *Quantus igitur ſit Deus, ſatis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non ſtupet, animum non miratur.* Et S. Auguſtinus: *Hîc ſi ratio quæratur, non erit mirabile; ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare: demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigari nõ poſſe: in talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.* Et Andreas Cretenſis: *Si quid novum quod nos ſuperat, in Virgine Maria operata eſt divina gratia, nemo miretur, intuens ad novum & ineffabile, quod in ea peractum eſt Myſterium, ab omni finitate infinities infinitè exceptum.*

S. Bernardus. Tho. Hurtad. to. 1. reſol. mor. tract. 5. num. 990. S. Petrus Chriſolog. Ser. 140. S. Auguſ. Ep. 3. ad Voluſ. Andr Cretenſ. Ser. de Dormit Deip.

235 Quoniam verò hæc & alia ſimilia præ oculis non habentur, quamplures ſapientes de revelationibus particularibus indignantur, & impletur in eis S. Dyoniſi ſententia: *Illud quod commentare, & admirari debuerant, incipiunt perſequi, & denigrare.* Quod notavit Angelicus Doctor vti ſapientibus indignum: *Quatuor ſunt, quæ præcipuè in ore ſapientis diſconveniunt, ſcilicèt, decentia ſupprimere affatibus, ſuper ignotum ſcientèr contradicere, &c.*

S. Dyoniſ. Areopag. ap. Cartus Blommovena in Apolog. pro Henric. Harp. Angel. D. Opuſ. 71. cap. 6.

236 Nec obeſt, quod nonnulla in hiſce Libris inventa, ratione noſtra inveſtigari non poſſunt: ex quo haud pauci patiuntur ſcandalum. Solutioné primæ partis audiamus ab Angelico Magiſtro lib. 1. contra Gent. cap. 3. vbi ait: *Sicut maxima amentiæ eſſet idiota, ſi quæ à Philoſopho proponuntur, falſa eſſe aſſereret,*

Idem.

prop-

propter hoc quod ea capere non poteſt: ita & multo amplius nimia ſtultitiæ eſſet homo, ſi ea, quæ divinitùs Angelorum miniſterio revelantur, falſa eſſe ſuſpicaretur, ex hoc quod ratione inveſtigari non poſſunt. Ideo Magnus Cancellarius Pariſienſis ad examen rei Myſticæ potiùs humiles illiteratos & ſimplices, quã nõnullos ſapientes vel Philoſophos deſiderabat: verba ſunt hæc: *Sicut multis, qui Clerici, vel Litterati, aut Sapientes, vel Philoſophi, aut Theologi nominantur, occultandus eſt ſermo de Myſtica Theologia: ſic pluribus illitteratis & ſimplicibus, fidelibus tamen, traddi poteſt.* Conſonat & ſecundam partem argumenti diſolvit Seraphica Magiſtra Thereſia à Ieſv in Manſionibus primis cap. 1. vbi ait: *Podràſe dezir, que parecen coſas impoſsibles, y que no es bien eſcandalizar à los flacos. Menos ſe pierde en que ellos no las crean, que no en que ſe dexe de aprovechar à los que Dios las haze, y à los que ſe deſpertaràn à mas amar à quien haze tantas miſericordias, ſiendo tan grande ſu poder, y Mageſtad. Quanto mas que sè, que hablo con quien no avrà eſte peligro; porque ſaben creer, que haze Dios aun muy mayores mueſtras de amor. Yo sè, que quien eſto no creyere, no lo verà por la experiencia; porque es muy amigo de que no pongan taſa à ſus Obras.* Et in alio tractatu, cui titulus: *Conceptos del Amor Divino*, ſuper illa verba Canticorum 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui*, ſcribit: *Diràn que yo ſoy vna loca, y que no quiere dezir eſto, que tienen muchos ſignificados eſtas palabras,* beſo, y boca, *ſiendo claro no deven dezirſe à Dios; y que por eſto ſeria bien, que eſtas coſas no ſe leyeſſen de perſonas ſimples, y idiotas.* Ad quod mirabilitèr Sancta reſpondet, admirationem impugnantium evaneſcendo efficaci ratione, in immenſâ dignatione divina apprimè ſtabilitâ, qua ex omni parte concludit: *Omnipotentis opera non eo deſpicienda, quia incomprehenſibilia:* Ergo, &c.

Gerſon. ap. Carius Blommovena in Apol. pro Harphio. · *S. Thereſia.*

S. Auguſt. 237 Idem confirmatur authoritate Magni Parentis Auguſtini, lib. de doctrina Chriſtiana, vbi ait: *Minus intelligantur, minus placeant, vera tamen dicantur, & juſta.* Et lib. de Libero arbitrio: *Si de veritate ſcandalum ſumitur, vtilius permittitur naſci ſcandalum, quam quod veritas relinquatur.* Et Doct. Fulgentius Petrello: *No ſe han de dexar de predicar, ni de eſcrivir las excelencias de la Reyna del Cielo, por el eſcandalo que toman*

Fulgent. Petrell.

algunos; pues à eſſa traza no ſe deviera predicar la miſericordia divina, porque tambien los pecadores toman ocaſion para pecar de eſſe divino atributo. Nec minori efficacia convincunt exemplaria, quæ adducit Caniſsius *lib. 5. cap.* 2. & Angelicus Doctor exponens Epiſtolam Apoſtoli ad Romanos *cap* 7. *lect.* 2. vbi reſolvit: *Haud prohibenda fore ob maliti x vel ignorantiæ pericula, quæ alias bonitatem in ſe continent, vel proximorum vtilitatem.* *Caniſsius.*

238 Adeſt inſuper periculoſa præſumptio, dum ea nonnulli Cenſores vt falſa judicare conantur, quæ eorum capacitatem excedunt; formidabiliſque ſuper hoc Angelici Doctoris invenitur ſententia 1. part. quæſt. 58. art 1. prope finem, & expreſsius quæſt. 16 de malo, art. 6. vbi ait: *In malis Angelis propter inordinatam & ſuperbam voluntatem, poteſt eſſe defectus falſæ opinionis, in quantum exhibent præſumptuosè ſuum intellectum ad judicandum de ijs, quæ eos excedunt:* Ex eo igitur, quod aliquod Myſterium inveſtigari nō poſsit, ſummeda nō eſt occaſio ad male ſentiendum: noli ergo judicare, ſi non vis errare: noli judicare, ne pœnitens dicas; ambulavi in magnis, & in mirabilibus ſuper me, & non humilitèr ſentiebam, ſed exaltavi animam meam. *Angelic. Doct.*

239 Expaveſcunt itidem ſcrupuloſi Cenſores, dum aliqua in hiſce Libris inveniunt per hyperbolé concinnata, non intelligentes, quod Scriptura Sacra, & dicta Sanctorum huiuſmodi verbis plena ſunt, vt eruditè notant Carthuſianus Blommovena in Apologia pro Henrico Arphio fol. 428. *Lector benevolus ſit, & inveniet, quod propter pauca quædam verba in hoc libro per hyperbolem dicta, non eſt hic liber reijciendus, ſed ipſa verba ſunt Catholica interpretatione intelligenda, cum oſtenſum ſit, quod Scriptura, & dicta Sanctorum huiuſmodi verbis ſunt plena.* Et P. Hurtado, diſcretione ſibi propria, Cenſores revelationum prævenit, vt non perturbentur, nec nimio timore concutiantur, ſi aliqua invenerint difficilia, ait enim: *Dùm conſtat de bona vita, non obeſt, quod aliqua dixerint difficilia.* Et Cardinalis Bona ad eundem finem præmittit, ad explicanda ſingularia Altiſsimi dona neceſſarias fore inſolitas locutiones, quas non bene intelligentes, in præcipitem ſententiam incidere conſueſcunt Iudices inexperti: *Quas ſanè voces* (ait) *non percipientes, præcipiti ſententia veluti erroneas damnare ſolent.* Nec expoſitionem vllam admittere patiuntur, *Cartus Blen.mov. pro Henriq. Arph.* *Hurtad. tract. reſol moral.* *Car. Bona.*

quaſi ſtrictiori ſint huiuſmodi ſcripta cenſuranda judicio, quâcunque aliâ Scripturâ, ſivè divinâ, ſivè humanâ. Expoſitionem admittunt verba Tridentini, vt notavit Suarez *diſp.* 21. *de Pœnit. ſect.* 2. *nu.* 6. & de facto exponens ſententiam illam Can. 7. & cap. 5. ſeſſ 14. *Debent omnia peccata ſigillatim confiteri*, ait, intelligi debere, *non de omnibus ſigillatim phyſicè, ſed moralitèr*. Revelationes S. Birgittæ, S. Getrudis, S. Hildegardis, S. Catharinæ Senenſis, S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, propoſitionibus difficilibus abundant, imò & Scriptura Sacra nonnullas habet, vt etiam inſignis advertit Cartuſianus Blommovena *in Apologia citatâ pro Henrico Harphio fol.* 427. Haud obeſt ergo, quod in Libris Myſticæ Civitatis Dei, difficiles aliquæ propoſitiones reperiantur, dum legitimâ expoſitione in rectum & catholicum ſenſum doctrinæ probabilis reduci poſsint, vt inoffenſo valeant pede decurrere.

Suarez de Pœnit.

Cartuſ. Blommovena.

240 Iam itaque convicto, nihil in his Libris Myſticæ Civitatis Dei falſum reperiri, nihilque improbabile, ita vt nec æmulatorum indefeſſa vigilantia, aliquid quod ſolvi non poſsit objecerit vſque modò: deducimus ex conſequenti, Sacra Deiparæ Myſteria in hiſce Libris contenta, non repugnare ex parte materiæ, vt de illorum poſsint eſſe numero, de quibus Chriſtus dixit in vltima Cœna: *Multa habeo vobis dicere, &c.* Argumentum ex dictis ſic efformatur: Probabile eſt, inter Myſteria quæ Dominus occulta reliquit in vltima Cœna, & de quibus dixit: *Multa habeo vobis dicere, &c.* Sacra Deiparæ Myſteria, quæ non ſunt manifeſtata in primitiva Eccleſia, poſſe numerari; ſed hæc Deiparæ Myſteria in hiſce Libris revelata, poſſunt eſſe, vel ex parte materiæ non repugnant eſſe ex eis, quæ occulta manſerũt in primitiva Eccleſia: ergo neque ex parte materiæ repugnant eſſe ex eis, quæ Dominus occulta reliquit in vltima Cœna, & de quibus dixit: *Multa habeo vobis dicere, &c.* Nùm videamus, ſi V. Author, id ſic eſſe aſſerens ex revelatione divinâ, ſit piè credibilis.

(*†*)

§. VIII.

§. VIII.

VTRVM V. AVTHOR, IN EO QVOD aſſerit, ſibi fuiſſe revelatum, Myſteria Deiparæ in Libris Myſticæ Civitatis Dei conſcripta, eſſe de eorum numero, de quibus Chriſtus dixit: Multa habeo vobis dicere, &c. *ſit piè credibilis.*

241 Eminentiſsimus Cardinalis Turrecremata, vt Revelationes S. Birgittæ inter Cœleſtes enumeraret, quinque ſigna principalia firmavit. *Primum eſt ſignum:* Quando graves & experti ſapientes ſpirituales Viri ita judicant. Sanè, ait, ſi eorum judicio approbātur tales, ſignum eſt quod tales veriſimilitèr à Deo inſpiratæ ſunt, licèt ab inſipientibus, & carnalibus hominibus, qui non niſi carnalia ſapiunt, alitèr judicentur: *Secundum ſign* ſumitur ex parte effectus, quem revelatio in animo, cui fit revelatio, efficit, & operatur; Revelatio quidem divina hominem efficit humilem, &c. *Tertium ſignum* eſt puritas & integritas veritatis eorum, quæ revelantur. Quando enim Revelationes per totum continent veritatem ſine admiſtione alicuius falſitatis, non dubium, quin ſint à Spiritu Sancto, qui doctor & inſpirator eſt veritatis. *Quartum ſignum* eſt conformitas ad Sacram Scripturam, & Sanctorum doctrinam. *Quintum ſignum* eſt, quod perſona, cui revelationes factæ leguntur, approbatæ ſanctitatis eſt in EccleſiaDei. Hæc fidelitèr excerpta ſunt ex ijs, quæ citatus Cardinalis per quinque ſuæ Defenſionis capita ingenioſè protendit. *Eminētiſ. Turrecremat. ſup. Revel. S. Birgittæ.*

242 Ante applicationem horum, aliorumque ſignorum, ad firmandum piæ credibilitatis in his revelationibus expetitum aſſenſum, præmittendum cenſui, præcipuum in titulo quæſitum, totum Opus Myſticæ Civitatis Dei comprehendere; cum de omnibus in hiſce Libris contentis expreſsè aſſerat V. Author, eſſe ei Cœleſti lumine revelata. *Videatur 1 part. Introd. num. 1. in fine,* *Myſt. Civ. Dei, loc. hic. cit.*

 ne,

ne, & nu.4. & poſt Introd. à n.12. vſque ad 25. Et 2. part. n.678. à un.8. 725. 1513. Et 3. part. num 327. 621. 659. 782. 789. Hoc itaque præmiſſo: an piè credibilis ſit ex parte ſubjecti hæc V. Abbatiſſa ex doctrinis ſolidis inveſtigemus.

243 Et quidem, ſi primum ſignum ex quinque numeratis conferamus, ferè ad litteram, ſolo mutato nomine, ea quæ ſuper hoc ſigno in capite primo citati Prologi de Revelationibus S. Birgittæ ſcripta leguntur, de revelationibus V. Abbatiſſæ noſtræ recitantur. Ait enim Turrecremata cap.1. Prologi col.3. *Pro quo notandum, quod Revelationes iſtæ duplici tempore inveniuntur examinatæ, vivente ſcilicèt ipſa Beata Birgitta, ſecundo poſt mortem ejus. In vita quidem, nam cum ipſa levis non eſſet ad citò credendum, cum primo hujuſmodi Revelationes inciperet habere, mox Confeſſorem adijt.·. Dumquè exercitijs Sanctis à Directore ſuo diſpoſitis inſiſtens ſimilem iterùm Viſionem haberet, ipſa denuò conſilio Confeſſoris orationes & alia bona opera adauxit. Et tunc tertio ſimilitèr vidit nubem, & in nube ſimilitudinem Chriſti Filij Dei. Et audivit vocem: Mulier audi me, Ego ſum Deus tuus, qui tecum loqui volo, noli timere. Ego ſum omnium conditor, non deceptor. Non loquor tecum propter te ſolam, ſed propter ſalutem aliorum. Dum autem Revelationes hujuſmodi multiplicarentur, ipſa non contenta, Revelationes ipſas multis ſpiritualibus alijs Viris in omni ſcientia peritiſſimis revelare curavit.·. Demùm ſecundo poſt mortem datæ ſunt hujuſmodi Revelationes examini Sapientum Virorum.* Dixi, quod fere ad litteram, ſolo mutato nomine, hoc idem de Revelationibus V. Mariæ à Iesv veracitèr vſurpatur. Nam in primis Revelationes Myſticæ Civitatis Dei, duplici tempore inveniuntur examinatæ, vivente ſcilicèt ipſa V. Abbatiſſa, ſecundo poſt mortem ejus. In vita quidem, nam cum ipſa levis non eſſet ad citò credendum Revelationibus, cum primò huiuſmodi Revelationes inciperet habere, mox Confeſſorem adijt, vt ex Introductione ad 1. part. Myſticæ Civitatis Dei per totam comprobatur. Dumque orationibus & exercitijs ſanctis à Confeſſore ſuo diſpoſitis inſiſteret, audivit vocem Domini dicentem ſibi: *Mulier audi me, ego ſum Deus tuus, qui tecum loqui volo: Ego ſum veritas ſecura, ſanctitas certa, ſum potens, & ſapiens, & ſapientiæ emendator.·. Non loquor tecum propter te ſolam, ſed propter ſalutem aliorum.* Dum autem Revelationes huiuſmodi multiplicarentur,

Cardin. Turrecremat. in Prolog. ad Revel. S. Birgitt.

Myſt. Civ. Dei, 1. p. 1. par. Introd n.10. & poſt. Introd. n. 2. & 3.

Re-

Revelationes ipſas, ſecuritatis propriæ deſiderio; multis ſpiritualibus alijs Viris in omni ſcientia peritiſsimis revelare & manifeſtare non recuſavit: Qui ſuper his matura deliberatione & conſilio habito, eas non à deceptore ſpiritu, ſed à Spiritu Sancto procedere concorditèr concluſerunt, vt ſupra diximus n. 47. & etiam videri poteſt Illuſtriſsimus Samaniego in Relatione Vitæ V. Authoris §. 9. & 35. Demùm, ſecundò poſt mortem datæ ſunt huiuſmodi Revelationes examini rigidiſsimo Sapientum Virorum, de quo etiam ſupra tractavimus §. 7. huius Concertationis. Quibus inſpectis, & cum omni diligentia ſæpius tranſcurſis, attentèque lectis & intellectis, cum nihil in eis reperire potuerint improbum, falſum, aut ſuſpectum, vel Orthodoxæ Fidei noſtræ diſſonum; totum quidquid in eis continetur, vtì veritate conſpicuum, & ſanctitate præclarum, plenum, perlucidum, ac perfectum judicarunt: eſt igitur in his revelationibus primum probitatis ſignum. *Relat. Vitæ*, §. 9. *Supra* §. 7. *huius Concert.*

244. Circa ſecundum piè credibilitatis ſignum, ſumptum ex parte effectus, quem revelatio in animo, cui fit revelatio, efficit & operatur; etiam ſatis efficax ſumnitur argumentũ ad piè credendum, quod Revelationes noſtræ V. Abbatiſſæ fuerunt ei à Spiritu Sancto miniſtratæ. Multiplices enim effectus ſpiritualium virtutum ex hujuſmodi divino jubare Cœleſtium Revelationum in ejus animo conſurgebant, vtpotè virtus humilitatis profundæ, ſapor internæ dulcedinis, & flamma divini amoris. Humilitatis quidem, quoniam huiuſmodi revelationum Cœleſti lumine perfuſa, non extollebatur, ſed majori continuè profundabatur humilitate; ſub obedientia, regimine, & diſciplina Patris ſpiritualis vivebat, & omnia examini, judicio, & correctioni Spiritualium & Sapientum Virorum humilitèr ſubmittebat; vnde tantæ humilitatis effecta erat, vt peccatricem, & indignam talibus beneficijs ſe reputaret. Quanto enim altiori lumine, & copioſiori divinæ illuſtrationis ſplendore elevabatur, tanto profundioris humilitatis effecta, confitebatur Deum Patrem luminum, à quo omne datum optimum deſcendit, & omne donum perfectum, vt patet latiſsimè, tùm varijs in locis Myſticæ Civitatis Dei, tùm in Relatione Vitæ, & Proceſsibus citatis. Habemus igitur proprietate noſtra roboranda ſignum ſecundum. *Vid. Relat Vitæ per tot.* *Ibid. à* §. 8.

Supr. § 7. 245 De tertio ſigno, quod ad materiam rei revelatæ magis quam ad ſubjectum revelationem ſuſcipiens attinere videtur egimus in §. præterito.

246 De ſigno quarto, quanquam etiam ad materiam revelatam, & non ad perſonam revelationes ſuſcipientem pertineat, dicam nunc quæ a ſapientioribus & ſanctioribus nobis dicta reperio, ſcilicèt, in cuncta Scriptura Sacra loqui de Virgine Maria. Circa quod videantur S. Bonaventura, S. Ildephouſus, S. Germanus, & S. Bernardus, quorum authoritas ſupra retulimus num. 124. quibus venit ſuperaddendus Doct. P. Vega in Theolog. Mariana Paleſtr. 32. Certam. 5. per tot. vbi authoritate multorum SS. PP. perſuadet: *Quod Deipara eſt objectum in quod Sacra Scriptura collimat.* Et num. 938. ejuſdem Certaminis: *Quod omnia ornamenta, & Attributa, quæ à Scripturâ Chriſto conferuntur, Beatæ Virgini adaptantur.* Ex quibus hoc ſignum quartum noſtris revelationibus Myſticæ Civitatis Dei, poſito ſemèl, in eis nullam falſitatem reperiri, faciliùs applicari valebit.

S. Bonavent. & alij. P. Vega.

247 Signum quintum, videlicèt, quod perſona, cui revelationes factæ leguntur, approbatæ ſit ſanctitatis, magni ponderis eſt. Durantus tract. de Viſionibus fol. 192. col. 1. vocat regulam hanc, *ſignum primarium.* Et Dominus Sponſæ ſuæ dilectæ S. Birgittæ dixit: *Nulli amici mei deluſi ſunt, qui me dilexerunt ſapientèr, ſed illi qui ſuperbientes.* Et Epiſcopus Ildephonſus Gienenſis, conſiderans ſanctitatem B. Birgittę dicebat: *Quis enim talem vitam exiſtimabit ludibrijs patere Dæmonum, Chriſtumque tantæ impietatis audebit arguere, vt non tueretur in ſe ſperantem, & non ſe, ſed ipſum ex dilectionis ejus plenitudine glorificantem? Vel nunquid bonus Sponſus caſtam conjugem & fidelem exponit adulterio illudendam?* Et cap. 6. ejuſd. Prolog. ſivè Epiſt. ad Reges Domini col 3. ait: *Primum ſignum certiſsimum eſt, quod viſio ſit divina, quando ſcilicèt illa perſona viſiones videns eſt realitèr humilis, & vivit ſub obedientiâ continuâ alicuius Patris ſpiritualis.* Et infra eodem cap. fol. 272. col. 2. ait: *Eſt ſignum in bonum divinarum Revelationum, mors, & finis laudabilis & virtuoſus perſonæ videntis viſiones*; quoniam refert, in Patribus legi, illuſos, vel illudentes viſionibus falſis, vel in errores fatales cecidiſſe, vel ſubitanea & improviſa morte abſque Sacramentis Eccleſiæ finiſſe vitam. Et Hurtadus tom 1. reſol. moral. num. 965. omnia ad principium

Durant. S. Birgitt. lib 6. cap. 92. fol. 160. col. 1. med. Epiſcop. Gieneſ. in Prolog. ad lib. 8. S. Birgit. c. 1. fol 156 col. 2 & c. 3 ejuſd. Prolog.

hoc-

hoc reducit: *Bona vita, boni mores:: hac regula rectè examinatâ omnia conſonant*. Et Eminentiſsimus Cardinalis Laurea tom. 4. in 3. ſent. diſp. 20. num. 990. interrogat: *Si extaticus narret Viſiones, & Revelationes novas, an ſit ei credendum?* Et reſolvit: *Reſpondeo, ſi præcedant præfatæ conditiones de eo probatæ, viſiones illæ, ſeù revelationes, ſivè ſint de Dei magnalibus, perfectionibus, & cæteris ejuſmodi, ſivè de futuris contingentibus, dummodò Fidei, nec bonis moribus, aut Eccleſiæ decretis repugnent, & ad humilitatem, perfectionemque vitæ excitent, ac invitent, extatico credendum eſt, & earum Viſionum, ſeù revelationum communicatio miraculoſa cenſenda eſt, & à Deo ſupra vires naturæ facta*. Item Hurtadus tract. cit. num. 919. ait: *Quare hæc regula, vt diſcernas veras à falſis revelationibus mihi videtur ſatis prudens: ſi perſona revelationes continuas patiens ſe exerceat in omni virtutum genere, & ſit Patri ſpirituali ſubdita, cui communicet quidquid Deus, &c.* Et num. 947. ejuſdem tract. *Si enim adeſt vita bona, & converſatio honeſta, ſi adeſt in hiſtorijs aliquale exemplum, vel caſus ſimilis, non condemnent perſonam cum infamiâ publicâ, & magno dedecore Religionis Chriſtianæ, ſi apud fideles bonam opinionem ſanctitatis conſecuta eſt*. Urget ſignum ſi adeſt clarificatio miraculorum, circa quod Epiſcopus Gienenſis in Prologo ad Revelationes S. Birgittæ cap 6. fol. 273. ait: *Qui vſque ad mortem per Viſiones à Dæmone illuditur, dignus non eſt, vt poſt mortem divinis miraculis clarificetur*. Hinc Doctiſsimus Lezana in annotat. ad cap. 31. vitæ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, referens ſingulares & inauditos favores, quibus divina bonitas Sanctos & Sanctas honorare conſuevit, ait: *Nemo miretur, ſuppoſita ſanctitate perſonæ, &c.* Itaque ſeveriores PP. & rigidiores DD. in revelationum privatarum examine, dum revelationes vera humilitate ſanctitateque ſubjecti commitatas inveniunt, etiam ſi in eis aliqua difficilia reperiant, inter divinas aſcribere non offendunt.

P. Hurtadus. *Cardin. Laurea.* *Hurtad.* *Epiſcop. Gienenſ.* *Lezana.*

248 Quod in Venerabili Maria à Iesv reſplenduerint virtutes heroicæ; quod ejus fama ſanctitatis ab vſu rationis permanſerit vſque ad mortem, & vltra; quod ad huiuſmodi ſanctitatis famam ſecuta ſint ſigna & miracula; quod ad ſcribendam Sacratiſsimæ Virginis mirabilem vitam, in Libris Myſticæ Civitatis Dei contentam, Cœleſti & ſuperno fuerit lumine illuſtrata: hæc omnia ex Proceſsibus conſtant, Authoritate Ordinaria

Relat. Vitæ per tot. *Sum. Proceſſ. loco hic. cit.*

&

& Apoſtolica formatis; & videri poteſt Summarium fol.12. n.8. de virtutibus Servæ Dei: & fol. 69. & 80. de miraculis ante & poſt obitum: & fol. 1. & 84. de fama ſanctitatis poſt obitum: & fol.54. n 12. de morte pretioſa ipſius Servæ Dei.

249. Præterea, ſi de heroicitate virtutum & de benè fundata ſanctitatis fama huiuſce V. Servæ Dei voluerit aliquis rigidius efformare dictamen, legat priùs attentè, quæ in Relatione Vitæ ejuſdem V. Abbatiſſæ Illuſtriſsimus Samaniego, brevi, ſed maturo & cordato calamo conſcripſit: & ea poſtea cum ſequentibus annotationibus conferat. In primis ad dignoſcendam heroicitatem virtutum præ oculis eſt habendus ſtatus & conditio Servorum Dei, vt rectè admonet Scacch. *de Not. & ſignis ſanctitatis ſect.6. pag.*378 Proinde cum in præſenti agatur de perſona Religioſa, inquirenda ſunt geſta, huic ſtatui correſpondentia, vt ait idem Scacch. *ſect. dicta per tot. à pag* 436. *vſque ad* 449. Videat inſuper quæ ad heroicitatem virtutum in anima Religioſa exigit S. Bernardus *Serm. 9. in Cœna Domini poſt med. pag. mihi* 1340. *lit. M.* Cœterum intelligat, exquirendam non fore heroicitatem in omnibus & ſingulis actibus, imò nec in omnibus virtutibus; ſed ſat eſt, quod quilibet Servus Dei habeat aliquam virtutem, & præſertim charitatem, in gradu heroico, cœteras verò in gradu communi, vt Epheſ. 4. v.7. S.Hieroym. *tom.2. lib.1. adverſus Pelag.* Ideo Angelicus Doctor 1. 2. *q.* 66. *art.*2. *ad* 2. dicit, quod vnus Sanctus laudatur de vna virtute, alius de alia, quod etiam advertit Scacch. *cit ſect.6. pag.* 378 & Cardinalis Laurea *in 3. ſent. tom.2. diſp* 4. *art.*5. *pag.*50. *n* 84. Et S. Hieronymus relatus exiſtimat, id nunquam accidiſſe, vt in aliquo Sancto omnes virtutes fuerint in gradu heroico. Hinc venit, quod omnes viri Sancti non progrediuntur vna & eadem via ad virtutum apicem, juxta illud Chriſti: *In Domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, & Pſalm 24. *v.* 4. & S. Mariæ Magdalenę de Pazzis in ejus vita *part.* 4. *cap.*27. *pag.* 388. Ex hoc etiam, aliqui Servi Dei cautè ambulaverunt in propalandis virtutum actibus, alij liberiori ſpiritu ſolum Deum intendentes, non animadverterunt, quid homines dicturi eſſent, de quo videatur Cornel. à Lapide in Epiſt. S. Iacobi ſup. cap. 1. verſ.6. ibi: *Alij enim, &c.*

Relat. Vit. *Scacch.* *S. Bernar.* *Epheſ. 4. v. 7.* *S. Hierony* *Angel. D.* *Scacch.* *Laurea.* *S. Hierony* *Pſal. 24.* *S. Magd. de Pazzis* *Cornel. à Lap.*

250 Sciendum ſimilitèr, quod heroicitas virtutum conſide-

derari debet non ſolum in actibus exterioribus, ſed etiam in internis, vt ait S. Gregor. *Homil. 34. in Evang. tom. 3.* vbi probat, quomodo aliqui juſti elevati ſunt ad virtutes Angelorum, & Seraphin. S. Bernardus *de amore Dei.* S. Thomas *Opuſc. 61.* S. Theresia *in Caſtro Manſionum.* B. Ioannes à Cruce *in Flamma Divini Amoris,* & pleniſsimè P. Philippus à SS. Trinitate *in Summ. Theol. Myſt. p. 3. tract. 2. diſt. 2. 3. & 4.* Imò actus interni longè externis pretioſiores ſunt apud Deum, ex S. Bernardo *in Apolog.* & S. Laurentio Iuſtiniano *de diſciplin. & perfect. Monaſticæ converſat. cap. 23. pag. 205.* S. Greg. S. Bernar. S. Thomas S. Theres. B. Ioannes à Cruce. P. Philip. à SS. Trinit. S. Bernar.

251 Nec prætermittenda noticia, heroicitatem non conſiſtere, vt quidam opinantur, in operibus ſupererogationis, quãdoquidem certum eſt, perfectionem actuum primariò & eſſentialitèr ſiſtere in præceptis, ſecundariò verò, & inſtrumentalitèr in conſilijs, de quo Div. Thom. 2. 2. *quæſt. 184. art. 4. in corp.* Vnde obligatus ex voto ad conſilia tribus ex rationibus auget perfectionem & meritum, vt explicat ipſe Div. Thomàs *2. 2. quæſt. 88. art. 6. in corp.* Et ſunt majoris ponderis ex voto, quàm ſine illo, juxta ipſum Angelicum Doctorem *lib. 3. contra Gentes cap. 138. num. 1 verſ. Videtur autem, &c.* alias Martyrium in caſu neceſsitatis non diceretur heroicum, contra Div. Thom. *3. part. in ſupplement. q. 96. art. 6. ad 1.* quod priùs cõprobaverat *q. 124. art. 5. ad 1.* Etiam ſequeretur, quod S. Theresia nullos actus heroicos patraſſet, eo quod peculiari voto ſe obſtrinxerat agendi id ſemper quod perfectius agnoſceret: Heroicitas ergò nequaquam oritur ſolum ex actibus ſupererogationis, ſed & ex modo perfectiori operandi ſupra conſuetudinẽ cœterorum piorum hominum, vt ait Div. Thomas *part. 3. q. 7. art. 2. ad 2.* & hæc heroicitas in perſona Religioſa præcipuè ſpectanda eſt juxta exactam obſervationem Inſtituti, vt docet Scacch. *ſect. 6. pag. 438.* ſcilicèt ex eo quod in modo operandi tales actus Religionis excedat cæterorum conſuetudinem. S. Laurẽt. Iuſtin. Angel. D. Idem S. Thom. Idem. Idem. Scacch.

252 Circa tria ſigna præcipua heroicitatis videantur Kẽpis *de imit. Chriſti lib. 2. cap. 6.* Cornelius à Lapide *in Math. 23. v. 12.* Rodriguez *in exercit. ſpiritualibus part. 1. tract. 6. cap 16. & cap. 27.* Cardinalis Laurea *3. ſent. tom. 2. diſp. 38. art. 8. num. 156. 163. & alibi.* Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, vt inquit S. Antoninus in Summa *part. 4. tit. 7. c. 2. §. 7.* Kempis. Cornel. à Lap. Rodric. Laurea. S. Antonin.

P Hinc

253 Hinc ponderandum, quod ad inveniendam heroicitatem virtutum, præ oculis habenda ſunt quæ parva videntur in ſe, ſed magna ex ardore charitatis: Deus enim non de patrimonio, ſed de animo opus æſtimat, ait S. Cyprianus *lib. de opibus & eleemoſyna*. Et S. Baſilius in Mon.regim.37.cap.1. ait: *Animi promptitudo in rebus quantumcunque minimis accepta eſt Deo.* Et S. Paulinus Epiſt. 20. ad Amand. ſcribit: *Non ideo margarita vilis eſt, quia exigua; ſed ideo magis pretioſa, quia in exiguo nodo magnum pretiũ habet: ſic pauper Evangelij Vidua, &c.* Nam ex Apoſtoli ſententia: *Si voluntas prõpta eſt, ſecundum id quod habet accepta eſt.*

S. Cyprianus.
S. Baſilius
S. Paulinus.
Corint. 8. v. 12.

254 His igitur veræ heroicitatis penetrata natura, haud difficilè in V. Abbatiſſa noſtra Maria à Iesv, ejus Uita attentè perlecta (vel Proceſſu in ordine ad ſolemnem Canonizationem, ne pereant teſtimonia, Apoſtolica authoritate conſtructo, ſereno corde conſiderato) quibis poterit conjectare, vel comprobare potiùs heroicitatem virtutum, ſimùlque conſtantem ſanctitatis famam agnoſcere: ex quibus pia credibilitas deſiderata ex tot DD. ſententijs apprimè conſurgit & ſtabilitur.

§. IX.

PIA CREDIBILITAS, IN V. ABBATISſa quæſita, amplius roboratur.

255 EEminentiſsimus Cardinalis Bona lib. de diſcretione ſpirituum cap. 20. §. 3. num. 5. loquendo de Revelationibus Sanctæ Thereſiæ Virginis, hæc ait: *Spiritum igitur Thereſiæ bonum eſſe, & veras revelationes hæc ſigna demonſtrant.* Primo: *Semper timebat diabolicas illuſiones.* Secundo: *Nunquam Viſiones petijt, aut deſideravit.* Tertio: *Deum exorabat, vt eam duceret per viam conſuetam, hoc ſolum optans, vt fieret in ea divina voluntas.* Quarto: *Communicabat cum Viris Doctis, ne forte tacens deciperetur.* Quinto: *Suis Directoribus exactiſsimè obediebat.* Sexto: *Poſt Viſiones magis in charitate, ac humilitate proficiebat.* Septimo: *Libentius cum illis agebat, qui minus creduli, & magis timidi erant.* Octavo: *Eos magis amabat, à quibus perſecutiones* pa-

Alia ſigna ex Cardin. Bona.

patiebatur. Nono: *In ejus mente ſumma tranquillitas, & jucunditas erat, exuperans omnes mundi conſolationes.* Decimo: *Ab omni rerum terrenarum affectu erat prorsùs avulſa.* Vndecimo: *Tàm in proſperis, quàm in adverſis eandem animi tranquillitatem ſervabat.* Duodecimo: *Ardentiſsimus in ea zelus ſalutis animarum, puriſsimę cogitationes, magnus candor, & fervens deſiderium perfectionis.* Tertio decimo: *Si quæ in illa imperfectio, ſi quis defectus erat, de illo ſemper reprehendi ab eo ſolebat, qui intus illi loquebatur.* Quarto decimo: *Quicunque cum illa converſabantur, niſi prava diſpoſitio obſtaret, ad modeſtiam, ad pietatem, & ad amorem Dei ex ejus conſuetudine excitabantur.* Quinto decimo: *Viſiones vt plurimum ei contingebant poſt longam, & ferventem orationem, ſivè poſt Communionem; & in illa accendebatur ardentiſsimum deſiderium pro Deo patiendi.* Decimo ſexto: *Carnem ſuam jeiunijs, flagellis, cilicijs caſtigabat, & gaudebat in tribulationibus, murmurationibus, & infirmitatibus; ſolitudinem amabat.* Decimo ſeptimo: *Nihil vnquam in ipſius revelationibus; earumque adjunctis Viri Docti obſervarunt, quod à regulis Fidei, & Chriſtianæ perfectionis alienum eſſet: nec erat in illis quod poſſet reprehendi.* His ſignis ſtabilitis, concludit Cardinalis Bona hac ponderoſa ſententia: *Hæc ſigna ſi in aliquo deprehenſa fuerint, nullatenus dubitandum, quin ejus revelationes à Deo ſint.* Quæramus ergò, ſi in Venerabili Maria à Iesv de Agreda, in ejuſque revelationibus verificentur? Etenim *Obſervantiæ proximæ nimium deferendum eſt*, ait Cardinalis de Luca *tom. 3. de juriſdict. & Foro, diſcurſ.* 41. *num.* 12. & revelationes S. Thereſiæ proximiores ſunt his, de quibus fit examen in præſenti.

Eminētiſ. Bona.

Card. de Luca.

256 *Primum ſignum*, ſcilicèt, quod ſemper timebat diabolicas illuſiones, ſatis liquet, tùm in Relatione Vitæ V. Mariæ à Iesv, tùm & in Myſtica Civitate Dei, 1. part. Introd. num. 12. à lin. 1. & 2. part. Introd. num 8. & num 10. & 3. part. Introd. num 3. à lin. 4. & num. 8. & in Epiſt. Dedicat. quæ reperitur in fine 3. partis fol. 150. num. 15. à lin. 1.

Relat. Vit. §. 13.

257 *Secundum ſignum*, etiam videtur manifeſtum in V. Authore, 1. part Introd. num. 11. & poſt introductionem n. 634. à lin. 16. & num. 640. lin. 4. & 2. part. num. 904. à lin. 1. vbi ipſa docet, divinas viſiones nec deſiderandas fore in hac vita mortali, nec petendas.

Myſt Civ. Dei, locis hic citat.

258 *Tertium quoque ſignum* expreſsè legitur 1. part. Myſti-

Myſt. Civ. Dei, 1. & 2. part.

ex Civitatis Dei num. 750. & 2. part. Introd. num. 5. in fine & num. 385. vbi continetur, V. Authorem Deum exoraſſe, vt eam duceret per abditam & occultam viam ab oculis hominum, &c.

Myſt. Civ. Dei 1. & 3. part.

259 *Quartum ſignum*, de communicatione cū Viris Doctis, ne forte tacens deciperetur, videatur 1. part. n. 11. à lin. 10. & 3. part. num 791. à lin. 7.

Relat. Vit. §. 32.

260 *Quintum ſignum*, in exactiſsima obedientia Directoribus & Confeſſoribus ſuis petitum, vid. 1. part. Introd. n. 11. à lin. 4. & num. 13. obedientiâ Directoris ſcripſit, & obediētiâ Confeſſoris extraordinarij ſcripta combuſsit. Vid. 1. part. num. 324 circa fin. & 3. part. num. 791. à lin. 1.

Myſt. Civ. Dei, loco hic citat.

261 *Sextum ſignum*, in eo ſitum, quod poſt Viſiones magis in charitate, ac humilitate proficiebat, vid. 1. p. Introd. n. 16. circa med. & poſt Introd. num. 3. init. & num. 8. circa fin. & 2. part. num. 11. à lin. 11. & num. 12. lin. 6. & num. 58. 214. 745. & 3. part. Introd. num. 1. à lin. 16. & num 17. à lin. 15. & alibi paſsim in tribus Introductionibus, & ſæpeſępiùs in corp. totius Operis, vbi charitas, humilitas, patientia, ardor ſpiritus, volatus animæ, mundi deſpectus, cœterȩque virtutes in gradu heroico vel ſublimi videntur.

Myſt. Civ. Dei, 1. p.

262 *Signum ſeptimum* liquet, dum hæc V. Serva Dei Miniſtros illos potiùs optabat, quos minus credulos, magiſque timidos experiebatur, vt videri poteſt 1. part. num. 19. à lin. 30. & ex Proceſſu conſtat.

Relat. Vit. §. 7.

263 *Octavum ſignum* V. Authori applicatum inveniet, qui attentè legerit ſimul cum ejus relatione Vitæ, 1. part. nu. 706. & ſequentes, & 2. part. num. 710.

Myſt. Civ. Dei, hic cit.

264 *Nonum ſignum*, 1. part. num 15. à lin. 7. & 2. part. Introd. num. 12. à lin. 3. & 3. part. Introd. num 4. poſt medium; & in Epiſtola Dedicatoria in fine 3. partis impreſſa num. 16. à lin 9. reperietur comprobatum.

Myſt. Civ. Dei, trib. part.

265 *Decimum ſignum*, ſcilicèt, quod ab omni rerum terrenarum affectu erat avulſa, vid. 1. part. Introd. num. 16. à lin. 15. & poſt Introd. num. 9. & 227. & 2. part. num. 69. 199. 465. 581. & 3. part. num. 757.

Myſt. Civ. Dei, 1 & 2. part.

266 *Vndecimum ſignum*: Tàm in proſperis, quàm in adverſis eandem animi tranquillitatem ſervabat; vid. 1. part. n 722. & 2. part. num. 710.

Duo-

267 *Duodecimum ſignum* conſtat apertiſsimè ex relatione Vitæ citata, & etiam ex Divina Hiſtoria varijs in locis, præcipuè 1. part. num. 20. & 3. part. Introd. num. 8. 15. 16. 23. & poſt Introd. num. 672. *Relat. Vit.* §. 30.

268 *Tertium decimum ſignum*, vid. 3. part. num. 18. vbi ait: *Siempre me dà vozes,* (divina lux) *y amoneſta en mi ſecreto con fuerça poderoſa, para que obre lo mas ſanto, y puro, enſeñandomelo en todo: y ſi falto aun en lo mas pequeño, me reprehende ſin diſimular coſa alguna.* *Myſt. Civ. Dei,* 1. p.

269 *Quartum decimum ſignum*, in eo ſitum, quod quicunque ejus converſatione, niſi prava obſtaret diſpoſitio, ad modeſtiam, ad pietatem, & ad amorem Dei excitabantur, conſtat ex Proceſſu ordinario authoritate firmato, & ex Relatione Vitę. *Relat Vit.* §. 38.

270 *Quintum decimum ſignum*, videatur applicatum pluribus in locis Divinæ Hiſtoriæ, præcipuè 1. part. Introd. num. 14. & in Relatione Vitæ §. 8. & 27. *Relat. Vit.* §. 8.

271 *Decimum ſextum ſignum*, in pœnitentijs, jejunijs, flagellis, & cilicijs, quibus carnem ſuam domabat, & in gaudio de tribulationibus, murmurationibus, & infirmitatibus poſitum, locum habet in V. Authore, juxta ea quæ de ipſa leguntur in Proceſſu citato, & in Relatione Vitæ, §. 7. 11. & 20. *Relat. Vitæ* §. 7. *& alibi.*

272 *Decimum ſeptimum ſignum*, reſplendet in Divina Hiſtoria toties à Sapientiſsimis Viris, Inſignibus Theologis, Epiſcopis Diœceſanis ipſius V. Servæ Dei, & alijs Hiſpaniarum Doctiſſimis extra Seraphicam Religionem examinata; de quo jam ſupra. *Relat Vit.* §. 35.

273 His omnibus aliud celebre ſuperadditur ſignum, & validum argumentum, in eo poſitum, quòd ipſa Venerabilis Author, omnia quæ in Libris Myſticæ Civitatis Dei continentur, ſcripſerit propria manu, manuque propria totum Opus proprio nomine firmaverit, aſſeverans, revelata fore cuncta, quæ in hiſce Libris obedientia duce, & luce comite conſcripſerat, vt videre eſt 1. part. num. 24. 264 & 2. part. num. 678. & 1180. & 3. part. num. 672. & alibi. *Aliud ſignum.*

274 Magiſter Leo in Epiſtola ſuper Revelationes S. Thereſiæ in initio Vitæ ipſius Sanctæ collocata, ait: *Quanquam omnes, quæ dicuntur Revelationes S. Thereſiæ à Iesv videantur veræ, præcipuè tamen illæ, quas ipſa ſua manu propria ſcriptas reliquit, de qua* *M. Leo.*

in-

incredibile ſit, vel illuſſam fuiſſe, vel illudere voluiſſe. Eandem facit ponderationem P. Thomàs Hurtado reſol. 54. nu. 797. *Vt de Beata Thereſia à Ieſv* (inquit) *ſaltem illas teneamus revelationes, quas ipſa ſcripſit in ſua Vita.*

P. Hurtado.

Eminētiſ. Capiſuccus. Card. Baronius.

275 Eminentiſsimus Cardinalis Capiſucco in ſelect. controverſ. 7. quæſt. vnic. §. 2. cum Cardinali Baronio ſentit, nōnullas revelationes aliquarum Servarum Dei haud fore credendas, quoniam non credit, ab eiſdem ſcriptas remanſiſſe: *Nec fiat vt credam* (ait Capiſuc.) *quid hujuſmodi Sanctiſsimis Fœminis revelatum, vel ab ipſis eſſe conſcriptum, ſed tantum ipſarum nomine ab alijs promulgatum.* Et controv. 27. fol. 699. ait: *Quoad revelationes Divæ Birgittæ dicendum, illas, & nonnullas aliàs potiùs irrepſiſſe in veras revelationes Divæ Birgittæ, quam originalitèr ab illa ſcriptas credendum eſſe.* Ex quo liquet, firmam feciſſe regulam erga illas revelationes, quæ manu propria ipſius Sanctæ ſcriptæ remanſerint.

Galat. 6.

Angel. D.

276 Argumentum hoc ita efficax apparet, vt & Apoſtolus Paulus eo vſus ſit, dum ad Galatas ſcribens, dixit: *Videte qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu.* Quod ſic commentatus eſt Angelicus Doctor: *Sciendum, quod conſuetudo erat apud hæreticos depravandi & falſificandi Sripturas Canonicas, necnon permiſcendi aliqua eorum, quæ hæreſim ſapiant: propter hoc conſuetudo fuit ab Apoſtolo ſervata, quod quando aliqua contra eos ſcribebat, in fine litteræ aliqua ſcriberet, vt depravari non poſſet, & ita innoteſceret eis de ejus conſcientia proceſsiſſe. Et ſecundum hunc modum hæc ab iſto loco ſcripſit Paulus manu propria, vt ſcilicèt prædicta firmius teneatis.* Et Nicolaus de Lyra: *Vt Galatæ certi eſſent, quod præſens Epiſtola eſſet Pauli, ſcripſit manu propria.* Et Eſtius in Biblia Maxima: *Vt nulla vobis poſsit eſſe ſuſpicio, ne alienæ pro meis litteræ vobis obtrudantur.*

Nicol. Lyrenſ.

Eſtius.

Suſpicio purgata.

277 Cùm igitur manifeſtum ſit, imò & evidentèr conſtet, V. Mariam à Ieſv de Agreda, haud ſolum manu propia firmatos, quinimò totalitèr à primo vſque ad vltimum, octo Libros Myſticæ Civitatis Dei, tribus Tomis comprehenſos, propria manu reliquerit ſcriptos: hinc tollitur ſuſpitionis occaſio, ne alienæ & falſæ pro veris & proprijs ipſius U. Servæ Dei ſint in hiſce Libris revelationes intruſſæ. Hoc firmitèr & abſque vlia dubitatione ſtabilito, ſcilicèt, omnia quæ in Libris Myſticæ Ci-

vi-

vitatis Dei continentur, abſque periculo intruſionis alienæ mẽtis, ſolius ſunt Venerabilis Abbatiſſæ, crebrò afferentis revelata fore, reddimus ad ſupradicta de pia credibilitate ei debita propter ejus famam ſanctitatis, aliaque vrgentiſsima ſigna haud brevi calamo etiam ſupra relata.

§. X.

OCCVRRITVR OPPOSITORVM INSTANTIJS, & pia credibilitas expetita amplius ſtabilitur.

278 IN oppoſitum dices 1. Revelationes particulares & privatas vt in plurimum fore ſuſpectas: Ergo, &c. Reſp. antecedens, ſic eſſe, vt ait Pater Hurtado tom. 1. reſol. moral. tract. 5. cap. 6. §. 12. num. 981. vbi dicit: *Vix fuit vlla revelatio facta alicui perſonæ particulari, de qua non fuerit aliqua ſuſpicio, an fuerit divina, &c.* Conſequentia tamen non ſequitur, aliàs vrgeret argumentum contra omnes revelationes privatas & particulares, valeretque contra Revelationes S. Birgittæ, S. Hildegardis, S. Catharinæ Senenſis, S. Thereſiæ, & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quod abſit: Regulam igitur tenendam ab Apoſtolo diſcamus dicente: *Nolite omni ſpiritui credere: Prophetias nolite ſpernere. Omnia autem probate: quod bonum eſt tenete*: quod expoſitum ſupra relinquimus. *P Hurtado.* *1. Theſal. 5. v. 21.*

279 Dices 2. Quanquam Revelationes particulares vt in plurimum ſint de deceptione ſuſpectæ, præcipuè tamen quæ mulieribus factæ referuntur, vt variis eruditionibus & exemplaribus oſtendit Philamarinus de divinis Revelationibus *tract.* 1 *cap.* 3. *per totum, ſingulariter ſect.* 1. *à num.* 1. Ergo, &c. *Philamarinus.*

280 Reſp. Aſſumptum antecedentis verum eſſe, & ab Authore V. conceditur 1. *part. num.* 617. *& alibi.* Fatemur enim, mulieribus non ſtatim credendum in revelationibus, de quo Cãcellarius Pariſienſis Alphab. 18. litt. L. vbi ait: *Sequitur altera cautela, vt caveant qui dati ſunt in regimen, ne approbent idiotas, ac ſine litteris mulierculas, Gregorius XI. teſtis ſuit idoneus, ſed* *Myſt. Civ. Dei, 1. p.* *Gerſon.* *Greg. XI.*

tar-

tardus nimis: Hic poſitus in extremis habens in manibus Sacrum Chriſti Corpus, proteſtatus eſt coram omnibus, vt caverent ab hominibus ſivè viris, ſivè mulieribus, ſub ſpecie Religionis loquentibus viſiones ſui capitis, quia per tales ipſe ſeductus, dimiſſo ſuorum rationabili conſilio, ſe traxerat & Eccleſiam ad diſcrimen Schiſmatis imminentis, niſi miſericors provideret Sponſus Iesvs, quod horrendus vſque huc nimis patefecit eventus. Hæc Gerſon: Non ſtatim igitur credendum revelationibus privatis & particularibus.

281. Præterea certum eſt, quod mulieres citius falluntur in revelationibus; nam teſte Ariſtotele *lib. 9. de hiſtoria animalium, cap* 1. Mulier anxia eſt, ac mendatior quam Mas, quin etiam facilior decipi. Et hoc ex triplici capite oriri ſolet, vt docet Simanchas de catholicis inſtitutionibus *cap. 21. num.* 25. Primo, quia fœminæ naturæ humidioris, ac viſcoſioris ſunt, quam viri: humidum vero facilè commovetur, ideo mulieres aptiores ſunt ad figuras, & impreſsiones ſuſcipiendas. Secundo, mulieres minus prudentes ſunt, quamobrem cum figurantur eis vanæ ſpecies, & falſæ apparitiones, minorem habent conſtantiam ad reſiſtendum. Tertio, quia mulieres magis quam viri affectibus abundant, vt Ariſtoteles tradit lib. de ſomno & vigilia: *Paſſionibus ad modicam ſimilitudinem moventur, & facilè credunt, id eſſe verum, quod ſic apparet.* Quod non ignorantes dæmones, frequentius fœminis, quam viris, vanas & illuſorias revelationes ſuggerunt. Sic Bartholomęus Sybilla *in ſpeculo peregrin. quæſt. decalis* 1. *cap.* 8. *quæſt.* 2. Delrius *lib.* 4. *diſquiſit. magic. cap* 1. *quæſt.* 3. *ſect.* 3. Gravina *lib. ad diſcernendas veras à falſis revelationibus part* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. Raphaël de la Torre *de Relig to* 2. *quæſt.* 95. *art.* 3. *diſp.* 3. Ioan. Alberghinus *in manual. qualific. cap.* 41. *num.* 7.

Ariſtoteles. Simancas. Ariſtot. Sybilla. Delrius. Grauina. La Torre. Alberg.

Eccleſ. 7. 282 Fatemur inſuper de mulieribus quod & Salomòn *Eccleſ.* 7. *v.* 29 tantis imperfectionibus plenas eſſe, quod ſi inter mille viros vîx reperitur vnus, ſapientia & ratione ditatus, de fœminis dicam quod & ſapiens. (Sacratiſsima Virgo Maria nô continetur ſub regula communi.) Verba Sacri Textus ſunt hæc: *Luſtravi vniverſa animo meo, vt ſcirem, & conſiderarem, & quærerem ſapientiam & rationem: & inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor ejus, vincula ſunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator eſt,*

capietur ab illa. Ecce hoc inveni, dixit Eccleſiaſtes, vnum & alterum, vt invenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inveni. Virum reperi vnum de mille, mulierem ex omnibus non inveni. Nec diſcordat V. Author, imò ipſum affirmat 3. part. num. 314 à lin. 8. his verbis: *Dixo Salomòn, que anduvo inquiriendo la verdad, y la razon entre los hombres, y de los Varones hallò vno entre mil que la alcançaba; pero de las mugeres ninguna. Son tan pocas las que tienen el juyzio conſtante, y recto por ſu natural fragilidad, que por orden comun de ninguna ſe preſume; y ſi ay algunas, no hazen numero, &c.* Omitto alias innumeras, tùm SS. PP. tùm & Philoſophorum ſententias circa idem prolatas. Videatur tamen, ſi ad digreſsionem placuerit, Ariſtoteles *lib. 9. de hiſtoria animalium, cap. 1.* Orpheus apud Clementem Alexandrinum *lib 6. ſtromatum.* Terentius *in Hecyra*, Homerus, & Menander apud Philamar. *tract. 2. diſc. 5. à num. 66.* Myſt. Civ. Dei, 3. p. Ariſtot. Orpheus. Philamarin.

283 His tamen non obſtantibus, reſolvendum ad ſolutionem argumenti; aliud eſſe, revelationes eſſe magis ſuſpectas, & ideo magis examinandas; & aliud, revelationes eſſe magis ſuſpectas, & ideo abſque vllo examine reprobandas. Primum, verum eſt; ſecundum verò, falſum, Apoſtolo diſſonum, & SS. PP. doctrinis minimè conforme. Mulieres erant S. Birgitta, S. Hildegardis, & aliæ ſupra relatæ, quarum revelationes, eo quia mulierum, haud ita fuerunt ſuſpectæ, vt abſque vllo examine fuerint deſpectæ. Nec diſparitas allegánda, quod mulieres iſtæ, ſanctæ ſunt, & ab Eccleſia canonizatæ; Author autem Myſticæ Civitatis Dei ſanctificata publicè non eſt. Ratio non vrget, cum earundem revelationes, nec deſpectæ, nec reprobatæ fuerint, dum canonizatæ non erant. *Mulieri datum eſt* (ait Ambroſ. Catharinus lib. 3. fol. mihi 238) *vt contereret Satanæ caput, & mulierculis dignatus eſt ſe oſtendere Dominus, cum ſurrexiſſet à mortuis.* Mulieri revelatum eſt Myſterium Immaculatæ Conceptionis, ſcilicèt S. Birgittæ lib. 1. cap. 9. & lib. 5. revel. 2. poſt interrog. 16. & lib. 6 cap. 49. & Serm. Angel. cap. 10. & orat. 1. & Nativitas Dominæ noſtræ quomodo ordinata fuit per revelationem vnius fœminæ, ait Cancellarius Pariſienſis *part. 1 Serm. de Conceptione.* Item Ancilla Chriſti Beatrix de Sylva, Luſitana, revelationem habuit de inſtituenda Religione in honorem Imma- Ambroſ. Catharin. S. Birgit. V. Beatrix de Sylva.

maculatæ Conceptionis, vt refert R. P. Fr. Vincentius Iuſtinianus Ord. Prædicatorum *tract. pro Immac. Concept.* §. 4. Omnes iſtæ revelationes, aliæque permultæ mulieribus factæ ſunt: núm ex hoc abſque vllo examine damnatæ ſunt? Falſa igitur eſt conſequentia: revelatio mulieri facta eſt: ergo jam ex hoc abſque vllo alio examine falſa eſt? Non dices. Nec ſine expoſitione manet ſententia Salomonis *in Commentar. paſsim videnda.* Cautela itidem Gregorij XI. æſtimabilis eſt, verum ex ipſa generalitate, *vt caverent*, ait, *ab hominibus, ſivè viris, ſivè mulieribus, &c.* liquet intelligentia, dum non ſolum fœminas, ſed & Viros admonet præcavendos.

284 Dices 3. Viſiones & revelationes non faciunt hominē ſanctum, vt ait Seraphicus Doctor, *de Perfect. Religioſor. c.* 18. & Author ipſa 1. *part. à num.* 613. Non ergo benè arguitur veritas viſionum & revelationum ex ſanctitate ſubjecti. Reſp. neg. conſequentiam in ſenſu relato §. 8. Nam licèt talia dona ſupernaturalia non faciant hominem ſanctum, maximè tamen conferunt, cum appareant conceſſa intuitu earumdem virtutum, vt teſtatur S. Athanaſius lib. de Virginitate poſt init. ibi: *Vnde homines, &c.*

S. Bonavētura.

S. Athanaſius.

285 Dices 4. Ut virtutes Authoris, ejuſque opinio & fama ſanctitatis ſtabiliantur, allegantur extaſes & raptus; ſed ex his haud apprimè inferuntur: Ergo, &c. Min. ſuadetur, nam dari poſſunt extaſes etiam naturalitèr, de quo notabilem caſum refert S. Auguſtinus *lib.* 14. *de Civitate Dei cap.* 24. & annuunt S. Franciſcus Saleſius *tract. de amore Dei tom.* 3. *part.* 2. *cap.* 6. Arauxo *quæſt.* 23. §. 3. *num.* 56. *&* 59. vbi ex Ariſtotele refert Platoni accidiſſe. Præterea ex imaginatione provenire poſſunt, & non excedunt modum naturalem, imò evenit, huiuſmodi extaticos plura loqui in exceſſu mentis de his quæ antea viderant, vel cogitaverant, S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 173. *art.* 3. *in corp.* Et maximè ſapiunt naturalitatem quando illas extaſes patiens fatetur, vel aliunde conſtat, ſe facilè pati, Durant. de revelationibus S. Birgittæ *cap.* 3. *pag.* 56. *col.* 2. *&* *c.* 11. *pag.* 183. *col.* 2. *in fine.* Martinus Delrio *diſquiſit. magic. lib.* 2. *q.* 25. & Cardinalis Bona *de diſcret. ſpirit. c.* 14. § 4. *pag.* 116. *&* *c.* 15. §. 1. *n.* 1. *pag.* 118. Deinde ex conatibus ad reſiſtendum magis arguitur extaſis naturalis, & hoc patet, quoniam divina extaſis repentino impetu

S. Auguſt.

Arauxo.

Angel. D.

Durant.

Delrio.

Car. Bona.

ra-

rapit, quin maneat potentia ad reſiſtendum, vt ait Dyoniſ. Cartuſ. de diſcret. ſpirit. art. 18. verſ. *Etenim in momento, &c.* & Cardin. Bona dict. cap. 14. ſub §. 2. verſ. *Reſiſtere raptui, &c.* Item Extaſes & raptus contingere poſſunt ope Dœmonis, vt monet Apoſtolus 2. *Cor. cap.* 11. & Sanctus Auguſtinus *de Civitate Dei, lib.* 19. *cap.* 9. Sanctus Gregorius Papa *lib.* 4. *Dialog. cap.* 48. *in fine, & lib.* 33. *moral. cap.* 22. Cyrillus Hieroſolymit. quem refert Coquęus. S. Franciſcus Saleſsius *vbi ſup. cap.* 5. & 6. Aliud exemplum refert Valgornera. Et S. Vincentius Ferrer *lib. Vitæ Spiritualis, cap.* 12. cenſuit, quod major pars raptuum ſui temporis erant opus Dœmonis. Poſtmodùm, ex vi ingentis morbi poſſe contingere extaſim, plenè cum medicis probat Eminentiſsimus Laurea *in* 3. *ſent. tom.* 4. *diſp.* 20. *art.* 23. *ſub num.* 13. Ergo, &c. His accedit, quod nonnunquã inter Religioſas circa virtutes & extaſes Authoris inventæ ſunt opiniones diverſæ, præcipuè in initio exterioritatũ, vt patet ex Relat. Vitæ §. 7. ſed hæc omnia ſuſpicioné inducunt: Ergo, &c.

Dyoniſ. Cartuſ. *2. Cor.* 11. *S. Auguſt.* *S. Greg.* *Cyrillus.* *Saleſſ.* *Valgorn.* *S. Vicent. Ferr.*

286 Reſpondeo igitur in primis, negando majorem, ſi de cauſa totali & adæquata loquatur argumentum. Etenim inter ſigna ſanctitatis V. Authoris etiam extaſes & raptus enumeravimus, haud verò vſurpantur tanquam adæquata probatio. Negari non valet, quod talia dona ſupernaturalia maximè conferunt, cum appareant conceſſa intuitu earumdem virtutum; vt diximus cum S. Athanaſio. Cœterùm & quod vtiles ſunt extaſes & raptus ad virtutes augendas, ait Cardinalis Turrecremata in Prolog. revel. S. Birgittæ cap. 2. ibi: *Amplius autem ſecũdum ſignum, &c.* Alphonſus Solitarius Epiſcopus Gienenſis *in Epiſt. ad Reges Domini cap.* 6. *pag.* 272. Conſalvus Durantus *tract. de Viſionibus cap.* 11. & Cardin. Bona *de diſcret. ſpirit. cap.* 24. §. 5. *num.* 7. prǽterquam quod ex Prophetia non exiguus fulgor adijcitur heroicitati virtutum, vt fert D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 177. *art.* 4. *in corp.* & Chriſtus Ioann. 15. v. 15. Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo nota feci vobis.

Turrecremat. *Epiſc. Gienеſ.* *Durant.* *Car. Bona.* *Angel. D.* *Ioann.* 15.

287 Prætere, ad probationes minoris reſpondentes per ordinem, dicimus ad primum, dari poſſe extaſes naturales; hoc tamen, nec ſola frequentia extaſum non ſuadet in caſu particulari à natura provenire, de quo videantur Paulus Zacchias *quæſt.*

Paul. Zacchias.

Meonolegal. lib. 4. quaſt. 6 art. 5. num. vltim. Eminentiſsimus Laurea *in 3. ſent. diſp. 20. de miraculis art. 23. ſub. nu. 936. pag.* 608. Etenim, ſi ex ſola frequentia raptuum improbari poſſent, ſpernendi forent tot & tanti mirabiles raptus, quos habuerunt S. Hildegardis, S. Birgitta, S. Catharina Senenſis, S. Thereſia, S. Maria Magdalena de Pazzis, S. Philippus Nerius, S. Petrus de Alcantara, & alij Sancti. Vid. P. Philippus Maria à S. Paulo, qui fuit Sac. Rit. Congreg. Conſultor, de ſacris apparitionibus in carne B. Ioannis à Cruce cap. 6. pag. 49. & latius P. Thomas Hurtado tom. 1. reſol. moral. tract. 5. cap. 6. §. 12. à num. 119. ibi: *Miror quoſdam hoc ſignum appoſuiſſe, &c.* & S. Laurentius Iuſtinianus *de diſciplina & perfect. Monaſtica converſat. cap. 23. pag. 205.*

Laurea. *P. Philip. Maria.* *Hurtado.* *S. Laurēt. Iuſtin.*

288 Extaticum inſuper plura loqui in exceſſu mentis de his quæ antea viderat, vel cogitaverat, non arguit extaſim oriri ſemper ex vehementi imaginatione, S. Thomas 2. 2. *quæſt. 133. art. 2. in corp.* Eminentiſsimus Laurea *in 3. ſent. tom. 4. diſp. 20. de mirac. art. 23. pag. 616. ſub num. 990.* Durant. *de revel. S. Birgittæ cap. 3. pag. 56. col. 1. in fine.* Delrius *diſquiſit. magic. lib. 2. quæſt. 25. pag. 168.* Cardinalis Bona *de diſcret. ſpirit. cap. 14. num. 7.* vbi ait: *Nullum certius indicium extaſis veræ & ſpiritualis, quam quod mores eius qui rapitur, cum hoc divino munere conſentiant.*

Angel. D. *Durant.* *Delrius.* *Car Bona.*

289 Neque ex conatibus ad reſiſtendum arguitur extaſis naturalis, de quo videatur S. Thereſia *in Vita cap. 20 latiuſque cap. 30.* & in Manſionibus, *manſion. 6. cap. 5. pag. 282.*

290 Nec convincit illuſsionem, quod nonnunquam inter Religioſas fuerint opiniones diverſæ. De Chriſto, deque ejus operibus diverſi diverſimodè opinabantur, *alij dicebant eſſe Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis... alij dicebant quia bonus eſt, alij quia non, ſed ſeducit turbas.* Item S. Hildegardis *lib. 2. fol. 295.* de ſe inquit: *Tunc antiquus deceptor per multas irriſiones me excribavit, ita quod multi dixerunt: Quid eſt hoc, quod huic ſtultæ & indoctæ fœminæ tot myſteria revelantur, vbi multi fortes & ſapientes viri ſunt? De revelationibus admirabantur, vtrum à Deo eſſent, an de iniquitate, ac reorū ſpirituum, qui multos ſeducunt.* Circa hoc videantur etiam S. Birgitta *lib. 6. revel. cap. 100.* S. Thereſia *in Vita cap. 13. col. 2. med.*

S. Hildelgardis.

med. ibi: *Creo que eſtas perſonas ſerran cinquenta, &c.* & cap. 28. pag. 106. col. 1. in fine. Imò varietas hæc diverſarum opinionũ ſignum eſt, quod à Deo procedunt, vt ait Illuſtriſ. Alphonſus Solitarius Epiſcopus Gienenſis in Epiſtola ad Reges Domini poſt revel. S. Birgittæ cap. 6. pag. mihi 272. col. 2. ibi: *Certum ſignum eſt, quod hæc à Deo ſint, &c.*

291 Geſta Servorum Dei non cenſoria virga, ſed pietate ſunt expendenda. Seraphicus Patriarca noſter, morti propinquus, mulierem fecit in clauſuram introduci, ſcilicèt V. Dominam Iacobam à ſeptem Solijs. Quid his ſæculis nequam diceremus de hoc? Aliud igitur judicium de factis hominum communium licet eformare, & aliud de geſtis Servorum Dei, quorum virtutes in gradu heroico cum ſupernaturalium donorum ſplendore, & Virorum Sanctorum plauſu refulgent. Pietate, vita talium perſcrutanda eſt, ait Cardinalis Turrecremata in Prolog. Defenſ. Revelat. S. Birgittæ cap. 4. in fine. S. Auguſtinus Confeſſ. lib. 9. cap. 13. ſub. init. loquens de SS. Matre Monica dixit: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam.* Nicolaus Lancic. Opuſc. ſpirit. tom. 1. cap. 8. Alienæ ergo debent eſſe à nobis rigidæ Cenſuræ, dum videmus, vel audimus à Viris pietatis ſtudioſis dici, vel fieri aliqua, noſtro guſtui & palato injucunda. Interpretemur piè omnia; nam ſicut, teſte Ariſtotele in Topic. *Multa falſa ſunt probabiliora veris*: Ita multa nobis videntur reprehenſione digna, quæ tamen ſunt Supremo Iudici valdè accepta. Aliqqui timendum occurrit, ne illã Chriſti Domini reprehenſionem incurramus, quæ habetur, & videri poteſt, in revelationibus S. Birgittæ lib. 4. cap. 72. *Vix enim aliquod ſit tàm purè, quin poſsit ab aliquo ſiniſtrè interpretari, quaſi malè fiat*, vt ait S. Bonaventura in Apolog. quæſt. 9. Hoc vitio laborabant Doctores Iudæorum, vt ait V. Veda lib. 4. cap. 48. in cap. 11. Lucæ. Idcircò in trutinandis factis Servorũ Dei totus vitæ complexus, & ſingulæ eorum circunſtantiæ ſpectari debeant, vt docet S. Ioannes Chriſoſtomus tom. 4. Homil. 16 in Epiſt. ad Roman. ibi: *Quemadmodum circuncidantem Paulum, &c.*

Chronic. Seraph. — *Turrecremat.* — *S. Auguſt.* — *Nicol. Lãcic.* — *Ariſtot.* — *S. Birgitt.* — *S. Bonavẽtura.* — *V. Veda.* — *S. Ioann. Chriſoſt.*

292 Demùm, extaſes & raptus poſſe contingere ope Dœmonis, non convincit non accidiſſe de facto ope divina, vt latè probant Divus Thomas, S. Vincentius Ferrer, Eminentiſ. Laurea,

rea, Cardin. Turrecremata, Magiſter Mathias de Suetia, Conſalvus Durantus, S. Birgitta, & S. Thereſia à Ieſu, locis ſupra citatis in hoc Certamine nu. 209. Conſimilitèr reſpondetur ad illud, quod extaſes evenire poſsint ex morbo, nam ex eo non ſequitur, Authoris raptus ex morbo proceſsiſſe.

Bonifacius Bagat. 293 Neque quod extaſes & raptus in publico patiantur illuſsionem convincit, vt ait Bonifacius Bagatta in admirandis Orbis Chriſtiani tom. 2. lib. 2. cap. 3. §. 6. & lib. 3. cap. 3. §. 8. Videatur Vita mirabilis S. Philippi Nerij, qui certo tempore paſsim rapiebatur. Et Extaticus B. Ægidius Serahpici P. N. S. Franciſci fideliſsimus Socius coram Summo Pontifice in extaſim mirabilem raptus eſt. Atteatè quoque legantur Hiſtoriæ S. Birgittæ, S. Lutgardæ, S. Getrudis, Metildis, Liduinæ, Catharinæ Senenſis, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, &c. Intolerabile tormentum, quod V. Author paſſa eſt in publicitate ſuorum raptuum indicatur ab ipſa in Libris Myſticæ Civitatis Dei 1. part. num. 13. & 14.

294 Signum illud ſuſpectarum extaſum, ſcilicèt, dum illarum prætextu non explentur functiones & obligationes ex Inſtituto Religionis injunctæ, locum non habet in Venerabili Abbatiſſa noſtra, de qua legitur, & comprobatum eſt, occaſione raptuum ſuorum nunquam Religioſis communitatibus defuiſſe. Verum neque in alijs ſervis Dei ob id ſolum damnandi ſunt raptus, vt eruditè probat Palladius *ſect.* 17. *de S. Macbario.* Hericus Harphius *lib.* 2. *Theol. Myſt. part.* 3. *cap.* 37. Exemplar adeſt in Seraphica M. noſtra Clara Aſiſsia. In S. Petro de Alcãtara, vt legitur in ejus Vita *lib.* 3. *cap.* 19. In S. Maria Magdalena de Pazzis, in ejus Vita à P. Lezana conſcripta *cap.* 35. In S. Hildegardæ, Bozius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 12. *num.* 12. *fol.* 38. Dyoniſius Carthuſ. *de diſcernendis ſpiritibus art.* 23. *ad med. pag.* 230. Durant. *tract. de Viſionibus cap.* 3. Adeſque aliud celeberrimum exemplar in noſtris Chronicis 1. part.

Pallad. Henric. Harph. Lezana. Bozius. Durant.

S. Auguſt. 295 Dices 5. Augetur illuſionis ſuſpicio ex eo quod tot & tantæ Revelationes, & Viſiones non habent aliud teſtimonium niſi ſolius Authoris; pluraque dixit, quæ præſeferunt laudem ſui ipſius, ex quo etiam oritur ſuſpicio illuſionis, juxta S. Auguſtinum de Civitate Dei lib. 5. cap. 20. in fine, ibi: *Nam eorum virtus, &c.* Item videtur laudis propriæ cupida ſuas reve-

la-

lationes patefaciens, & de facto occaſione ſuarum extaſum, revelationum, & viſionum, magnum plauſum hominũ conſequuta eſt; vt conſtat ex Relatione Vitæ §. 17. & 29. ſed hæc omnia ſuſpecta ſunt: Ergo, &c. *Relat Vit.*

296 Dicendum ad primum, quod multa nobis nota ſunt, quæ niſi ex relatione ipſorum Servorum Dei ſciri non poſſent, & in talibus viris non cadit ſuſpicio illuſionis, neque mendacij. Quapropter Scriptura Sacra fidem præbet Iudithæ de ſe referenti, quæ fecerat in cubiculo Olofernis. Item in Concilio Niceno 2. art. 4. plena fides exhibita reperitur Hiſtoriæ S. Mariæ Ægypciacæ à Paulo Diacono ſcriptæ, vbi multa leguntur, quæ Abbas Zoſimus retulit ex ſola narratione ipſius Sanctæ, vt prodit Cardinalis Baronius, *Annal. tom. 7. anno Chriſti 235. pag. 10.* Vnde item quæſo compertum eſt, quod Seraphicus P. N. Franciſcus *vidit quaſi ſpeciem vnius Seraphin ſex alas tàm fulgidas, quàm ignitas habentem, &c.* niſi ex ore ipſius Sancti? Vnde ſcimus, quod S. Catharina Senenſis *vidit Dominum Crucifixum magno cũ lumine advenientem, &c.* niſi ipſa Sancta revelante Confeſſario ſuo Raymundo? Vnde novimus, quod S. Thereſia *tanto divini amoris incendio cor ejus conflagravit, vt merito viderit Angelum ignito jaculo ſibi præcordia transverberantem, &c.* niſi hoc ipſum Sancta eadem aperuiſſet? Nec oblivioni tradendum, quod quãdo hi & alij Sancti talia & cœtera miranda manifeſtarunt, eorum Sanctitas ab Eccleſia probata nequaquam erat. Uſurpare poſſumus verba Sulpicij Severi in Vit. S. Martini ſub num. 25. vbi ait: *Hoc ita geſtum, ex ipſius Martini ore cognovi, ne quis fortè exiſtimet fabuloſum.* *Concil. Niceno.* *Ab. Zoſim* *Baronius.* *In Feſt. S. Catharinę Sen. lect. 5* *S. Thereſ.* *Sulpicius.*

297 Præterea, licèt iſtæ revelationes non habeant aliud teſtimonium, niſi ſolius Servæ Dei, firmam tamen regulam per myſticos traditam ſequuta eſt, dum notitiam hujuſmodi chariſmatum ſemper ad Confeſſarios, & Diſcretores ſpirituum deduci curaverit, & per eos ſerio examine perpendi & probari, juxta illud Apoſtoli: *Omnia probatè, &c.* ſuper quibus verbis ſubnectit Cardinalis Bona tract. de diſcret. ſpirit. cap. 1. num. 11. *Hæc autem probatio tunc legitima eſſe cenſetur, cum ſedulum de re propoſita examen inſtituitur, atque omnis motio ad Superiorem, ac peritiorem iudicem refertur.* *Car. Bona.*

298 Cœterum, materia ſubjecta, præciſsè in ſolius recipien-

pientis revelationes eſt firmanda teſtimonio, hocque ſufficit quādo aliàs bona fama concurrit, & dictum comprobat vitæ tenor. Ratio vrget, nam cum hujuſmodi abſcondita beneficia inter ſolam animam ſolumque Deum, ſivè Angelum ejus revelantem abſque alijs teſtibus exequantur, juxta illud Oſeæ 2. v. 14. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* & Iob 4. v. 12. *Ad me dictum eſt verbum abſconditum, &c.* alieno carent teſtimonio. Favent S. Dyoniſius *de divinis nominibus*. S. Ioannes Chriſoſtomus *in cap. 2. Iſaiæ.* Hugo de S. Victore *lib. 4. de Noe & Arca, cap. 4.* S Bonaventura *de ſeptem itineribus diſt. 2. de verb. Itin.* vbi ait: *Fides adhibenda eſt viro virtutibus ornato Viſiones referenti.* Laurẹa *in 3. ſent. tom. 4. diſp. 20. de mirac. art. 23. num. 990. & art. 25. §. 3. num. 1106.* eſtque praxis Sac. Cong. Rit. vt videtur exemplaribus in S. Catharina, S. Franciſca Romana, & alijs.

(Margin: Oſeæ 2. Iob. 4. S. Dyoniſ. S. Bonav. Laurẹa.)

299 Ad illud quod obijcitur, videlicèt, plura Authorem dixiſſe in hiſce Libris, quæ præſeferunt laudem ſui ipſius, dicendum, venit, dicta & geſta Servorum Dei non eſſe in malam partem accipienda, vt ait S. Catharina Seneſis Orat. 16. & S. Thereſia in ſentent. Ioſeph Patriarcha ſomnia ſua referebat, Geneſ. 37. à v. 5. Moyſes de ſe ſcribit, & ait: *Erat Moyſes vir mitiſsimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra.* Num. 12. v. 3. David Pſalm. 130. de ſemetipſo dicebat: *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, &c.* Iob ſimilitèr, cap. 29. v. 15. *Oculus fui cęco, & pes claudo. Pater eram pauperum, &c.* Sancta Vxor Tobiæ 3. v. 16. de ſemetipſa dicebat: *Tu ſcis Domine, quia nunquam concupivi virum, & mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia. Nūquam cum ludentibus miſcui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere, &c.* Et placuit oratio ſua cum hac laude propria, vt patet verſ. 24. ejuſdem capitis, vbi dicitur: *Exauditæ ſunt preces, &c.* Eſter cap. 14. v. 15. ait etiam de ſe ipſa: *Noſti Domine, quia oderim gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircuncíſorum, quod abominer ſignum ſuperbiæ, &c.* Item Nehemias 2. Eſdr. 5. v. 19. de ſe ait: *Memento mei Deus meus in bonum ſecundum omnia, quæ feci populo huic.* Et in novo Teſtamento Marci 5. v. 19. Cum aſcenderet Dominus navim,

(Margin: S. Cathar. Senenſ. S. Thereſ. Geneſ. 37. Numer. 12 Iob. 29. Tob. 3. Eſter 14. 2. Eſdr. 5.)

cœpit illum deprecari, qui à Dæmonio vexatus fuerat, vt eſſet cum illo, & non admiſit eum, ſed ait illi: *Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui*: & certum eſt, quod in hoc non quærebat vt homo gloriam propriam, ipſo dicente: *Ego non quæro gloriam meam.* Item Magiſtra humilitatis Luc. 1. v. 48. ait de ſemetipſa: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, &c.* Item Apoſtolus Paulus quamplura ſcripſit, ex quibus ejuſdem gloria & commendatio reſultat. 1. Cor. 9. v. 27. ait: *Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſalvos.* Et 2. Corint. 11. v. 5. *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis. Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia, &c.* Et 2. ad Timotheum 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, &c.* & infra v. 17. *Dominus autem mihi aſſtitit, & confortavit me, &c.* Et ad Coloſenſ. 1. v. 24. *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti, &c.* Et compertum eſt, quod hi omnes non peccaverunt hæc dicendo, ſed meruerunt, vt probat Abulenſis *in Paralip. cap. 17. quæſt. 17. & 4. Reg. quæſt. 7.* & S. Antoninus Florent. *in Summa part. 2. tit. 4. cap. 4.*

Luca 1.

1. Cor. 9.

Abulenſ.
S. Antoni.

301 Præterea ad alios Sanctos exemplaria protendentes, S. Antonius Abbas dixit, ſe vidiſſe inter Angelorum catervas Paulum fulgentem. Sulpicius Severus in Vita S. Martini c. 24. refert, quod ipſe Sanctus Martinus Viſiones & Prophetias ſuas Diſcipulis ſuis propalabat. In Epiſtolis item SS. Hieronymi, Auguſtini, & Chriſoſtomi plura paſſim leguntur quæ juxta corticem verborum ſonant in laudem propriam. Ne autem abſque neceſsitate authoritates & exemplaria cumulemus, citationes ſequentes, prout opus fuerit, videndas & recognoſcendas offerimus, quæ de aſſumpta propoſitione loquuntur. Abulenſis *in Math. 6. quæſt. 6.* S. Gregorius *in Moralibus lib. 8. cap 7*, ibi: *Fit vero aliquando, &c.* S. Laurentius Iuſtinianus de perfect. gradib. cap. 1. pag. 1112. ibi: *Congruum & valde oportunum, &c.* Item S. Gregorius lib. 18. in c. 27. Iob ibi: *More ergo ſui Creatoris, &c.* P. Lancic. Ieſuita *Opuſc. to. 1. opuſc. 8. c. 10. pag 603. & pag. 606.* S. Ioannes Chriſoſtomus *ſuper ſomnia Ioſeph.* S. Dorotheus Ser. 6. ibi: *Contigit plerunque, &c.* Item S. Laurentius Iuſtinianus de

Sever. Sulp.

S. Gregor.
S. Laurēt. Iuſtin.

P. Lancic.
S. Ioann. Chriſoſt.

inſtitut. & regimine Prælat. cap 12. ibi: *Omnes qui ambulant in veritate, &c.* Item Abulenſis *in 3. Reg. cap.* 18. *v.* 13. S. Antoninus in Summa part. 2. tit. 4. cap. 1. de inani gloria, ibi: *Viri perfecti, &c.* & cap. 4. de jactantia §. 1. *pag.* 183. Mendoza *in Viridar. lib. 3. problem.* 17. S. Dyoniſius Areopagita Epiſt. 10. ibi: *Sum plane dignus, &c.* S. Ephren. cap. 3. Teſtamenti ſui, ibi: *Nullo modo in vita mea, &c.* Seraphicus noſter Patriarcha in ſuo Teſtamento, ibi: *Nemo oſtendebat mihi, quid deberem facere, ſed ipſe Altiſsimus revelavit mihi, &c.* S. Ioannes Climacus *grad.* 14. *collat.* 7. Palladius in Lauſiaca *cap.* 10. *de Pambo Abbate.* Item S. Gregorius Papa *tom.* 4. *lib* 2. *in dict* 11. *Epiſt.* 52. S. Bernardus Serm. 74. ſup. Cant. ibi: *Fateor & mihi, &c.* S. Dominicus loquens ad ſuos, *vid. Ioannem Flamineum in illius Vita lib.* 3. *pag.* 68. ibi: *En Fratres chariſsimi, &c.* Cornel. à Lapid. *in Encom. Sacr. Script. ante Comment. in Geneſim pag.* 11. *col.* 2. *num.* 43. *v. Hac puritas, &c.* Villegas *in Vita S. Lutgardæ cap.* 16. S. Vincentius Ferrer dixit, ſe eſſe Angelum Apocalypſis, *vid. in vita ſua.* S. Ignatius de Loyola de ſe dixit: *Si Sacræ Litteræ non ſtarent, &c. vid. lect.* 4. *ſui Officij.* P. Baccius in Vita S. Philippi Nerij *lib.* 2. *cap.* 5. *pag.* 124. *num.* 8. S. Thereſia *Epiſt.* 8. *pag.* 35. *& cap.* 33. *Vitæ, & cap.* 27. S. Ludovicus Beltrandus *lib.* 2. *Vitæ cap.* 3. *& cap.* 11. S. Laurentius Iuſtinianus *in lign. Vitæ de ſpe cap.* 5. *pag.* 77. & in faſciſculo divini amoris *cap* 16 *pag.* 406. Non quærit gloriam propriam, qui injurias non ſentit, ait ipſe S. Laurentius Iuſtin. *in ligno Vitæ de Humilitate cap* 5. Præterea non raro accidit inſtinctu divino, vt talia juſti loquantur, vt tenet P. Nicolaus Lancic. tom. 1. opuſc. 8. cap 10. ibi: *Ego ſanè exiſtimo, &c.* Quibus omnibus favet Magnus Aurelius tract 8. in Epiſt. 1. Ioannis, ibi: *Nunquid voluit dicere, &c.* Authoritates integras omiſi, ne aſſumptum vltra modum abſque neceſsitate protenderem; videri tamen poſſunt, ſi placuerit, ſignatis in locis.

Mendoza. S. Dyoniſ. Areopag. S. Ioannes Climac. Cornel. à Lap. S. Vincẽt. Ferr. S. Thereſ. S. Ludov. Beltrand. S. Laurẽt. Iuſtin. Nicol. Lãcic. S. Auguſt.

302 Neque roborat ſuſpicionem prætenſam, illud quod in argumenti calce ſuperadditur, ſcilicet, U. Authorem occaſione revelationum extaſiumque ſuarum, magnum plauſum hominum fuiſſe conſecutam. Patet hoc, nam ſæpeſæpius Dei famuli velint nolint plauſum hominum conſequuntur ob centuplum, etiam in hac vita à Deo promiſſum, vt latè probat Iacobus Alvarez de Pax tom. 2. de vita ſpirituali lib. 5 part. 1. cap. 12. & circa idem

vi-

videri poſſunt Caſsianus *collat.* 24. *cap.* 26. S. Thomas 2. 2. *q.* 132. *art.* 1. *ad* 2. ibi: *Gloria quæ habetur à Deo, &c.* S. Getrudis *in inſinuatione divinæ pietatis lib.* 4. *cap* 35. colloquio ipſius Sanctæ cum Deo, ibi: *Eia cur permittis Domine, &c.* Quid enim illo, ſi etiam in terris & in vita mortali eum Dominus voluerit honorare? Temerarium eſt, terminum præfigere Deo: hunc humiliat, & hunc exaltat, & ſicut Domino placet, ita fit. Laudem propriã, plauſumque hominum quærere, malum eſt; in laudibus autem hominum humilitatem cordis ſervare, hoc Sanctorum eſt, & vtrumque docet Magnus Aurelius in argumento citatus. *Caſsianus.* *S. Getrud.*

§. XI.

ALIUD ARGUMENTUM PRINCIpale diſolvitur, & pia credibilitas deſiderata ex ſolutione roboratur.

303 DICES vltimo. Aliquando ex vſu prophetandi aliqua ex ſuo ſpiritu loquuntur Prohetæ, vt ait S. Gregorius Homil. 1. in Ezeq. ibi: *Aliquando Prophetæ, &c.* ergo & concesſo gratis, Authorem fuiſſe Prophetam, non ex eo probatur, omnia in Libris Myſticæ Civitatis Dei conſcripta ex verâ eſſe dictâ prophetiâ. *Confirmatur argumentum* ex ſæpè repetito timore illuſionis, quo crucifixa fatetur ipſamet Author pluribus in locis, præcipuè 1. part. Introd. num. 5. 11. & 12. & poſt Introd. num. 13. ſed timor hujuſmodi ſecuritatem divinæ lucis excludit: Ergo, &c. *Confirmatur ſecundo*: Quanquam plura in Myſtica Civitate Dei reperta divinam lucem redoleant, alia tamen inveniuntur, quæ Directorum intruſam manum non levitèr oſtendunt, ea videlicèt, quæ Scholaſticas Opiniones in partem Seraphicæ Religionis revelatas invenimus; ſed hæc illuſionem ſaltem humanam ſubinferunt: Ergo, &c. *Confirmatur tertio*: Tot & tantæ revelationes diminutam divinam Providentiam erga Eccleſiam ſuam dilectam anterioribus ſæculis condemnãt; ſed hæc eſt temeritas maxima: Ergo, &c. *Myſt. Civ. 1. part.*

304 Ad primum, fatemur abſque controverſia, inter inſtinctum & lumen propheticum, magnum reperiri diſcrimen.

Nonnunquam cum inſtinctu compatitur illuſio paſsiva, ſecùs cũ
S.Gregor. lumine prophetico, eo modo, quo ab ipſo S. Gregorio declaratur loco in argumento citato. Ad ſolutionem autem devenientes, dicendum eſt, Venerab. Abbatiſſam, non ex inſtinctu relato, ſed ex lumine prophetico, quæ in Myſtica Civitate Dei ſcripta reliquit, retuliſſe. Hoc probemus. S.Gregorius Homil.1. in Ezech. ait ſic: *Aliquando Prophetæ Sancti, dum conſuluntur, ex magno vſu prophetandi quædam ex ſuo ſpiritu proferunt, & ſe hæc ex prophetiæ ſpiritu dicere ſuſpicantur: ſed quia Sancti ſunt, per Sanctum Spiritum citius correcti, ab eo quæ vera ſunt audiunt, & ſemetipſos quia falſa dixerunt repræhendunt.* Quibus in verbis ſubtilitèr notavit Caietanus 2. 2. quæſt. 172. art. 5. verbum illud, *ſuſpicantur*, valdè fore obſervandum, nam non dicit, *ſciunt, ſe loqui ex prophetiæ ſpiritu*, ſed, *ſuſpicantur*, quaſi incerti manentes. Verba
Caietan. Eminentiſsimi Caietani ſunt hæc: *Prophetæ Sancti quando incerti ſunt de inſtinctu, non credunt; ſed ſuſpicantur, divinum eſſe inſtinctum, ita quod in ſola ſuſpicione falluntur.* Qui ergo loquitur ex inſtinctu, illuſioni paſsivæ ſubjecto, ex vna parte non ſcit, ſed ſuſpicatur ſe loqui ex prophetiæ ſpiritu; & ex alia, ſi verè Sanctus eſt Proheta, à Spiritu Sancto corripitur, & cognita fraude, ſivè illuſione, ſe ipſum reprehendit ipſe Propheta. Ex his arguo ſic; ſed Venerabilis Abbatiſſa in omnibus Libris Myſticæ Civitatis Dei actuali lumine ſuperno ſecluſa tali ſuſpicione procedebat, & aliàs nunquam eſt à Spiritu Sancto de illuſione paſſiva correcta: Ergo, &c.

305 Minor ſubſumpta quoad primam partem ſuadetur ex ipſa V. Authore 2. part. num. 1513. vbi debita humilitate cordis fatetur, ſupernam lucem ſibi renovari ad quodlibet ſcribendum Myſterium in particulari. Hiſpana verba ſunt hæc: *Deſde*
Myſt.Civ. Dei, 2. p. *que el muy Alto me declarò ſu voluntad, de que eſcriviesſe eſta Hiſtoria, y me intimò mandato para executarlo repetidiſsimas vezes, y en el dilatado tiempo, y largos años que han paſſado, me ha manifeſtado ſu Mageſtad diverſos Miſterios:* & paulò infra: *Para eſcrivirlo ſe me renueva la luz por otro modo de cada Miſterio en particular. Las inteligencias de todos han ſido ordinariamente en los dias feſtivos de Chriſto nueſtro Salvador, y de la gran Reyna del Cielo, &c.* Id autem, de quo ſuperno lumine non erat edocta, ſilentio commendabat, ita vt nihil ſcriberet,

ret, niſi divina luce comite, & præcepto Domini præeunte, vt ſatis liquet pluribus in locis ejuſdem Myſticæ Civitatis Dei, præcipuè 3. part. num. 782. à lin. 16. vbi ait: *Otras coſas que ſe refieren del tranſito, y Reſurreccion de Maria Santiſsima no ſe me han manifeſtado, y aſsi no las eſcrivo; ni en toda eſta divina Hiſtoria he tenido mas eleccion que dezir lo que ſe me ha enſeñado, &c.* Præterea de certitudine divinæ lucis V. Abbatiſſæ conceſſa videri poſſunt teſtimonia 1. part. num. 15 à lin. 10. num. 22. à lin. 6. num. 23. à lin. 13. num. 24. à lin. 26. nu. 265. à lin 8. & 2. part. Introd. n. 13. lin. 2. & poſt. Introd. n 678. à lin. 25. num. 1514. lin. 1. & lin. 12. num. 1115. à lin. 20. & 3. part. num. 620. in fine, num. 621. à lin. 6. & in Epiſt. Dedicat. in fine 3. part. num. 16. à lin. 18 Præterquam quod nec ad nos attinet modum Viſionum examinare, juxta ſententiam S. Ioannis Chriſoſtomi in cap. 2. Iſaiæ, vbi ait: *Quæ viderũt Prophetæ, quenam pacto viderint, non eſt noſtræ facultatis exprimere, &c.* Et V. Alphonſus Epiſcopus Gienenſis in Prologo ad lib. 8. S. Birgittæ cap. 4 cum Lectore loquens ait: *Ad primum igitur dico, quod tibi poſſunt de modo quo ipſa Viſiones videbat certificari, non ſolum per mea, ſed etiam per verba ipſiuſmet Beatæ Birgittæ, quæ in pluribus capitulis librorum hec ipſa humilitèr ſatis clarè notificat:* ſtandum eſt ergo teſtimonijs ipſius V. Servæ Dei, quæ videri ſe offerunt 1. part. lib. 1. cap. 2. à nu. 12. vſque ad n. 25. proderitque Prologum Galeatum Illuſtriſsimi Samaniego attentè perlegere num. 76. & 77. Si enim U. Author ex vſu prophetandi, & non actuali luce aliquando conſcriberet, profectò non ſic, & abſque vlla ſuſpicione teſtaretur, ſupernam lucem ſibi renovari ad quodlibet ſcribendum Myſterium in particulari: non igitur ex inſtinctu in argumento relato, ſed ex lumine prophetico conſcripſit omnia quæ in Myſtica Civitate Dei continentur.

Ibid. 3. p.

Ibid. loc. hic cit.

S. Ioann. Chriſoſt.

Samaniego in Prolog. Galeat.

306 Eadem minor ſubſumpta quoad ſecundam partem haut minori fundamento probatur. Diximus cum S. Gregorio, quod dum Prophetæ Sancti ex magno vſu prophetandi, aliqua ex ſuo ſpiritu proferunt; quoniam Sancti ſunt, à Spiritu Sancto citò corriguntur; & ſemetipſos, quia falſa dixerunt, reprehendunt; ſed Venerabilis Author cunctos Libros Myſticæ Civitatis Dei manu propria conſcripſit, nomine proprio firmavit, & vt à Deo revelatos vſque ad finem vitæ retinuit, quin nec ſe

ip-

ipſam in hoc de falſitate, vel de illuſione paſiva reprehenderet, nec à Spiritu Sancto correptam demonſtraret, vt ſupra probavimus à n. 273. Ergo, &c. Conſequentia præmit, ſi pium de ſanctitate V. Authoris conceptum non adimimus. *Nec enim decet condemnare perſonam cum infamia publica*, vt inſinuat Hurtadus num. 947 cum *nemo immemor ſalutis ſuæ præſumatur*, ex l. fin. C. ad Juliam repet. & cap. ſancimus 1. q. 7 Præterea hac dimiſſa pietate erga V. Authorem, dicere teneremur, fuiſſe mulierem iniquiſsimam, & deceptorem diabolicam, prout in alio vel ſimili caſu dixit P. Aloyſius de Leone tom. 1. pag. mihi 307. col. 2. Abſit tamen hoc.

Hurtado. l. fin C. ad Iul.

307 Ad primam confirmationem argumenti fatemur ſimiliter, V. Authorem timore illuſionis fuiſſe crucifixã; verum quid ex hoc? Decipi timuit: ergo ex eo probatur, fuiſſe deceptam? Dicis, ſaltem probari, non fuiſſe de divina luce ſecuram. Labor eſt ante nos. Fuit de divina luce ſecura, & decipi timuit: quomodo autem fuerit iſtud? Audiamus ipſam, ætatem habet, & ipſa de ſe loquetur. Prima parte Myſticæ Civitatis Dei num. 15. à lin. 10. expreſsè ait, divinam lucem dubitationem nullam relinquere: *Se conoce al Señor con tanta claridad, y certeza, que no dexa duda de lo que ſe entiende. Pero primero, y mejor ſe conoce ſer Dios el que eſtà preſente, que ſe entienda todo lo que ſu Mageſtad habla.* Idem aſſerit num. 23. ejuſdem 1. partis & alibi ſæpè. Quomodò autem certitudo divinæ lucis dubitationem auferat, & timorem illuſionis relinquat? Hoc eſt punctum difficultatis, ſolutioque duplici via paratur. Dicendum igitur, timorem illuſionis vel intelligendum eſſe ſimul cum certitudine divinæ lucis reſpectu diverſorum, vel in ſenſu diviſo certitudinis divinæ lucis. Vtrumque locum habet in Authore Venerabili. Illuſionem pertimeſcebat, non in illa divina luce, cujus ſecuritatem experiebatur, ſed in alijs viſionibus & revelationis ætate currente minus ſecuris. Illuſionem inſuper pertimeſcebat, dum à ſphæra illius certiſsimæ divinæ lucis deſcendebat. Verba jam ipſis V. Abbatiſſæ conſulamus 3. parte Myſticæ Civitatis Dei in Introductione num. 15. vbi ait: *En todo el diſcurſo de mi vida me ha exercitado el Altiſsimo con algunos trabajos. Pero creciendo los años, creciò tambien el padecer con otro nuevo exercicio. Eſte ha ſido el temor que muchas vezes he inſinuado*

Myſt Civ. Dei, 1.p.

Ibid. 3.p.

en

en eſta Hiſtoria.: *Puſome el Señor en eſta Cruz, ò en eſta prenſa el coraçon, temiendo ſi iba por buen camino, ſi ſeria engañada, ſi perderia la gracia, y amiſtad de Dios.*. *Y lo que mas es, aunque los Angeles, y la Reyna del Cielo, y el miſmo Señor me quietavan, y ſoſegavan*, nunc adverte, *y en ſu preſencia me ſentia libre; pero en ſaliendo de la esfera de aquella luz divina, luego era combatida de nuevo, &c.* In his vtramque viam ſolutionis attende: timorem ſcilicèt illuſionis, non reſpectu illius divinæ lucis, ſed reſpectu periculorum emergentium vſque ad finem vitæ, *ſi ſeria engañada, ſi perderia*, in poſterum intellige, *la gracia, y amiſtad de Dios, &c.* Cœterum timor illuſionis non in ſenſu compoſito certitudinis divinæ lucis, ſed in ſenſu diviſo venit intelligendus, quod expreſsè liquet in illis verbis: *En ſaliendo de la esfera de aquella luz divina.* Nec obſunt verba illa, *ſi iba por buen camino*, nam hoc pertimeſcebat, non in ſphera divinæ lucis, ibi enim libera quieſcebat, *en ſu preſencia me veia libre*, ſcilicèt in præſentia Dei actualitèr illuminantis, ſed extra ſpheram ipſius divinæ lucis, & extra actualem illuminationem ſupernam, occultata luce.

308 Nec incomprehenſibilis fiet Myſticis & Sapientibus hujuſmodi alternativa illuminationis & confuſsionis, ſecuritatis & dubitationis, manſionis pacis & timoris pro diverſis temporibus. Ad hoc enim faciunt verba illa Sacra: *Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum.* Item & alia: *Avertente autem te faciem turbabuntur*; & alia: *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus*; aliaque ſimilia. Neque hoc ignorant experti, qui abſentias divinas pati noverunt. *Iob* 7. *v.* 18. *Pſal.* 103. *v.* 29. *Pſalm.* 29. *v.* 8.

309 Quoniam vero totum caput 4. lib. 1 Revelationum S. Birgittæ nobis prodeſt ad diverſa, ſed præcipuè & in primis ad timorem componendum cum revelatione divina, illud integrè tranſcribam, ait ſic: *Ego ſum Creator tuus Redemptor: Quare timuiſti de verbis meis? Et cur cogitaſti, de quo ſpiritu eſſent, de bono an de malo? Dic mihi, quid inveniſti in verbis meis, quod conſcientia tua non dictabat tibi faciendum? Aut nunquid aliquid præcepi tibi contra rationem? Ad quæ Sponſa reſpondit. Nequaquam, ſed omnia illa ſunt vera, & ego malè erravi. Reſpondit Spiritus, ſeu Sponſus. Ego præcepi tibi tria, ex quibus tu poſſes cognoſcere ſpiritum bonum. Præcepi tibi honorare Deum tuum: fidem tenere rectam: & dili-* *S. Birgit. lib.* 1.

ligere continentiam rationabilem omnium rerum. Sic etiam per tria iſtis contraria poteſt cognoſcere ſpiritum immundum. Propterea præcepi tibi, ſemper diſcutere conſcientiam tuam, & ſapientibus ſpiritualibus aperire eam. Propterea non dubites, tunc ſpiritum Dei bonum eſſe tecum, cum nihil aliud deſideraveris niſi Deum, & de eo tota inflammaris. Hoc ego ſolus poſſum facere, & impoſsibile eſt Diabolo appropinquare tibi. Sed nec alicui malo homini poteſt appropinquare, niſi permittatur à me, vel propter peccata, vel propter aliquod occultum judicium mihi cognitum, quia ipſe creatura mea eſt, ſicut alia omnia, & à me bonus factus eſt, ſed malitia ſua malus eſt,
Nota. *& ideo ego ſum Dominus ſuper eum. Ideo aliqui imputant mihi falſam culpam, qui dicunt, quod illi qui mihi ſerviunt ex nimia devotione, dicuntur inſanire, & habere Dæmonium. Ipſi ſimilem me faciunt homini, qui caſtam habens vxorem, & in virum ſuum bene cōfidentem, ſupponit eam adultero. Talis ego eſſem, ſi hominem juſtum habentem ad me charitatis animum, dimitterem dæmoni tradi. Sed quia fidelis ſum, in nullius mihi devotè ſervientis anima dominabitur dæmon. Licèt autem quandoque amici mei quaſi amentes videntur, hoc tamen non eſt propter paſsionem dæmonij, nec quia ſerviunt mi ex fervente devotione, ſed propter defectum cerebri, vel propter aliam occultam cauſam, quæ eſt illis ad humiliationem eorum. Poteſt etiam fieri quandoque, quod diabolus accipit poteſtatem à me ſuper carnem bonorum hominum, ad eorum remunerationem. Aut quod obumbret conſcientias eorum, ſed in animas eorum, qui in me habent fidem, & dilectionem, nunquam poteſt dominari.* Omiſi aliqua verba, brebitatis cauſa.

310 Nunc autem & authoritate relata ſolum præciſſa ad punctum noſtrum reſumentes, quidquid dicatur de timore S. Birgittæ cum vera revelatione compoſito, dicemus & nos. Nec fuit
Myſt. Civ. V. Author ſine correctione relicta ob nimium timorem, vt vi-
Dei, 3. p. deri licet 3. part. num. 553. 556. & 641.

311 Poſtmodum, vt exuverantius de timoribus & dubitationibus his, in perſonis aliàs divinitùs illuminatis, ſatis & pluſquā ſatis quieſcere poſsit nimis ſcrupuloſus, citationes ſequentes re-
S. Laurēt. cognoſcendas offerimus. S. Laurentius Iuſtinianus in ligno vitæ,
Iuſtin. de humilitate cap. 1. pag 102. ibi: *Hæc virtus omnibus neceſſaria*
Prov. 28. *eſt, &c.* Textus ille Sacer: *Beatus vir qui ſemper eſt pavidus.* P.
v. 14. Philipp. à SS. Trinit. *Theolog. Myſtic. tract. 2. diſc. 2. art. 3.* S. The-

re-

reſia in vita *cap.* 23. *pag. mihi* 84. *& cap.* 25. *pag.* 94. *& c.* 26. *& cap.* 29. *pag.* 106. & in Itinere perfectionis *cap.* 39. *&* 40. Uideturque P. Alvarez in defenſione S. Thereſiæ. S. Birgitta *lib.* 1. *ſuarum revelationum cap.* 32. *fol* 66. *col.* 2. *circa fin. & cap.* 54. *fol.* 119. *col.* 2. *init. & lib.* 2. *cap.* 16. *col.* 2. *lin.* 12. *& cap.* 28. *per tot. & lib* 4. *cap.* 14. *fol.* 341. *col.* 2. S. Maria Magdalena de Pazzis *lib.* 3. *cap.* 20. *fol.* 63. *col.* 2. S. Getrudis 1. *part. lib.* 1. *de inſinuatione divinæ pietatis cap.* 4. *fol.* 13. *col.* 2. *& cap.* 15. *fol* 60. *col.* 1. *per tot. & fol.* 61. *col.* 2. *&* 2. *part. lib.* 4. *cap.* 2. *fol.* 22. *& cap.* 14. *fol.* 116. Quomodocunque igitur in his privatis revelationibus dubitationes & timores cum certitudine divinæ lucis componantur, pro nobis erit. *S. Thereſ.* *S. Birgitt.* *S. Getrud.*

312 Vt autem ſingularis ingenuitas Venerab. Authoris clariſsimè tibi pateat, adverte, quomodo ipſa fatetur expreſsè, in electione terminorum ad ſupernas intelligentias explicandas errare potuiſſe, & quando: ait ſic: *Muchas vezes me ſucede, que el Señor me dà la inteligencia, y luz, y la Virgen Santiſsima la declara, y los Angeles me dàn los terminos. Otras vezes (y lo mas ordinario) lo haze todo el Señor, y me enſeña la doctrina: otras lo haze la Reyna, dandolo ella todo; y otras los Angeles: y tambien ſuelen darme la inteligencia ſola, y los terminos para declararme, los tomo yo de lo que tengo entendido. Y en eſto podria errar, ſi lo permitieſſe el Señor, &c.* Obſervandum vero, primo, intelligentiam in omni caſu profiteri ſupernam: ſecundo, quod etiam aliquando, dum U. Author non intelligebat, ſibi terminos miniſtrari, revera non ex electione propria, ſed diſpoſitione mirabili procedebant, vt patet 2. part. n. 1003. vbi loquens V. Abbatiſſa cum Regina Cœleſti, ait: *Al manjar que los Santos Angeles adminiſtraron à nueſtro Salvador en el deſierto, le he llamado Manjar* Celeſtial, *porque no he tenido otros terminos para eſplicarme, y no sè ſi eſtos ſon à propoſito.* Cui Regina Cœli reſpondet num. 1004. *Con propriedad le llamaſte* Celeſtial, *y eſſe termino te dì yo para que lo declaraſſes, &c.* Punctum vero principale non obliviſcentes, ex his amplius convincimur ad piè credendum, V. Authorem nihil in Libris Myſticæ Civitatis Dei ſcripſiſſe niſi comite divina luce: quę enim fatetur, in electione terminorum errare potuiſſe, conſimili claritate patefaceret, ſi abſque ſuperna intelligentia in aliquo procederet: contrarium vero teſtatur loco ſupra citato, & *Myſt. Civ. Dei,* 1. *p. nu.* 24. *à lin.* 20. 2. *part. nu.* 1004.

2. part. n. 678 & 1180

2. part. num. 678. lin. 8 *Yo eſcrivo ſolo aquello que ſe me và enſeñando.* Et lin. 13. *Deſde el principio entendi del Señor, que queria eſcriviesſe eſta Obra con la verdad que la divina luz me enſeñaria, &c.* Idque ipſum in ſubſtantia repetitum invenies eadem 2. part num. 1180.

313 Nec fas erit verè Myſticis & intelligentibus, in dubiũ revocare, collationem ſupernæ intelligentiæ donum fore diſtinctum & ſeparabile à collatione terminorum, vt explicetur divina intelligentia; cum hujuſmodi doctrina clara ſit, & paſsim repetita in Operibus S. Thereſiæ à Iesv, præcipuè cap. 23. Vitæ ipſius, & alibi.

S. Thereſ.

314 Ad ſecundam confirmationem argumenti breviter reſpondebo pro nunc, eo quod à Sapientioribus ſit aſſumptum vſque ad ſatietatem pœnitùs ſatisfactum. Immerito quidem V. Author vt purè Scotiſta proclamatur, cum revera quanquam aliquas teneat Scotiſtas Opiniones, alias majori numero ſequitur verè Thomiſtas, de quo facta eſt mathematica diſcuſio: ipſa autem U. Mater nec Thomiſtas nominat, nec Scotiſtas, ſed lumen ſequitur & Numen. Minorum Minimus nec Scotiſtam eam vocavit, nec Thomiſtam; dum in Theſibus publicis Scolaſticas omnes Opiniones in Libris Myſticæ Civitatis Dei repertas extraxit, & in quatuor libros ſententiarum diviſas diſputationi commiſit. Præterea, ſi revelatio privata Opiniones contrarias non tollit, vt Illuſtriſsimus fert Conſalvus Durantus, & eſt ſententia communis: ex quo, & quare ſic conturbantur & offendũtur, qui nonnullas Scholaſticas Opiniones, revelatas perſonis particularibus reperiunt? Credant, vel non credant, vnuſquiſq; ſuo ſenſu abundet, alius quidem ſic, alius vero ſic; nec credere tenemur ſub lethali, nec ad nõ credere cõpellimur; deſpicere tamen abſque fundamento non decet, quod damnare nobis non licèt. In calce hujuſce Defenſionis offeram legendas Opiniones Scholaſticas, ex libris revelationum S. Birgittæ, S Mariæ Magdalenæ de Pazzis, S.Gertrudis, & S. Catharinæ Senenſis fidelitèr excerptas, vt demonſtratione patenti videant Deputati, nõ ſolum V. Mariam à Iesv de Agreda Scholaſticas Opiniones inter privatas revelationes habere.

Theſes Publicæ.

Durantus tract. de Viſionibus cap. 5.

315 Nunc autem in forma reſpondeo ad confirmationem argumenti, negando ſecundam partem majoris, minoremque ibi

re-

repertam; nam hæc conſequentia non tenet: In libris S. Catharinæ Senenſis nonnullæ ſunt ſententiæ in partem Cherubicæ Religionis revelatæ: ergo tales revelationes Directorum intruſam manum non levitèr oſtendunt? Falſa eſt conſequentia: ergo à ſimili nec valebit ex ejſdem terminis in Libris Myſticæ Civitatis Dei. Antecedens retorſionis patefiet loco relato in fine numeri præcedentis.

316 Ad tertiam argumenti confirmationem conſimilitèr reſpondeo, negando majorem; nam Venerabilis Author ſemel, & iterum, atque iterum expreſsis verbis affirmat, Eccleſiam Catholicam ab initio & ſemper habuiſſe in Scripturis Sacris, ſuperabundantem doctrinam. Prima parte num. 660. à lin. 23. ait ſic: *Ordenò el Altiſsimo, que ſu Igleſia Militante tuvieſſe en las Eſcrituras de los Apoſtoles, y Profetas todo lo neceſſario con ſuperabundancia*. Et 2 part. nu. 930. à lin. 8. loquitur SS. Virgo Maria, & ait: *Si no fueran los hombres de peſados corazones, y ſi atendieran con afecto à las verdades divinas, poderoſos motivos tienen en la Vida de mi Hijo, y mia, con lo què de ella ſaben para ſer agradecidos. Por los Articulos de la Santa Fè Catolica, y por tantas verdades divinas, como les enſeña, y propone la Igleſia Santa, ſe pudieran reducir muchos mundos, &c.* Et expreſſius eadem 2 part. num. 1044. à lin. 12. ait Ven. Author: *Lo que fue neceſſario, y conveniente, lo ſuperabundante, y ſuficiente para fundar, y conſervar la Igleſia, lo eſcrivieron todos quatro Evangeliſtas, &c.* Conſtat ergo ex mente V. Abbatiſſæ, Eccleſiam Militatem ſemper in Scripturis Sacris quidquid ei opus erat ſuperabundantèr habuiſſe, conſequentèrque divinam Providentiam, non diminutam, quinimò providam omnibus ſæculis extitiſſe. Conſonant dictis, & ſuperexaltant veritatem aſſumptam quæ videri poſſunt in eadem Myſtica Civitate Dei ſequentibus numeris 1. part. num. 78. 510. Et 2. part. num. 138. 842. 1188. & 1516. Et 3. part. num 131. 137. 494. & 722. Cum his compatitur, quod in dies nova revelantur, prout dicitur 2. part. num. 1516. per tot.

Myſt. Civ. Dei, 1. & 2. *part.*

Ibid & loc hic cit

317 Præterea, nihil probat inſtantia, quoniam nimis. Idem quidem argui valeret de quibuſcunque revelationibus particularibus à tempore Apoſtolorum factis, futuriſque vſque in vitam venturi ſæculi. Dicendum ergo, Spiritum Sanctum, divinamque

que Provindentiam ſemper Eccleſiæ Militanti omnia neceſſaria ſuperabundanti manu præſtitiſſe, etiamſi de die in diem revelationes novæ multiplicentur; quoniam quolibet ſæculo, quæ túc

Supra nu. 224. convenientia judicat, diſponit Gubernator ejus abſolutiſsimus & ſupremus. *Videantur quæ ſupra diximus à num.* 224.

318 Demùm, ad eandem intelligentiam reducenda videntur, quæ in alijs revelationibus privatis ſcripta reperiuntur; vel quomodo iſtæ componantur, noſtræ componi valebunt. Tomo

S. Birgit. tom.1. primo revelationum S. Birgittæ lib.2. cap.15. fol. 178. col. 2. ait Dominus: *Miraris, quare talia loquor, & tanta oſtendi tibi. Nunquid propter te ſolam? Non vtique, ſed propter aliorum eruditionem, & ſalutem; nam mundus erat quaſi quædam ſolitudo, in qua non erat niſi vna via, quæ deducebat ad maximam abyſſum, &c.* Et cap. 17. ejuſdem libri fol. 185 col. 1. init. *Ideo duxit te Deus in ſpiritum ſuum, & oſtendit per te voluntatem ſuam in terra amicis ſuis propter duo. Primo, vt miſericordia Dei oſtendatur, qua revocari addiſcant homines ad memoriam charitatis, & paſsionis Dei. Secundo, vt juſtitia Dei attendatur, & ſeveritas judicij mei timeatur. Propterea didiciſti, vt quia miſericordia mea jam venit, proferat eam in lucem, vt diſcant homines quærere miſericordiam, & de judicio ſibi præcavere, &c.* Et lib.3. cap.31. fol 300. col.1. in fin. *Medicus ego ſum* (ait Dominus Sponſæ ſuæ dilectæ) *qui mederi cupiens hominibus, verba mea miſi mundo per te.* Et lib. 4. c. 136. fol. 536. col.2. fin. ait Dominus: *Iſte Papa, ſi verba mea tibi data audiret, fieret melior, & qui deferrent ad eum verba, ſublimius coronarentur.* Et eodem lib.4. cap.143. fol.544. col.2. in fine: *Ego Deus loquor cum vna muliere verba mirabilia, ad quid hoc, & ad quem fructum, niſi ad animarum ſalutem, & vtilitatem, & vt mali emendentur, & vt boni fiant meliores?* Et lib.5. interrog.16. q. 1. fol.613. col. 1. in fine: *Cogitationes cordis oſtenſæ ſunt tibi per ſimilitudines, non ſibi in majus opprobrium, ſed in ſalutem animarum*

Eadem tom. 2. *aliorum.* Et tom.2. lib.6. cap.39. fol.74. col.1. med. *Quia ad aliorum profectum hoc fit, quod oſtendi, ideo reſpondeo tibi, &c.* Et eodem lib 6 cap.58 in fine, loquens Regina Cœleſtis dilectæ Filiæ, ait illi: *Ecce filia, hæc ſint continuè in memoria tua, & regratiare Deo ſinceriùs, quia per te infantiam ſuam* (ideſt IESV) *alijs voluit patefacere.* Et cap. 101. ejuſdem libri fol.169 col. 2. med. ait Dominus ad Sponſam: *Ideo ea, quæ à me audieris ſcribe, &*

mit-

mitte ad filios & amicos meos, & ipſi illa ſeminent inter gentes, ſi fortè cognoſcere velint ingratitudinem ſuam, & patientiam meam, quia ego Deus ſurgere volo, & oſtendere gentibus juſtitiam & charitatem meam. Et in Extravag. cap. 46. fol. 438. col. 2. init: *Noli timere. Ego enim ſum omnium conditor, non deceptor. Scias, quia non loquor propter te ſolam, ſed propter ſalutem omnium Chriſtianorum. Tu quippè eris Sponſa mea, & canale meum audies, & videbis ſpiritualia, & ſecreta cœleſtia, & ſpiritus meus remanebit tecum vſque ad mortem, &c.* Si ergo in Libris Myſticæ Civitatis Dei aliquam ſimilem his locutionibus inveneris, harum memento. **Nota.**

319 Aliàs itidem locutiones ſimiles invenies in revelationibus S. Catharinæ Senenſis, & S. Getrudis. In Dialogis quidem S. Catharinæ tract. 3. cap. 16. fol. 234. col. 1. loquens illi Dominus ait: *Nunc dicam tibi in particulari, quamvis tecum loquens, proderit & alijs, & ſic ſatisfaciam deſiderio tuo, &c.* Et eodé tract. 3. cap. 22. fol. 246. col. 1. in fin. ait Sponſa ad Dominum: *Ad te, igitur, Æterne Pater, fugiens recurro, & à te poſtulo, non ſolum pro me, quinimò vniverſalitèr pro vniverſo mundo. Obſecro quidem, vt hæc ſacra doctrina tua in Miniſtris S. Eccleſiæ reſplendeat, &c.* Et tract. 6. cap. 14. fol. 483. col. 2. doctrinam à Domino receptam & in Dialogis ſcriptam *Speculum* vocat, vt alij videāt: Hiſpana verba ſunt hæc: *Mas tu, verdad Eterna, desbiziſte mis tinieblas con tu luz. Y quien podrà darte las gracias de tan inmenſa dadiva, y de la Doctrina de verdad, que me has dado? La qual Doctrina es vna Gracia particular, demàs de la Gracia General, que dàs à las demàs criaturas; porque quiſiſte condeſcender à mi neceſsidad, y de otras criaturas, que para adelante como en vn eſpejo, deſearàn mirar, mirando en ella, &c.* Cœterum in revelationibus S. Getrudis ei non ſemel intimatur divina voluntas, vt non ſibi ſoli ſcriberet, ſed & pro aliorum ſalute, ſpiritualique profectu, vt videri poteſt juxta editionem Salmanticæ factam anno 1605 prima parte, ſivè tomo 1. fol. 64. col 1. & fol. 100. col. 2. med. & fol 356. col. 1. init. Si igitur ex his non arguitur de diminuta divina Providentia erga Eccleſiam ſuam dilectam retro actis ſæculis; quare ex revelationibus Myſticæ Civitatis Dei, eo quod in eis ſimiles nonnunquam reperiantur locutiones, contra Providentiam Altiſsimi ſæculis elapſis ſumitur argumentum?

S. Cathar. Senenſis.

S. Getrud.

§. XII.

§. XII.

REDARGVITVR CENSVRA VTRIVS que Libelli.

320 ASSEREBAT V. Abbatiſſa, Dominum ei revelaſſe, propter Virginea Myſteria in hiſce Libris Myſticæ Civitatis Dei conſcripta, quæ in Eccleſia primitiva manſerunt occulta, dixiſſe Verbum Humanatum in vltima Cœna: *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò.* Deputati vero in ſuo Libello cenſurabant ſic: *Hæc doctrina falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & hæreticis favens, qui hac Evangelica ſententia abuſi ſunt, vt novitates & audatias figmentorum ſuorum colorarent.* In his convenit vterque Libellus, nam quod ſuperaddit ſuppoſititia Cenſura, potiùs ad Articulum ſequentem convenire videtur. Inſpectis authoritatibus, quas in progreſſu Concertationis hujus legendas obtulimus, attendite, DD. Celeberrimi, ſi Cenſura veſtra ſupramodum excedit? Certè dicetis, Magnum Auguſtinum ambulare vobiſcum, qui tract. 96. in Ioannem, dixit: *Quis eſt tàm vanus, aut temerarius, qui, cum dixerit etiam vera, ſine vllo teſtimonio divinò affirmet ea eſſe, quæ tūc Dominus dicere noluit?* Nunc ex eiſdem Magni Parentis verbis proſequor argumentum; ſed Venerab. Author non loquitur abſque vllo teſtimonio divino, cum revera dicat, ſibi eſſe a Domino revelatum: ergo nec Auguſtinus vobiſcum eſt, nec contra Ven. Abbatiſſam. Dicetis inſuper, Doctorē ipſum tract. 97. in Ioan. expreſsius dixiſſe, omnes hæreticos audatias figmentorum ſuorum relatis Evangelij verbis coloraſſe: verba ſunt hæc: *Omnes autem inſipientiſſimi hæretici, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, audatias figmentorum ſuorum, quas maximè exhorret ſenſus humanus, hac occaſione Evangelicæ ſententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, &c.* Et quidem non ignoramus, ab hac principali authoritate ſumpſiſſe vos verba Cenſuræ. Verum, nec dubitare debetis, aliud eſſe hæreticos, & aliud Venerabilem Mariam à Iesv, Eccleſiæ Catholicæ filiam fideliſsimam, de cujus Vita mirabili, inſigniſsima, & omni exceptione ma-

majora, Apoſtolica Authoritate recepta ſunt teſtimonia. Ex Evagelica ſententia malè intellecta, & ad proprium ſenſum juxta eorum malevolam voluntatem vſurpata, eduxerunt hæretici venenum: ergo ex eadem Evangelica ſententia, ſuperna luce illuſtrante, educi non valet legitimus ſenſus? Venenum educit vipera ex candido flore: ergo ex eadem educere non valet apis argumentoſa dulcorem? *Non poteſt error oriri palliatus nomine Chriſtiano, niſi de Scripturis non bene intellectis*, ajebat S. Auguſtinus apud Eminentiſ. Lauręam 1. part. to.3. in 3. ſent. diſp.7 n 150. In Scripturis igitur Sacris culpa eſt, vel erroris occaſio? Abſit. Abuſi ſunt hæretici relata Evangelica ſententia, vt novitates ſuas colorarent: fecerunt vt hæretici. Audatias figmentorum ſuorum, quas maximè exhorret ſenſus humanus, verbis Evangelicis colorare tentarunt: ſequuta eſt Eccleſia Apoſtoli doctrinam: *Nolite omni ſpiritui credere, omnia probatè, &c.* probavit quippè omnia, inventiſque lupis ſub veſtimentis ovium, veſtimenta depellit, & lupos eſſe lupos omnibus patefecit. Nunquid eis ſimilem Venerabilem Sanctimonialem efficere voluiſtis? Hęc, ſicut & illi, tenuit audatias figmentorum, quas maximè exhorret ſenſus humanus? Si tales audatias figmentorum inveniſtis, quomodo ſub ſilentio reliquiſtis, qui & minora notaſtis? *S. Auguſt.*

321 Præterea, Cenſura veſtra, ni fallor, & ſpiritui Eccleſiæ Catholicæ contraria videtur. Ratione dicam, etſi aliqua repetam jam dicta: Eccleſia poſtulat revelationem illarum omniū veritatum, quas Filius revelandas promiſit in illis verbis: ***Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò:: Cum autem venerit ille***, ſcilicèt Spiritus Sanctus, ***docebit vos omnem veritatē.*** *Orat. Eccleſiæ.* Oratio autem Eccleſiæ ad Patrem ſic eſt: *Mentes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.* Nunç ſic: ergo ex veritatibus illis, quas Dominus revelandas promiſit, intelligit Eccleſia, non omnes eſſe hactenus revelatas. Conſequentia liquet, nam ſi putaret, omnes jam eſſe revelatas, proculdubio non ſic oraret. Demus igitur, aliquam ex illis veritatibus nunc revelari alicui perſonæ particulari, & ſimul ei revelari, veritatem ſibi revelatam eſſe vnam ex illis veritatibus; ſed contra hujuſmodi revelationem Cenſura veſtra militaret, prout nunc jacet in terminis: ergo Cenſura veſtra, prout nunc jacet, Spiritui Eccle-

cleſiæ Catholicæ contraria videtur. Minor patet: nam motivum expreſſum in veſtra Cenſura, prout jacet, eſt, quod hac Evangelica ſententia abuſi ſunt hæretici, vt novitates & audatias figmentorum ſuorum colorarent; ſed hoc verum erit vſque in noviſsimum diem, nam quod factum eſt, ſemper factum eſt: ergo Cenſura veſtra, prout jacet, contra dictam revelationem veram militaret; ſed tunc foret abſque fundamento, vt de ſe liquet: ergo & nunc.

322 Si dixeritis, veritates illas non fore revelabiles perſonis particularibus, niſi ſolum Eccleſiæ Vniverſali; reddimus ad *Supr.* §. 4. ſupradicta §. 4. præterquam quod ſat eſt, Cenſuram veſtram contra omnem revelationem particularem de veritatibus illis militare, vt intelligamus, non motivo ſpeciali, ſed ratione communi V. Authori, ejuſque propoſitioni confixæ contrahatur. Sciemus inſuper, Cenſuram veſtram ad damnandam quamlibet hujuſmodi revelationem particularem, cuicunque perſonæ, etiã notiſsimæ ſanctitatis, factam, vſque in diem judicij generalis eſſe paratam, quoniam ſententia veſtra hæc eſt, quod Deus, quanquam velit, non poteſt revelare tales veritates vlli perſonæ particulari; & quamvis poſsit revelare veritatem, non tamen poteſt revelare, veritatem revelatam eſſe de numero illarum veritatum, quas Filius promiſit revelandas. Sciemus poſtmodum vi argumenti, Verbum Domini fore à vobis alligatum, vt hoc poſsit, & illud non poſsit, terminumque eſſe à vobis Deo Omnipotenti præfixum; & ſpiritum, non vbi vult, ſed vbi & quomodo vos vultis, ſpirare: abſit vero, quod talia de Doctoribus Sorbonicis & Chriſtianiſsimis credamus.

323 Radicitus autem Cenſuram veſtram enervare cupientes, propoſitionem confixam iterum aſſumamus. Ait enim Ven. Author, ſibi Dominum revelaſſe, propter Deiparæ Myſteria in his Libris Myſticæ Civitatis Dei contenta, quæ in primitiva Eccleſia & vſque modo manſerunt occulta, dixiſſe Chriſtum illa verba in vltima Cœna: *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò, &c.* Vos dicitis, quod hæc doctrina eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, & hæreticis favens, &c. Videamus nunc, in quo eſt falſa? Conveniunt Doctores claſici, qui videri poſſunt *Supra nu. 174.* §. 2. hujus Concertationis 4. à num. 174. & §§. 3. & 4. Concertationis 3. à num. 123. in exordio naſcentis Eccleſiæ, & per

ſe-

ſequentia ſæcula vſque ad ſæculum noſtrum, quod illuminatione nova piè credimus illuſtratum, quamplura extitiſſe occulta Sacratiſsimæ Virginis Myſteria. Uidimus deinde §. 3. nō repugnare, quod hæc Sacra Myſteria, quæ manſerunt occulta, ſint de eorum numero, quæ Chriſtus occulta reliquit, & de quibus dixit: *Multa habeo vobis dicere, &c.* præcipuè cum Dominus, qualia illa forent, non explicaverit. Oſtendimus ſimilitèr, quod talia Myſteria ſunt revelabilia, non ſolum Supremo Capiti, ſed etiam perſonis particularibus. Ex his ergo ratio noſtra conſurgit: Si quod V. Author ait, eſt vndequaque poſsibile, & nullatenus repugnat: vnde infertis, quod doctrina ejus eſt falſa. *Ab eo quippè quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera vel falſa,* ex Philoſopho; ſed pœnitùs ignoramus, quod ex parte rei ſit ſic, vel non ſit; & ſolum ſcimus ex dictis, ſic eſſe poſſe: ergo abſque fundamento dicitis, quod doctrina ejus ſit falſa. *Ariſtotel.*

324 Cœterum, potiùs de propoſitione, quæ dicitur privativè revelata, affirmamus eſſe credibilem vel incredibilem, quā eſſe veram vel falſam. Hoc patet, nam eſſe veram vel falſam ſumitur ab eo quod objectum in ſe eſt, vel non eſt; ſed hoc vt in plurimum ignoramus, præcipuè cum ex parte materiæ non appareat clariſsimis error ex contrapoſitione ad Scripturam Sacram: ergo cognitio veritatis vel falſitatis objectivæ in ſimilibus propoſitionibus dificillima eſt, & penè impoſsibilis. Propoſitionem vero eſſe credibilem vel incredibilem in motivis extrinſecis perſonæ particularis recipientis revelationes apprimè fundatur ſuppoſita non repugnantia ex parte materiæ, *vt eruditè ait Philamarinus tract. 1. de divinis revelationibus cap. 2. ſect. 1. fol. 145. & cap. 3. ſect. 3. ſign. 5. fol. 196.* ſed hoc nobis minori difficultate notum eſſe valet: Ergo, &c. Ex his fieri poteſt, quod objectum privativè revelatum ſit nobis piè credibile, & alias ex parte rei ſit impoſsibile; quoniam poſsibilitas & credibilitas ex diverſo capite reſultāt. Imò & in rebus Catholicæ Fidei, aliud eſt, Myſterium eſſe evidentèr credibile; & aliud, Myſterium eſſe evidentèr poſsibile, cum ex diverſo capite vtrumque ſumatur, de quo Subtilitèr Doctor noſter: itaque Myſterium ſupernum quod eſt evidentèr credibile, non ideo eſt nobis evidentia naturali poſsibile; ſed ſolum eſt evidentèr credibile, quod tale Myſterium objectivè eſt poſsibile; nā ſi poſsibile in ſe non foret, neque poſſet fieri evidentèr credibile ad Catholicam *Philamarinus.* *Scotus.*

Fidem. Non ſic in Myſterijs, nobis propoſitis vt privativè revelatis; nam vt dixi, fieri poteſt, quod Myſterium nobis propoſitū vt privativè revelatum ſit nobis piè credibile, & aliàs ex parte rei ſit falſum & impoſsibile. Si ergo hoc verum eſt, quomodo ſic toties in Cenſura veſtra de qualibet propoſitione, eſſe falſam affirmatis; non diſtinguentes incredibilitatē ſaltem vobis objectam, à falſitate, quæ nec ſciri nec probari valet ex inacceſsibilitate materiæ revelatæ?

S. Auguſt. 325 Demum, verba S. Auguſtini iterum reſumamus: *Quis eſt tàm vanus, aut temerarius, qui cum dixerit etiam vera, ſine vllo teſtimonio divino aſſirmet ea eſſe, quæ tunc Dominus dicere noluit?* Cauſa temeritatis in eo ſita eſt, quod qui tale diceret, profectò diceret quod ignorabat; ſed æqualitèr ignoramus de myſterio revelato ex parte rei, ſecluſo divino teſtimonio, quod ſit, vel quod non ſit de numero eorum, quæ tunc Dominus dicere noluit: ergo æqualitèr temerarius eſt, qui ſine vllo teſtimonio divino dicit, Myſterium revelatum non eſſe de numero eorum, quæ tunc Dominus dicere noluit, ac qui ſine vllo teſtimonio divino affirmat, eſſe de numero eorum, quæ tunc Dominus dicere noluit. Conſequentia præmit vi rationis; nam æqualitèr ignorata veritate, vel falſitate objecti; ſi temeritas eſt, affirmare exiſtentiam; temeritas erit, negare exiſtentiam; aliàs majus motivum haberet ad affirmandum, quam ad negandum, ex quo ſuppoſitio deſtruitur. Ergo ſecluſo divino teſtimonio, nec verum nec falſum nobis eſt, Myſterium revelatum eſſe de eorum numero, quæ tunc Dominus dicere noluit: ergo Nota falſitatis ſuper propoſitionem confixam in hoc Articulo impropria eſt in Cenſura veſtra, ò Sorbonici.

326 Si dixeritis forsàn, nos contrariari, quoniam ſupra §. 3. reſolutum nobis eſt, probabilitèr affirmari poſſe de Myſterijs Sacratiſsimæ Virginis Mariæ, quæ in primitiva Eccleſia manſerunt occulta, eſſe de eorum numero, quæ Dominus dicere noluit in vltima Cœna. Facilis eſt reſponſio, & doctrinarum conciliatio. Nam temeritatis nota, neque hic, neque illuc cadit ſuper aſſenſum probabilem, ſed ſuper aſſenſum certum & abſolutum. Illatio præſens ſic eſt: ſi temerarium dicitis affirmare de aliquo Myſterio, eſſe de eorum numero, quæ tunc Dominus dicere noluit, quoniam affirmaretur ignotū: ergo ſtaret temeritas

in eo, quod affirmaretur de objecto quod neſciretur ſic eſſe, vel non eſſe; ſed eo ipſo non eſſet nobis affirmatio vera, nec falla: ergo licèt affirmatio judicaretur temeraria, quoniam affirmabat incertum tanquam certum; non tamen judicaretur falla, quoniam de objecto nobis incerto, nō reſultat quoad nos in actu falſitas certa: ergo immerito adhibitis ſuper propoſitionem Articuli Notam falſitatis.

327 Præterea Cenſura veſtra implicat in terminis, dum ſuper eandem propoſitionem conjungit Notam temeritatis cum Nota falſitatis. Hoc ſuadetur. Nam Nota temeritatis prout indicatur ab Auguſtino in caſu præſenti in eo ſiſtit, quod affirmaretur incertum pro certo; ſed Nota falſitatis quoad nos, neceſſario exigit, quod affirmetur ſic eſſe, id quod a nobis revera cognoſcitur, ſic non eſſe: ergo Nota temeritatis excludit Notam falſitatis: ergo dum vtramque Notam coniūgitis in Cenſura veſtra, implicatis in terminis.

328 De aſſenſu noſtro probabili nullum apparet inconveniens; nam in primis, temeritatis Nota ab Auguſtino relata, non cadit, vt diximus, ſuper aſſenſum probabilem, & conjecturalem, ſed ſuper aſſenſum certum & abſolutum abſque vllo teſtimonio divino. Si enim diximus, probabilitèr affirmari poſſe, talia Myſteria eſſe dé tali numero; ſcitis vtique, quod ex conſequentia Scholaſtica, probabilitèr etiam affirmari poteſt, non eſſe de tali numero. Hoc habet Opinio probabilis, vt inferat, cōtrariam etiam fore probabilem, neutramque probabilitatem ab altera repelli, imò confirmari.

329 Reſtat appendere Cenſuram, ea parte, qua propoſitio confixa vocatur ſcandaloſa, *& hæreticis favens, qui hac Evangelica ſententia abuſi ſunt, vt novitates & audatias figmentorum ſuorum colorarent.* Non ſolum hac Evangelica ſententia, ſed etiam alijs innumeris Evangelicis ſententijs abuſi ſunt hæretici maledicti. Hoc ergo nihil probat. Præterea, ſi revelationes hujuſmodi, quoniam particulares & privatæ, favent hæreticis fingentibus revelationes, vt dicitis: ergo omnino negare revelationes privatas præterquam quod impium & temerarium eſt, & erroneum in fide, vt ſupra diximus num. 198. favet etiam hæreticis, revelationes privatas omnino deſpicientibus, & præcipuè Kemnitio, quem in Cathalogo Hæreticorum numerat noſter in-

T 2 fig-

Macedo. ſignis Macedo, *tractatu de Clavibus Divi Petri*, eumque tanquam revelationes privatas omnino contemnentem impugnat Caniſſius de Maria Deipara *lib.* 1. *cap.* 8 *fol.* 43. *col.* 2. *& lib.* 5. *c.* 29. *fol.* 608. *col.* 2. *init.* Hæreticorum inſuper eſt, ſuis erroribus *Caniſsius.* Scripturas Sacras prætexere, vt ait ipſe Caniſsius *lib.* 11. *fol.* 142. *col.* 2. *& aliti*: vſus ergo Sacrarum Scripturarum favet hæreticis? Non tenet: Cenſura igitur veſtra nihil concludit, ò Sorbonici, vobiſque non minorem pietatem in ſimili Cenſurãdi judicio commendamus in poſterum; ſcientes, quod *dicta & geſta Servorum Dei in bonam partem ſunt accipienda*, vt debita charitate & humilitate Cenſoribus admonent S. Catharina Senenſis & S. Thereſia à Ieſv ſupra cit. num. 299.

330 Quoniam autem ſuſpicamur, circa Privilegia Sacratiſſimæ Virginis Mariæ non facilè vobis credibile fieri, alia, atque alia quamplura adhuc revelanda manere; vtque pietati veſtræ viam ad vlteriora paremus, authoritatem celebrem Amadei tom. 1. Bibliothecæ Virginalis repertam, rapt. 8. fol. 715. col. 2. tanquam coronam hujus Concertationis adhibeam: ait ſic: *O Maria Immaculata, magna ſunt dona tua, ingentia munera tua, quæ lingua humana exprimi non poſſunt, mente cogitari, vel apprehendi vix poſſunt: iſta dona non ſtatim omnibus manifeſtabuntur, ſed in varijs temporibus, prout donator magni conſilij ordinavit, nunc hæc, nunc illa revelabuntur: & tandem poſtquam venerit diſſenſio, quæ per multa ſæcula durabit, & tandẽ conſummabitur, & disjuncti conjungentur: miſerebitur Dominus populo ſuo, & mittet novum agnum, qui docebit ſecreta Fidei omnes gentes; tua dona vniverſa narrabit, conſcribet, & annuntiabit, multiplicabuntur ſolemnitates tuæ, augebuntur feſta tua; & declarabitur martyrium tuum, & compaſsio tua, & dolores tui, & mors tua occulta, quando mortua fuiſti cum Chriſto, de quibus tunc mirabuntur ſæcula illa, tanquam de ignotis, & quæ in opinione hominum non fuerunt vſque ad tempora illa fœlicia. Hæc autem omnia Filius tuus Ieſus Chriſtus Dominus noſter faciet interceſsionibus tuis, & meritis tuis, quæ vt pro nobis quoque, ò Advocata peccatorum, depreceris, &c.* Conſonat Venerabilis Abbatiſſa, nu. 1115. 2. partis Myſticæ Civitatis Dei, vbi prevenit pietatem Fidelium ad alia Sacratiſsimæ Virginis Mariæ Privilegia, vltra hæc futuris ſæculis revelanda: Hiſpana verba ſunt: *Dexo eſcritos muchos Sacramentos de la Sagrada*

Amadeus in Bibliotheca Virginali to. 1

Rey-

Reyna, que ſe me han declarado, y conozco reſtan muchos de grande admiracion, y veneracion; para los quales quiero prevenir la piedad, &c. Non ergo in Libris Myſticæ Civitatis Dei finita ſunt Deiparæ Sacramenta, ſed alia plura reſtaut manifeſtanda, quibus veſtrorum pietas, ò Celeberrimi Doctores Pariſienſes, oportet eſſe parata.

ARTIC. IV.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

331 PAg 18. num. 10. *Nolo ea ſpectari ab hominibus, tanquam Opiniones, aut ſimplices Viſiones, ſed tanquam conſtantem, & infallibilem veritatem.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

332 C*Vm ad Eccleſiam pertineat Fidelibus proponere veritates, tanquam conſtantes & infallibiles ex Verbo Dei ſcripto, vel non ſcripto, per Apoſtolos ad nos tranſmiſſo; hæc Propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & Authoritati Eccleſiæ derogans.*

333 Cenſuram Suppoſititiam ſuper propoſitionem confixã in hoc Articulo 4. invenies ſupra num. 166. & iterum annotatur num. 320.

CONCERT. V.

SVPER PROPOSITIONEM CENSVRÆ ſubjectam in hoc Articulo 4.

334 DISPVTANDA veniunt 1. Diſcordia inter Verſionem Gallicam & Originale Hiſpanum. 2. Legitima V. Abbatiſſæ intelligentia in propoſitione confixa, prout ad originale fidelitèr reducta. 3. Concordia V. Authoris cum alijs DD.

DD circa credibilitatem præſtandam revelationibus privatis. 4 In alijs revelationibus privatis locutiones ſimiles propoſitioni confixæ. 5. Redarguitur Cenſura DD. Depputatorum Pariſienſium.

§. I.

OSTENDITVR SVBSTANTIALIS diſcordia inter Verſionem Gallicam & Originale Hiſpanum.

Textus Hiſpanus.

335 TEXTVS Hiſpanicus ait ſic: *Y no quiero* (loquitur Dominus) *que ſea eſta deſcripcion, y declaracion de ſu vida* (ideſt Sacratiſsimæ Virginis) *opiniones, ni contemplaciones, ſino la verdad cierta: Los que tienen oìdos de oìr, oygan, &c.*

336 Verſio de Hiſpano in latinum: *Et nolo, quod ſit hæc deſcriptio, & declaratio vitæ ejus, opiniones, nec contemplationes, ſed veritas certa. Qui habent aures audiendi, audiant, &c.*

Verſio Gallica.

337 Verſio ex Gallico in latinum: *Ego nolo, quod reſpiciant eam, tanquam opiniones, nec viſiones ſimplices, ſed vt conſtantem, & infallibilem veritatem, quod qui habent aures audiant, &c.* Sic magis ad litteram exprimitur Verſio Gallica, quam quomodo translata eſt in Articulo Cenſuræ.

Diſcordia.

338 Subſtantialis diſcordia liquet. Nam hæc propoſitio: *Nolo quod ſit deſcriptio hæc opiniones, ſed veritas certa*; valdè diverſa eſt ab alia: *Nolo quod reſpiciant eam tanquam Opiniones, ſed vt conſtantem & infallibilem veritatem.* Prima reſpicit ad eſſe; ſecūda, ad judicari reſpectu noſtri. Aliud quidem eſt, divinam Hiſtoriam Myſticæ Civitatis Dei non eſſe in ſe opiniones, & aliud excludere in nobis opiniones: vel alitèr: aliud eſt, divinam Hiſtoriam Myſticæ Civitatis Dei eſſe in ſe veritatem certam, & aliud eſt, eſſe nobis veritatem certam. Sicut aliud eſt, propoſitionem hanc, *Deus exiſtit*, eſſe propoſitionem per ſe notā quoad ſe; & aliud, eſſe per ſe notam quoad nos: eſſe per ſe notam quoad ſe, eſt, quoad ſe carere probatione à priori: eſſe per ſe notā quoad nos, eſt carere probatione à priori quo ad nos, ita vt nos clarè noſ-

noſcámus, carere probatione à priori. Poteſt ergo propoſitio eſſe per ſe nota quoad ſe, dũ quo ad ſe careat probatione a priori, quin ſit per ſe nota quo ad nos, dũ nos non cognoſcamus, carere probatione à priori. Conſimilitèr, Propoſitio quæ non eſt per ſe nota quoad viatores, quoniã nõ cognoſcimus, carere probatione à priori, poteſt eſſe per ſe nota quo ad comprehenſores, qui clariſsimè intuentur, talem propoſitionem carere probatione à priori. Cœterum, quodlibet objectum conſcientiæ probabilis eſt quo ad ſe determinatè & certè verum, vel certè falſum; & tamen quo ad opinantem nec eſt certè verum, nec certè falſum; idemque objectum reſpectu vnius eſt opinabile, & reſpectu alterius eſt certiſsimè verum, vel certiſsimè & evidentèr falſum. Aliud eſt ergo, quod deſcriptio Myſticæ Civitatis Dei ſit in ſe veritas certa; & aliud, quod ſit nobis veritas certa: igitur propoſitio illa: *Nolo, quod ſit deſcriptio hæc Opiniones, ſed veritas certa*; impropriè & vltra legitimum ſenſum vertitur in aliam: *Nolo, quod reſpiciant eam tanquam Opiniones, ſed vt conſtantem & infallibilem veritatem.* *Propoſitio per ſe nota.*

339 Etenim Myſteria Deiparæ, in Libris Myſticæ Civitatis Dei conſcripta, conſiderari valent, vel in ordine ad Deum revelantem; vel penes ipſa Myſteria ſecundũ ſe, & in eſſe objectivo; vel in ordine ad Venerab. Authorem revelationes recipiẽtem; vel in ordine ad cæteros fideles, quibus indicitur, talia Myſteria eſſe privativè revelata. In ordine ad Deum, certum eſt, non fore Opiniones, nam Deus nihil opinative cognoſcit, ſed ſcientiâ methaphiſicè certâ intuetur omnia. Cognoſcit quidem Deus ſine opinione opiniones hominum, ſicut malum ſine malitia; & fictum ab alijs, quin ipſe fingat. Neque Myſteria penès ſemetipſa in eſſe objectivo poſſunt eſſe Opiniones, nam ſic *quodlibet eſt vel non eſt*, vt Philoſophus aſſeruit. Neque in ordine ad V. Authorem, revelationes talium Myſteriorum recipientẽ, poſſunt eſſe Opiniones; tùm quia non aſſenſu opinativo, ſed certitudinæ lucis propheticæ Myſteria percipiebat; tùm etiam quoniam non examinando Opiniones Doctorum, neque cuilibet earum adherendo electione proprij judicij, ſed divina luce revelante ſuſcepit ea. In ordine autem ad alios fideles, qui nec à Deo illuminati ſunt ad talia Myſteria cognoſcenda, luce infallibili; nec eis ab Eccleſia Catholica, Decreto ex Cathedra dimanante, *Ariſtot.*

te,

te, inditum eſt, ea ipſa Myſteria fore à Deo revelata: alitèr talia Myſteria poſſunt eis eſſe opiniones, & alitèr non: ſi piè credunt, eſſe à Deo revelata, eo ipſo piè credunt, non eſſe Opiniones, ſed revelationes, & veritatẽ certã; verum nec ſic infallibilitèr aſſentiunt, eſſe veritatem certam & infallibilem, quoniam nec infallibili fide credunt, eſſe à Deo revelata: Si vero opinativè aſſentiunt revelationi, opinativè quoque aſſentiunt Myſterijs revelatis, & in hoc ſenſu talia Myſteria ſunt eis Opiniones. De his infra.

Alia Diſcordia.

340 Præterea, propoſitio illa: *Qui habent aures audiendi, audiant*: impropriè & inadæquatè vertitur in aliam: *Qui habent aures audiant*: nam verbum omiſſum, *audiendi*, nec ſine Myſterio poſitum eſt in Sacro Textu Lucæ 14. v. 35. nec licèt omitti in Verſione fideli.

§. II.

LEGITIMA VENERABILIS ABBATIſſæ intelligentia in propoſitione confixa, prout ad Originale proprium fidelitèr reducta.

341 EXPONENDA propoſitio ſic eſt: *Nolo, Deſcriptionem hanc* (loquitur Dominus de Divina Hiſtoria Myſticæ Civitatis Dei) *eſſe Opiniones, nec Contemplationes, ſed veritatem certam.* Diximus ſupra nu. *339*. Myſteria Deiparæ, in Myſtica Civitate Dei conſcripta, conſiderari valere, vel in ordine ad Deum ea revelantem; vel penes ipſa Myſteria in eſſe rei, vel objectivo; vel in ordine ad V. Authorem revelationes talium Myſteriorum ſuſcipientem; vel in ordine ad cœteros Eccleſiæ fideles, in quorum notitiam talia Myſteria, vt privativè huic V. Abbatiſſæ revelata, devenerint. Nunc autẽ difficultatis punctũ contractiori calamo pertingentes, ſequenti reſolutione genuinam V. Authoris incipiemus mentem aperire.

342 Dicendum igitur, Venerabilem Matrem in propoſitione relata noluiſſe, Myſteria Sacratiſsimæ Uirginis Mariæ ſibi revelata, & tribus tomis Myſticæ Civitatis Dei conſcripta, eſſe de Fide Catholica cœteris Fidelibus, neque eis credendi obligationem imponi. Hoc apertiſsimè conſtat ex varijs ipſius Operis

ris teſtimonijs, vbi ſæpeſępiùs repetit V. Author, credibilitaté talium Myſteriorum committi pietati Fidelium: & quidem non committeret pietati, quod aliàs intelligeret ex obligatione rigoroſa procedere.

343 Eligimus primum aſſertæ propoſitionis teſtimonium ex 2. part. num. 1514. vbi ait V. Abbatiſſa: *La firmeza que trae conſigo la verdad divina, no dexa duda para el entendimiento, que la conoce, y mira en el miſmo Dios, donde todo es luz, ſin mezcla de tinieblas, y ſe conoce el obgeto, y la razon.* Nunc adverte: *Pero para quien oye en relacion eſtos Myſterios, neceſſario es dar motivos à la piedad, para pedir el credito de lo que es obſcuro.* Hic duo notanda: 1. Reſpectu V. Matris divinas revelationes ſuſcipientis, expetitum fore aſſenſum Fidei ſupernæ Myſterio revelato ex firmitate & certitudine divinæ lucis, *la firmeza que trae conſigo la verdad divina, &c.* Secundũ: Eadem Myſteria pietati Fidelium eſſe commiſſa abſque obligatione ſtricta credendi, quod exprimitur in illis verbis: *Pero para quien oye en relacion eſtos Myſterios, neceſſario es dàr motivos a la piedad, &c.* *Myſt. Civ. Dei, 2. p.*

344 Aliud ſimile aſſumptæ propoſitionis teſtimonium invenitur 3. part. Myſticæ Civitatis Dei num. 327. à lin. 15. vbi ait V. Author: *Si lo que eſcrivo và conſiguiente, y no ſe opone en coſa alguna al Texto Sagrado, y correſponde à la dignidad de la materia que trato, no puedo darle mayor autoridad à la Hiſtoria, y tampoco pidirà mas la piedad Chriſtiana.* Ergo pietatem Chriſtianam ſemper advocat V. Mater, & non obligationem credendi, dum de credibilitate talium Myſteriorum punctum attingit. *Ibid. 3 p.*

345 Idipſum confirmatur ex 2. part. nu. 413. circa finem, vbi ait: *Atiendan los corazones pios, y fieles à la dignacion de eſta ſu Amantiſsima Reyna, y Señora, en deſplegar algunos de tantos, y tan ocultos Sacramentos por vn viliſsimo inſtrumento, &c.* Et num. 1115. à lin. 19. vbi ait: *Conozco reſtan muchos Sacramentos ocultos de grande admiracion, y veneracion, para los quales quiero prevenir la piedad, &c.* Et n. 1518. ejuſdem 2. part. a lin. 1. ait: *Eſtas congruencias me parecen baſtantes, para que la piedad Catolica ſe alegre, y ſe conſuele con la noticia de eſte Myſterio, y de los que dirè adelante, &c.* Et 3. part. num. 119. *Ibid. 2. p.*

à lin. 7. ait: *Para la prudencia, y piedad Chriſtiana, baſtava por razon ſaber, que ſolo à eſta pura Criatura tuvo Dios por Madre natural, y que ſola ella fue digna de ſerlo entre todas las criaturas, &c.* Vbi valdè notandum, quoties repetitum verbum Pietatis, *la piedad Chriſtiana, la piedad de los Fieles, la piedad Catolica, los corazones pios, &c.* Convictum ergo manet, V. Authorem nunquam intellexiſſe, Myſteria Deiparæ, in Libris Myſticæ Civitatis Dei ab ipſa conſcripta, eſſe de Fide Catholica, eo ſolum quia ipſi revelata; neque eo Fidelibus imponi ſtrictam obligationem credendi.

346 Dicendum 2. V. Abbatiſſam profectò cognoviſſe, ſe teneri, firmam præſtare Fidem revelationibus receptis, & Myſterijs revelatis, ſemel poſita claritate divinæ lucis, vel evidentia in ateſtante, prout ipſa fatetur 1. part num. 15. à lin. 9. vbi loquens de certitudine divinæ lucis ſibi communicata ait: *Se conoce al Señor con tanta claridad, y certeza, que no dexa duda alguna de lo que ſe entiende. Pero primero, y mejor ſe conoce ſer Dios el que eſtà preſente, que ſe entienda todo lo que ſu Mageſtad habla.* Et 2 part num. 1514. à lin. 1. ait: *La firmeza que trae conſigo la verdad divina no dexa duda, &c.* Et 3. part. num. 672. à lin. 9. ait: *A mi baſtame para no hallar duda en lo que digo, la luz con que lo conozco, &c.* Et clariùs, ſi clariùs fieri poteſt, num. 16. Epiſtolæ Dedicatoriæ, quæ reperitur poſt finem textus tertiæ partis, à lin. 8. ait. ipſa V. Mater: *Eſtas verdades, y beneficios del Señor ſon de condicion, que no dexan en la alma por entonces turbacion, ni duda, antes con vna ſuaviſsima fuerça la llenan, illuſtran, ſatisfacen, y ſoſiegan.* Conſtat igitur, hujuſmodi Deiparæ Myſteria, reſpectu V. Authoris, revelationes eorumdé Myſteriorum recipientis, fuiſſe objectum creditum Fide ſuperna, vel aſſenſu clariſsimo cum evidentia in Ateſtante, conſequentèrque, V. Abbatiſſam rexpexiſſe talia Myſteria *tanquam veritatem certam*, non autem tanquam *opiniones, vel contemplationes.*

Ibid. 1. *p.*

347 Ex his facilè reſolvitur punctum principale vtriuſque Cenſuræ ſuper propoſitionem confixam, & intelligentia legitima originalis propoſitionis fit manifeſta. Nam ſi quæratur, quomodo ſalvandum, Deſcriptionem hanc Myſticæ Civitatis Dei non eſſe opiniones & contemplationes, cum reſolutum maneat,

neat, reſpectu Fidelium non eſſe veritatem certam, aliàs reſultaret in eis obligatio credendi? Dicendum eſt neceſſario, propoſitionem illam: *Nolo, Deſcriptionem hanc eſſe opiniones, nec contẽplationes, ſed veritatem certam*, ſolum loqui cum V. Authore, cui omnia in tali deſcriptione revelata, erant veritas certa, vt nuper oſtendimus Caſu vero, quod talis propoſitio etiam ad cœteros Fideles dirigatur, non reſultat ex ea obligatio credendi, vſque dum ab Eccleſia Catholica definiatur, Deũ fuiſſe, qui talia revelavit & dixit. Hoc modo exponendæ & expoſitæ videntur aliæ ſimiles locutiones in alijs revelationibus privatis, de quo infra. *Expoſit.*

348 Vt autem evidentiùs legitimus ſenſus Notatæ propoſitionis comprobetur, maximè proderit, ſententiam relatam cum alijs ejuſdem Myſticę Civitatis Dei clauſulis conferre; nam, teſte Auguſtino: *Oriuntur errores de Scripturis malè intellectis, & hoc ideo, quia præcedentia & conſequentia non contulerunt*, vt ſupra notavimus num. 12. 62. & 63. Videamus ergo, quomodo alijs in locis ejuſdem Operis explicet V. Abbatiſſa, deſcriptionem hanc non eſſe opiniones, nec contemplationes. *S. Auguſt.*

349 Secunda parte Myſticæ Civitatis Dei num. 678. à lin. 1 ait V. Author: *En muchas coſas de las que voy eſcriviẽdo, me conſta ay gran diverſidad de Opiniones entre los Santos Padres, y Autores.·. en cuya declaracion no me detengo, porque no es neceſſario para mi intento; y porque yo eſcrivo ſolo aquello, que ſe me và enſeñando, y dictando.·. Y en las coſas que eſcrivo, no conveнia introduzir diſputa: porque deſde el principio, como entonces dixe, entendi del Señor, que queria eſcriviеſſe toda eſta obra ſin opiniones, ſino con la verdad, que la divina luz me enſeñaria.* Ad marginem loci hujuſ concitatur num 10. primæ partis, vbi reperitur clauſula Cenſuræ ſubjecta ſub hoc Articulo, quaſi hanc per aliam notetur explicandam. *Myſt Civ. Dei, 2. p.*

350 Eadem 2. part. num. 1115. à lin. 17. ait V. Mater: *El intento del Señor en mandarme eſcrivir eſta Hiſtoria (como otras vezes he dicho, y muchas he entendido) es manifeſtar algunos de eſtos ocultos Sacramentos, ſin opiniones, ni congeturas humanas, &c.* Hic etiam annotantur in margine num. 10. primæ part. & num. 678. ſecundæ partis, quos ſupra tranſcripſimus. *Myſt. Civ. Dei, 2. p.*

351 Conſonat ſimilitèr 3. part. num. 327. à lin. 7. vbi ait ipſa V. Author: *Sobre todos eſtos, y otros ſucceſſos, tengo entendido varian mucho los Eſcritores en ſeñalar los años, y tiempos en que ſucedieron, y en ajuſtarlo con el texto de los Libros Canonicos. Pero yo no tengo orden del Señor para ſatiſfacer â todas eſtas, y otras dudas, ni componer eſtas controverſias: antes deſde el principio he declarado* (hic iterum anotatur in margine num. 10. primæ partis Cenſuræ ſubjectus) *que ſu Mageſtad me ordenò, y mandò eſcriviesſe eſta Hiſtoria ſin opiniones.*

Ibid. 3. p.

352 Poſtmodum, alia ipſius Operis teſtimonia prætermittẽtes (quoniã nihil ſuperadditur in eis ijs quæ nuper retulimus) ſolum verba num. 16. Epiſtolæ Dedicatoriæ præcitatæ, fidelitèr pro coronidè tranſcribam à lin. 13. vbi ait V. Abbatiſſa: *No por eſto ſe dà por vencida la ira del Dragon*; (locuta erat de ſecuritate divinæ lucis) *y permitiendoſelo el Señor para nueſtro exercicio, buelve à moleſtar à las almas como importuna moſca. Y aſsi lo à hecho conmigo, ſin aver palabra en eſta Hiſtoria, que no aya contradicho con infatigable porfia, y tentaciones, que no es neceſſario referirlas. La mas ordinaria ha ſido dezirme, que todo lo que eſcrivia es imaginacion mia, ò diſcurſo natural; otras vezes, que era falſo, y para engañar al mundo. Y es tanta la enemiga que ha tomado con eſta Obra, que por deſvanecerla, ſe humillava eſte Dragon à dezir, que à lo mas venia à ſer meditacion, y efecto de la oracion ordinaria.* Hoc ſcripſit V. Mater, poſtquam dictos Libros Myſticæ Civitatis Dei, tribus partibus comprehenſos, manu propria conſcriptos, & nomine proprio firmatos reliquit.

Epiſt. Dedicat.

353 His igitur clariſsimis V. Authoris omnibus teſtimonijs ſedulo perpenſis, propoſitionem confixam ad Originale proprium reſtitutam, exponere compellimur, & coarctamur, ſic, vt illa Domini propoſitio: *Nolo, Deſcriptionem hanc eſſe Opiniones, nec contemplationes, ſed veritatem certam*: vertatur in iſtam: *Nolo, Deſcriptionem hanc* (Myſticæ Civitatis Dei) *fieri vel componi ex Opinionibus, vel contemplationibus aliorum Doctorum; ſivè ex Opinionibus Doctorum, vel contemplationibus tuis* (dum loquitur cum V. Authore) *ſed ex lumine ſuperno manifeſtante tibi veritatẽ certã.* Expoſitio hęc videtur legitima ex contextu clauſularũ,

Legitimus ſenſus.

quas hic ſucceſsivè vnam poſt aliam ex ipſo Opere fideliſsimè decerpſimus ad litteram. Et quanquam quælibet illarum idipſum ſatis apertè demonſtret, ex convenientia tamen omnium vrgentiùs & abundantiùs comprobatur ſenſus erutus. Quid clarius pro expoſitione relata, quam illa Venerabilis Abbatiſſæ verba 2. part. num. 678. *Cognoſco opiniones Doctorum; ſed à principio, ſicut tunc dixi* (ſcilicèt num. 10. 1. part.) *intellexi à Domino, Opus hoc ſcribendum fore ſine opinionibus, & juxta veritatem, quam divina lux me doceret?* Propoſitio ergo illa Domini, quæ eſt in Operis principio: *Nolo, Deſcriptionem hanc eſſe Opiniones*, juxta intelligentiam Authoris hic expreſſam, nihil aliud explicat, niſi: *Nolo, Deſcriptionem hanc fieri juxta opiniones Doctorum, ſed juxta veritatem revelandam claritate divinæ lucis.* Quis autem dubitabit hoc, quod deſcriptio facta ex revelatione divina, facta non eſt juxta Doctorum Opiniones? Hoc tamen non obſtanti, quod evaquata eſt difficultas in aſſumpto principaliori: tranſeamus ad manifeſtandam concordiam inter V. Matrem & alios Doctores, circa credibilitatem exhibendam revelationibus privatis. *Myſt. Civ. Dei, 2. p.*

§. III.

OSTENDITVR CONCORDIA INTER V. Abbatiſſam alioſque Doctores, circa credibilitatem præſtandam revelationibus privatis.

354 DISTINCTIO, diviſioque divinarum revelationum in communes & privatas, ſivè ſint de genere Prophetiæ, ſivè de genere Oraculi, vel alio quocumque modo fiant, communis eſt inter Theologos, fulcita SS. PP. & DD. authoritatibus, quibus conſonat V. Abbatiſſa 1. part. Myſticæ Civitatis Dei num. 613. & 614. vbi communes & publicas revelationes à privatis & particularibus diſtinguit. *Ibid. 1. p.*

355 Revelationibus publicis & communibus ab Eccleſiâ Catholicâ propoſitis (ideo enim communes & publicæ vocantur,

tur, quoniam ab Eccleſia Vniverſali, vel ejus Capite Supremo, tanquam ex Cathedra loquente, omnibus Fidelibus vti neceſſariò credendæ proponuntur) teneri nos per habitum Fidei Catholicæ firmitèr aſſentiri, eſt abſque controverſia quaſi dogma profitendum. Sic & fatetur à V. Matre varijs in locis Myſticæ Civitatis Dei, præcipuè 3. part. nu. 459. 496. 497. 730. vbi Suprema poteſtas Vicarij Ieſu Chriſti, obedientiaque ei debita manifeſtatur.

Ibid. 3. p.

356 Ad revelationes autem privatas & particulares devenientes, in quibus noſtrum eſt inditum Certamen, cum diſtinctione ſupra relata loquemur. Etenim privatæ revelationes, vel conſiderantur in ordine ad perſonam recipientem eas, vel in ordine ad alios, quibus relativè tanquam alienæ perſonæ factæ proponuntur. Diximus ſupra, valdè dinſtinctum fore vnum ab alio; quapropter diverſis concluſionibus vtrumque reſolvam.

Concluſ. 1. 357 Sit prima concluſio. Revelationibus privatis, ſufficientèr propoſitis, debetur aſſenſus de Fide ab anima fideli, tales revelationes recipiente. Dixi notantèr, *revelationibus privatis ſufficientèr propoſitis*, ad eas revelationes excludendas, in quibus defectu ſufficientis certitudinis, dubitare poteſt anima de diabolica deceptione. Tunc ergo revelatio dicitur ſufficientèr proponi, & ſufficientèr propoſita, quando nulla intervenit dubitatio, & clarè cognoſcitur, Deum eſſe loquentem. Hanc certitudinem & ſecuritatem expreſsè fatetur habuiſſe V. Author 2. parte Myſticæ Civitatis Dei num. 1514. & 3. part. nu. 672. & alibi ſæpè. Videantur etiam ſupra V. Abbatiſſæ teſtimonia nu. 346. Solet quidem à Deo ſic illuſtrari anima recipientis revelationes verè divinas, & ſic voluntate affici, ac de veritate revelationis ita certiorari, vt apertè cognoſcat, & firmiſsimè credat, Deum eſſe revelantem, & revelationis authorem. Quando igitur revelatio privata ſic ſufficientèr proponitur, tenetur anima ſuſcipiens revelationem, aſſentiri de Fide revelationi, & objecto revelato. Haud neceſsè videtur hic diſputare, vtrum talis aſſenſus pertineat ad Fidem Catholicam, ſivè ad Fidem Theologicam, ſeu infuſam, hoc parum refert, cum dicere ſufficiat in præſenti, teneri animam aſſentiri de fide revelationi ſic ſibi propoſitæ. Favent concluſioni S. Auguſtinus, & S. Gregorius Magnus, quos citat & ſequitur Delrio *lib. 4. diſquiſit. magicarum cap.*

Myſt. Civ. Dei.

Delrio.

cap. 1. *ſect.* 1. Etiam eſt nobiſcum Durantus *in ſuo celebr. tract. de Viſionibus cap.* 5. *fol. mihi* 96. *col.* 2. vbi multos & graves pro ſe citat Authores, inter eoſque Suarium *de Fide, diſp.* 3. *ſect.* 10. *& diſp.* 19. *ſect.* 5. *num.* 10. Bellarminum *lib.* 3. *de Iuſtificatione cap.* 3. & favorabilem notat Angelicum Doctorem 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. vbi loquitur de objecto formali Fidei. Citantur itidem ab Illuſtriſsimo Conſalvo Duranto, Corduba, Vega, Catherinus, Aragon, & Salmeron, locis ibi videndis. Hi omnes concordi calamo etiam defendunt, hæreticum fore, qui revelationi ſibi factæ ſufficientèr propoſitæ, objectoque ipſi ſic revelato non aſſentitur. Brondus tamen *diſp.* 2. *quæſt.* 4 *in cap.* 1. *Apocalyp.* ſuſtinet, quod qui habet hujuſmodi revelationes privatas, non aſſentitur eis per habitum Fidei infuſſæ, ſed ex ſola apparentia ſignorum; communitèr verò impugnatur: nec hoc ad nos. Durant. Suarez. Bellarm. S.Thomas Brondus.

358 Probatur 1. concluſio. Revelationes privatæ tranſire valent in publicas & communes, & de facto plures tranſierunt, vt probat Philamarinus *tract.* 1. *de divinis revelationibus cap.* 1. *ſect.* 12. *fol. mihi* 63. *num.* 2. ſed dum erant particulares & privatæ, debitus fuit eis aſſenſus Fidei divinæ à ſubjectis recipientibus eas: Ergo, &c. Minor, in qua eſt difficultas ſuadetur ex Scriptura Sacra, in qua legimus revelationes multas privatim factas, etiam de rebus humanis, & temporalibus; ſed fides inde concepta laudatur, tanquam Fides divina, ejuſdem excellentiæ cum quacunque alia: Ergo, &c. Probatur min. & verbis vtar præcitati Philamarini num. 7. vbi ait: Paulus ad Hebreos cap. 11. laudat fidem Saræ in revelatione de futuro filio, & quoniam in principio tarda extitit ad credendum, reprehenditur, *vt habetur in Geneſ. cap.* 18. Etiam reprehenſus & punitus fuit Zacharias, *Lucæ cap.* 1. quoniam dubitavit de revelatione ſibi facta ab Angelo Domini, quod vxor ipſius conciperet, &c. Similesque aliæ revelationes, tùm in Veteri, tùm & in Novo Teſtamento factæ, videri poſſunt apud ipſum Philamar. cit. & præcipuè Actor. 11. v. 28. & cap. 21. v. 11. Ergo, &c. Philamarinus. Hebr. 11. Geneſ. 18. Actor. 11

359 Probatur ſecundo concluſio ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 12. vbi definitur: *Neminem poſſe ſcire ſe eſſe in numero prædeſtinatorum, niſi per ſpecialem revelationem.* Et Canone 16. ſimilitèr decernitur, *neminem eſſe certum certitudine fidei de ſua gratia, vel futura perſeverantia, niſi per ſpecialem revelatio-* Tridentin

nem: Ergo clarè ſupponit Concilium, hanc revelationem eſſe poſsibilem, & ſufficientem ad cauſandam certam fidem. Conſequentia ſuadetur, nam dum Concilium nihil diſtinguit de Fide, ſatis indicat eſſe eandem, qua cœtera creduntur: Ergo, &c.

360 Tertio ſuadetur: Dum revelatio ſufficientèr animæ proponitur, ſatis cognoſcitur eſſe à Deo loquente; ſed creatura tenetur præſtare fidem Deo loquenti: Ergo, &c. Etenim ſi Deo credere tenemur: ergo qui cognoſcit, quod revelatio ſibi provenit à Deo, debet revelationi ſibi factæ, ejuſque objecto revelato aſſentiri de Fide. Quoniam autem motivum credendi in talibus perſonis idem eſt cum motivo Fidei Theologiæ, ſcilicèt Authoritas ſuprema Dei revelantis, qui nec poteſt fallere, nec falli, ideo libentius in hanc de Fide Theologica, quam in aliam partem de diſtincta ratione Fidei me ſubſcribo.

Secunda Concluſ. *361* Sit ſecunda concluſio. Si revelationes privatæ elevarentur ad publicas, & communes, vt ſi ab Eccleſia Catholica proponerentur credendæ vniverſo Populo Chriſtiano, tunc abſque dubio teneremur præſtare Fidem eiſdem revelationibus, & aſſenſum præbere ex habitu Fidei Catholicæ; taleſque revelationes, jam dicerentur Catholicæ, ideſt communes, generales, & vniverſales; nam Catholicum idem eſt, ac generale, & vniverſale, vt bene notat eruditus Philamarinus fol. *64* num.2. Concluſio hæc probatione non eget, vtpotè principijs Fidei conformis. *Philamar.* Nam Eccleſia Catholica regitur à Spiritu Sancto, habetque infallibilitaté in proponendo, & definiendo veritates, propter quod ab Apoſtolo 1. *Timot. cap.* 3. appellatur columna, & firmamentum veritatis: ergo veritatibus ab illa propoſitis ad credendum, tenemur ex habitu Fidei infuſſæ & Catholicæ præſtare firmum aſſenſum. *1.Timot.3* Idem aſſerit V. Maria à Ieſv de Agreda 1. part. Myſticæ Civitatis Dei num.115. & 2. part. num.138. & 3. part. num. *722*. *Myſt.Civ. Dei.*

Concluſ.3. *362* Sit 3. concluſio. Si revelationes privatæ non proponũtur ab Eccleſia, ſed ab illo qui recepit eas, vel ab alio referente ipſas, non tenemur credere, niſi ex ſola pietate, fideque tantummodo humana, & per modum conſilij, ita vt juxta ſolam prudentiam teneamur ipſis præſtare fidem, nullo autem modo ſub pœna peccati læthalis. Sic inter alios latiori calamo Brondus *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *in cap.* 1. *Apocalyp.* & Philamarinus *de divinis* *Brondus.*

re-

revelationibus tract. 1. *cap* 1. *ſect.* 12. *num.* 13. Idem tenet V. Au-thor, cujus authoritates ſupra tranſcripſimus à n. 342. noſtri Certaminis. Suadetur 1. reſolutio, nam ea quæ ſpectant ad ſalutem animæ, ſufficientèr traduntur per revelationes factas in Lege, in Prophetis, & in Apoſtolis, juxta illud Lucæ 16. v. 29. *Habent Moyſem & Prophetas, audiant illos*: & paulò poſt: *Si Moyſem & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent*; ſed revelationes privatæ neque in Lege, nec in Pſalmis, neque in Prophetis continentur, ſaltem expreſsè: Ergo, &c. Major eſt manifeſta in Myſtica Civitate Dei 1. *part. num.* 660. & 2. *part. num* 630. & 1044. vbi expreſsè dicitur, Eccleſiam Militãtem ſuperabundanter habere, & habuiſſe à principio in Scripturis Sacris, in Apoſtolis, & Prophetis omnia neceſſaria, de quo etiam ſupra num 316. Minor ſimilitèr liquet 2. part. num 1516. vbi de continentia implicita occultiſsima myſteriorum in Sacris Litteris ſatis agitur, expreſſa vero continentia negatur: Ergo, &c. *Myſt. Civ.*

363 Secundo probatur Aſſertum, nam abſolutè loquendo, revelationes privatæ poſſunt eſſe fallæ, cum Sathanas ſe poſsit transfigurari in Angelum Lucis, *vt ait Apoſtolus* 2. *Corint.* 11. *v* 14. & *ad Galat* 1. *v.* 8. & ab Authore fatetur 1. *part. n.* 617. ſed nobis non conſtat ex regula Fidei, ſic non eveniſſe recipienti revelationes particulares nobis propoſitas: non ergo tenemur credere ſub pœna peccati læthalis. *2. Cor.* 11. *Galat.* 1.

364 Tertio ſuadetur, ex Apoſtolo nam 1. Theſſal. 5. v. 20. non dixit: *Prophetijs nolite credere*, nec juſit Prophetijs ſtatim credere, ſed dixit: *Prophetias nolite ſpernere*, quod vtique valdè diverſum eſt, vt ex terminis liquet: Ergo, &c. Haud diſsimile reperies in Myſtica Civitate Dei 1. part. a num. 609. vbi de revelationibus tam publicis, quàm privatis. *1. Theſſal.* 5.

365 Verum & ſi revelationibus privatis non teneamur credere niſi ex ſola pietate, intra lineam tamen ipſius pietatis, aliæ fiunt alijs credibiliores, vrgentioraque habent ſigna & motiva prudentis credibilitatis, tùm ex parte ſubjecti referentis ex obedientia ſe habuiſſe tales revelationes, tùm ex parte materiæ revelatæ, quæ rationi, & cœteris Myſterijs Catholicæ Fidei magis conſonare videtur. Quando igitur revelatio particularis ſic prudentèr credibilis apparet, haud dubito quòd aſſenſus,

quamvis aliàs ſine obligatione credendi, fiat per habitum Fidei, non ſolum in recipiente revelationes, ſed etiam in alijs, quibus prudentèr credibilis proponitur privata revelatio. Sic Scotus in 3. diſt. 23. quæſt. vnic. Vega, Aragon, Malderus, Catharinus, Bellarminus, Salmeron, Suarez, Vazquez, Sanchez, Torres, Granadus, Tannerus, Coninch, Meratius, Petrus Hurtado, & Lugo, citati à Ripalda tract. de Fide divina diſp. 7. de revelatione privata, ſect. 1. num. 4.

Scotus. *Ripalda.*

Concluſ. 4.

366 Sit 4. concluſio. Licèt regularitèr non teneamur præſtare fidem revelationibus privatis, poſsibilis eſt caſus, in quo aliquis teneatur credere nonnullis revelationibus privatis, ſibi ſufficientèr propoſitis, etiam ante propoſitionem Eccleſiæ. Hoc ſuadetur, nam talia miracula fieri poſſunt à Deo in confirmationem alicuius privatæ revelationis, vt revelatio fiat evidentèr credibilis omnibus, qui illa miracula videant, & adimpletiones prophetiarum cognoſcant. Sic Oviedus controv. 2. de Fide diſp. 9. ſect. 3. §. 20. Ripalda tract. de Fide divina diſp. 7. de revelatione privata ſect. 1. nu. 3 Hurtadus vterque, Petrus, ſcilicèt, & Gaſpar, & alij permulti. Quoniam autem caſus iſte rarus eſt, doctrina generalis eſt tenenda, requiri propoſitionem Eccleſiæ, vt alij credere teneantur. Pro conformitate V. Abbatiſſæ circa hoc quartum aſſertum & doctrinam antecedentem, ſapientis offeruntur judicio verba illa Myſticæ Civitatis Dei, ſupra relata nu. 345. Videantur etiam in 3. part. ipſius Myſticę Civitatis Dei, num. 621. & 622.

Ovied.

Myſt. Civ. Dei.

367 Super hoc igitur de credibilitate, vel incredibilitate privatarum revelationum, conſonam, & conformem habemus V. Authorem ſanæ doctrinæ Theologorum; dum quidquid tribus in aſſertis ex DD. mente ſtabilitum eſt, doctrinis quoque Myſticæ Civitatis Dei repetitis teſtimonijs firmatum reperimus. Nunc autem, inter propoſitionem in Articulo Cenſuræ confixam, aliaſque particulares revelationes permiſsivè in Eccleſia Dei approbatas, conſonantiam requiramus.

§. IV.

§. IV.

IN ALIIS REVELATIONIBUS PRIvatis locutiones ſimiles propoſitioni confixæ.

668 PROPOSITIO U. Abbatiſſæ, vel potiùs Sponſi Cœleſtis ad Sponſam dilectam, ſic eſt: *Nolo, Deſcriptionem hanc* (Myſticæ Civitatis Dei) *eſſe opiniones, nec contemplationes, ſed veritatem certam. Qui habent aures audiendi, audiant.* Vbi tria ſunt videnda: 1. Si de alijs revelationibus privatis, in Eccleſia Catholica legi permiſsis, dictum ſit, *non eſſe opiniones, nec contemplationes?* 2. Si affirmatum ſit, *eſſe veritatem certam?* 3. Si voces hujuſcemodi, ſcilicèt: *Qui habẽt aures audiendi, audiãt,* reperiantur in eis?

369 Circa primum & ſecundum legatur in primis S. Birgitta lib. 1. ſuarum revelationum cap. 9. fol. mihi 18. col. 2. med. vbi ſic introducitur loquens Regina Cœli: *Aliqui ſunt, qui maligno ſpiritu negant me aſſumptam corpore & anima, aliqui etiam quia neſciunt meliùs.* (Nunc obſerva) *Sed iſta eſt pro certiſsimo rei veritas quod cum corpore & anima ad deitatem aſſumpta ſum:* Ex his diſſeram: Ergo de aliquo Myſteriô privative revelato, aſſertum invenitur, quod *ſit pro certiſsimo rei veritas;* ſed nõ poſſet eſſe *pro certiſsimo rei veritas,* ſi eſſet opiniones, vel contẽplationes: ergo de Myſterijs privative revelatis dici valet, non eſſe opiniones nec contemplationes, ſed veritatem certam. *S. Birgitt. tom.* 1.

370 Si dixeris, aliud fore vnum, & tale Myſterium; & aliud tot & tanta Myſteria, quæ in octo Libris Myſticæ Civitatis Dei proponuntur revelata. Arguo ſic: ergo jam obex non eſt in eo, quod dicatur de Myſterio privativè revelato, eſſe pro certiſsimo rei veritatem, ſed in eo quod dicatur de vno, & tali Myſterio, vti de Aſſumptione ſacratiſsimæ Virginis, jam à fidelibus vniverſalitèr receptum; ſed Myſteriũ hoc, dum S. Birgittæ revelatum, non ſic erat vniverſalitèr receptum, quinimò a pluribus contradictum, vt liquet ex illis ipſius revelationis verbis: *Aliqui ſunt, qui maligno ſpiritu negant me aſſumptam corpore & anima, aliqui etiam quia neſciunt meliùs:* Ergo, &c. Præ-

terea, ſi de vnico Myſterio, prout ſolum privativè revelato, dici poteſt, modo quo in revelatione poſita continetur, eſſe pro certiſsimo rei veritatem: ergo nulli Myſterio, ex parte ſolum qua privativè revelato, repugnabit dici de eo, eſſe pro certiſsimo rei veritatem, aliàs repugnaret Myſterio vt privativè revelato, quod non repugnat Myſterio vt privativè revelato, idemque manens idem, non faceret ſemper idem, juxta philoſophicum

Ariſtot. axioma. Nec obeſt dici de multis, quod de vno, ſi forma vnius eſt in multis. Quod non repugnat Petro vt homo eſt, nulli homini repugnat, vt homo eſt. Nec intereſt nobis examinare, quomodo intelligendum, Myſterium illud S. Birgittæ privativè revelatum, eſſe pro certiſsimo rei veritatem: hoc quilibet ſibi diſcurrat, & quomodo repererit ibi fore abſque falſitate compoſitum, ſic & non alitèr propoſitioni confixæ inttelligat applicatum.

Eadem tom. 2. 371 Alia S. Birgittæ, non parum nobis vtilis, extat revelatio tom. 2. lib. 6. cap. 67. fol. 139. col. 2. med. vbi Chriſtus Dominus revelans Sponſæ, quomodo mundus iſte ſimilis ſit navi habenti tres partes, ſcilicèt proram, & medium, & pupim; de ſecunda & tertia loquens ait ſic: *Media vero pars navis, ideſt mundi, tunc apparere cœpit, quando ego ipſe Filius Dei vivi incarnari volui, quia ſicut media pars navis depreſsior & humilior eſt parte reliqua: Sic in Adventu meo humilitas prædicari cœpit, & omnis honeſtas, & multi longo tempore eas ſecuti ſunt. Nunc autem, quia impietas, & ſuperbia invaleſcit, & paſsio mea quaſi oblita, & neglecta eſt, ideo tertia pars incipit aſcendere, quæ durabit vſque ad judicium, & in hac ætate per te miſi verba oris mei mundo, quæ quicumque audierint, & ſecuti fuerint, fœlices erunt. Sicut enim Ioannes dicit in Evangelio non ſuo, ſed meo: Beati qui non viderunt, & crediderunt: Sic dico nunc: Beati vtique erunt æterna beatitudine, qui hæc verba audierint, & ſequentur.* Sententiam illam: *Nūc autem, quia impietas, &c.* Vbi de ſtatu miſerabili & calamitoſo ſæculorum ſequentium vſque ad finem mundi fit deſcriptio, authoritatibus ſupra relatis adjunge, *Concert.* 2. §. 3. *ſup. Art.* 1. *à num.* 94. Verba autem alia, *ſicut enim Ioannes dixit in Evangelio, &c.* vbi comparatio diſcretè conſideranda reperitur, nobis prodeſſe cogitamus. Etenim non ſolum aſſumptum, quinimò, ni fallor, & plus probat talis comparatio, quam quod opus eſt nobis.

bis. Sat quidem nobis, quod ſic ſit veritas certa revelatio particularis, ejuſque objectum reſpectu animæ ſuſcipientis ipſam revelationem, ac fuit Evangelium Ioannis reſpectu diſcipuli dilecti, divinitùs illuminati: ſi vero vltra hoc, aliud aliquid in dicta revelatione datur intelligi: Doctori relinquo.

372 Cœterum de ſecuritate concepta in anima ſuſcipiente revelationem divinam, aliud invenitur ejuſdem S. Birgittæ teſtimonium tom.2. lib.6.cap.9. fol.13. col.2. vbi ſuadens Sacerdoti Advocato, non fore proficuum ſaluti animæ ejus Officium temporale, à quo depoſitus erat, ait illi: *Dico tibi, & abſque dubio erit, ſicut audivi in judicio Dei, quod niſi citius caveris tibi, & correxeris te, ſicut ego vocor Birgitta, ſic tu nec evades ſingulare judicium Dei.* Et de facto ita evenit, quod non longè poſt, idem Sacerdos per Epiſcopum privatus Eccleſia, horribili & inaudita morte deceſsit, vt declaratur ibidem. Notanda ſunt igitur verba illa, *abſque dubio erit, ſicut audivi in judicio Dei.*. *ſicut ergo vocor Birgitta, &c.* Ecce ſecuritatem divinæ revelationis, cujus veritatem, & objecti revelati prædictus probavit eventus. *S. Birgitt. lib. 6.*

373 Nec diſsimile eodem to.2. in revel. extravag. cap. 94. fol. 467. col.1. med. vbi dubitante S. Birgitta, ſi certi Capilli forent de Capillis Capitis Sacratiſsimæ Virginis Mariæ, introducitur loquens Regina Cœleſtis, & ait ſic: *Sicut verum eſt, & creditur, quod ego de Anna & Ioachim nata ſum, ſic verum eſt, quod iſti capilli creverunt in capite meo.* Nunquid aſſeverationes illæ minoris ponderis videntur, propoſitione illa Domini: *Nolo deſcriptionem hanc eſſe opiniones, nec contemplationes, ſed veritatem certam?* *Eadem in Extravag*

374 Alia itidem haud minus firma conteſtatio, videnda tom. 1. earundem revelationum lib. 2. cap. 17. fol. 183. col. 1. vbi Filius Dei loquebatur ad Sponſam, dicens: *Credis tu firmitèr, quod hoc, quod Presbyter tenet in manibus ſit corpus Dei? Reſpondit illa. Ego credo firmitèr, quod ſicut Verbum miſſum Mariæ, factum eſt in ventre ejus caro, & ſanguis; ſic hoc, quod nunc video in manibus Sacerdotis, credo eſſe verum Deum, & hominem. Cui reſpondit Dominus. Ego ſum, idem qui loquor tecum æternalitèr in deitate manens, &c.* Et certè, vt arbitror, nec alitèr aſſeverationes hujuſcemodi locum haberent, niſi ex parte animæ illuſtratæ veritas revelantis & objecti revelati, ſeclufis ambiguitatibus pateſieret. *Eadem lib.2.*

Se-

Semel autem poſita certitudine Dei revelantis, vel, vt dicitur, evidentia in atteſtante, neque dicta, neque ſequentibus in locis ipſarum revelationum videnda mirari debent, lib. 1. cap. 1. ad Sponſam Dominus ait: *Ego ſum Creator Cœli & terræ, vnus in Deitate cum Patre & Spiritu Sancto. Ego ſum qui Prophetis, & Patriarchis loquebar, &c.* Et cap. 59 ejuſdem libri fol. 128. col. 1. *Ego ſum, qui nunquam dixi falſum. Ego reputor in mundo quaſi ruſticus. Verba mea reputantur quaſi fatua, &c.* Et lib. 2. cap. 1. fol. 133. col. 1. ait Dominus Sponſæ: *Quando Diabolus tentat te, dic ei iſta tria: Verba Dei non poſſunt eſſe niſi vera. Secundo, Deo nihil eſt impoſsibile. Tertio, quod etiam tu Diabole non poteris mihi dare talem fervorem charitatis, &c.* Et lib. 3. cap. 10. fol. 245. loquitur Sponſæ Virgo Maria: *Ne timeas ea, quæ nunc videbis à ſpiritu malo eſſe exiſtimans, &c.* Et lib. 4. cap. 113. fol. 492. col. 1. Filius loquitur: *Legat Scripturas, qui voluerit, & inveniet, quod de Paſtore feci Prophetam, & ſpiritu prophetiæ replevi juvenes, & idiotas, &c.* Super quod eruditè diſcurrit Illuſtriſsimus Conſalvus Durantus *Nota 1. ad id. cap.* Alia multa his ſimilia, in eiſdem revelationibus invenies, quibus noſcitur, aut expreſsè legitur, nolle Dominũ, revelationes hujuſcemodi eſſe opiniones, nec cõtemplationes, ſed veritatem certam. Etenim prima Veritas, quę eſt principium verborum Domini, juxta illud Prophetæ, *Principium verborum tuorum veritas,* æque infallibilis eſt in minimis & in maximis, & in revelationibus privatis ſicut in revelationibus publicis & communibus, vt è fundamentis probat idem Conſalvus tract. de Viſionibus cap. 5. pag. 97. col. 2.

Eadem lib. 1.

Durantus.

Pſal. 118.

Durant.

375 In divinis intelligentijs S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ſimilia leguntur, cum ſpiritus Domini nequeat ſibi ipſi eſſe contrarius, lib. 1. cap. 3. cui titulus: *Vocata à Chriſto, multipliciter inſtruitur,* loquitur Chriſtus ad Sponſam, & ait illi: *Veni, ò Sponſa mea, quia ego ſum, qui te à mente mea extraxi: Veni electa mea, vt dem tibi regulam. Ego animæ tuæ Sponſus, & mei æterni Patris Verbum, do tibi regulam meam & tuam; meam, quia do; tuam, quia à te obſervanda eſt. Primum, à te requiro, &c.* & poſt vigeſimum præceptum ſivè documentum concludit ſic: *Hæc eſt regula, quam animæ tuæ Dilectus in actu tibi dedit amoris.* Et lib. 2. cap. 12. fol. 23. col. 1. loquitur Pater: *Veni Vnigeniti mei Sponſa, nam Verbum perficere vult in te ſua promiſſum veritatis, donis*

S. Maria Magd. de Pazzis.

ſuis te locupletando, ſicut intelligens videbis, & guſtando experieris, &c. Et lib.6.cap.30. fol.246. col.1. in fine, exponens illa Chriſti verba Ioann. 15. *Omnia quæ audivi à Patre meo nota feci vobis,* ait: *Et quomodo communicaſti? Nõ dicam ſolummodo verbis ad extra; ſed voce adeo ſecreta, modoque adeo intrinſeco, & occulto, vt ſolũmodo tu, & qui de te guſtat intelligat.* Ecce quomodo ſe habent divina verba reſpectu fœlicis animæ ſuſcipientis ea! Ibi veritas elucèſcit, dum loquens intelligitur qui veritas eſt, & ad hoc miſſus, vt teſtimonium perhibeat veritati.

376 Præterea in divinis revelationibus S.Getrudis lib.1.de Inſinuatione divinæ pietatis cap.15. & cap.16. & lib.4. cap.14. fol.116. & cap. 21. fol.153. conſimilitèr legitur, ei fuiſſe patefactam & revelatam veritatem certam, ſine opinionibus vel meditationibus, ſed divina luce illuſtrante, &c. *S.Getrud.*

378 Poſtmodum, nec verba illa, quibus clauditur propoſitio confixa: *Qui habent aures audiendi, audiant*; ſine exemplaribus in alijs privatis revelationibus relinquamus. In eo forſitam ſitum eſt Deputatorum, Cenſorumvè ſcrupulizandi fundamentum, quod tali clauſula non debuit vti V. Author, quoniam ea vſus eſt Chriſtus Dominus Lucæ 8. vel Ioannes in Apocalypſi cap.3. Interrogabo ipſos, cur ſi hic, & illic locutus eſt Dominus, vt piè credimus, non potuit hic, ſicut illic eiſdem, vel diverſis, aut conſimilibus vti verbis? Præterea, ſimilia verba paſſim in libris revelationum S. Birgittæ, & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis præ oculis habentur. Lib. 2. revelat. S. Birgittæ fol. 153 col. 2. circa med. concluditur totum caput 7. his verbis: *Hæc verba ego Ieſus Chriſtus locutus ſum, verus Deus, & homo, vnus cum Patre, & Spiritu Sancto ſemper Deus.* Et lib. 5. intelligentiarum divinarum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis cap. 20. terminatur his verbis: *Oſculum ſcientiæ. Oſculum quod ſcientiam confert, ſcientiamque cuſtodit, Ecce venio, cito venies: incomprehenſibilia ſunt omnia.* Et lib. 2. cap.14. terminat ſic: *Eia igitur veni, ò Verbum, veni ad Mariam, veni ad me, ò Sponſe meus.* & cap. 21. lib.4. incipit Sponſa verbis Iob: *Vocaſti me; & ego reſpondebo tibi, &c.* Nec tranſibo ad alia, quoniam arbitror, quod hæc diſcreto Iudici ſufficient. Controverſiæ ſcopus eſt, ſi quæ in Libris Myſticæ Civitatis Dei leguntur, procedere poſsint, vel nõ, ex revelatione divina: quidquid ergo cũ revelatione divina in- *Lucæ 8.* *Apoc.3.* *S.Birgitt.* *S.Magd. de Paz.*

compatibile non ſit, contra Libros Myſticæ Civitatis Dei non agit, quinimò extra centruale punctum difficultatis divagat; ſed relata verba cũ divina revelatione incompatibilia non ſunt, quin potiùs juxta Cenſores ex revelationibus publicis ſumpta videntur: Ergo, &c. Profecto, quod de facto profitetur in revelatione publica, vt divina eſt, non erit incompatibile cum revelatione privata, dato quod divina ſit: ergo ex hac parte non repugnat, quod divina ſit, aliàs revelatio nequiret eſſe divina, per id quod reperitur in revelatione divina: idem quippè Deus loquitur in revelatione privata, qui loquebatur in publica. Apocalypſis concludit: *Venio cito Amen. Veni, Domine Ieſu*: Ex eo dicere non valuit S. Magdalena de Pazzis: *Ecce venio, cito venies, &c.* Similitèr de alijs.

Apoc. 22.

§. V.

REDARGVITVR CENSVRA DD. DEputatorum Pariſienſium.

379 PROPOSITIO confixa, non prout invenitur in Originali, ſed prout jacet in Cenſura, ſic eſt: *Nolo ea ſpectari ab hominibus, tanquam Opiniones, aut ſimplices Viſiones, ſed tanquam conſtantem & infallibilem veritatem.* Cenſura vero ſic: *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & Authoritati Eccleſiæ derogans, cum ad Eccleſiam pertineat Fidelibus proponere Veritates tanquam conſtantes & infallibiles, &c.* Vobiſcum eſt, ò Sorbonici, & ipſa Venerabilis Author, firmitèr tenens, ad Eccleſiam pertinere, Fidelibus proponere Veritates, tanquam cõſtantes & infallibiles. Sic expreſsè legitur 3. part. Myſticæ Civitatis Dei num. 791. vbi loquendo de eadem divina Hiſtoria, hæc habet: *Sobre todo la ſugeto à la enmienda de la Santa Igleſia Catolica Romana, à cuya cenſura, y enſeñança, como hija ſuya, proteſto eſtoy ſugeta, para creer, y tener ſolo aquello que la miſma Santa Igleſia nueſtra Madre aprobare, y creyere, y para reprobar lo que reprobare, porque en eſta obediencia quiero vivir, y morir. Amen.* Et nu. 722. ejuſdem 3. part. ſingulariſsima ſcribit elogia Eccleſię Militantis. Et à num 216, ejuſ-

Myſt. Civ. Dei.

ejuſdem 3. partis, de congreſſu Apoſtolorum ad præcipua ſignanda Catholicæ Fidei Sacra dogmata fuſè pertractat. Et à num 480. ejuſdem 3. partis, de primo loquitur Eccleſiæ Concilio, quando exijt Decretum illud Apoſtolorum: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, congregatis in vnum, &c.* *Act.* 15. v. 28 propoſitam Eccleſiæ facultatem ad proponendas Fidelibus Veritates conſtantes & infallibiles efficacitèr ſtabiliens. Nec minori expreſsione 2. part. num. 807. vbi ait: *El fundamento immutable de nueſtra juſtificacion, y la razon de toda la Santidad es la Fè de las verdades, que revelò Dios à ſu Santa Igleſia, &c.* Et num. 808. ibi: *Era neceſſario, que en el Occeano de eſtas maravillas entrara la noticia de todas las verdades Catolicas, que en el tiempo del Evangelio avian de ſer creìdas de los Fieles, &c.* Et num. 809. ejuſdem 2. partis à lin. 3. ibi: *La Santa Igleſia tendria los catorce Articulos de la Fè Catolica deſde ſu principio; y que deſpues determinaria en diverſos tiempos muchas propoſiciones, y verdades, que en ellos, y en las divinas Eſcrituras eſtavan encerrados como en ſu raiz, &c.* Vobiſcum igitur eſt hæc V. Author, toties his in locis & alibi, facultatem proponendi Fidelibus Veritates infallibiles & conſtantes, ad Eccleſiam, ſivè ad ejus Caput authoritate privativa reducens.

Actor. 15

Myſt. Civ. Dei.

380 Præterea, notandum maximè, quod quamvis in privata revelatione dicatur, ibi patefieri & conſcribi veritatem certam abſque Opinionibus, vel ſeclusis Opinionibus; non ea propter ſuper eodem puncto, aliàs opinabili, tolluntur DD. opiniones, nec finis imponitur Scholaſticis controverſijs. Hoc patet, tùm propter hactenus dicta, tum & exemplari; nam S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis revelatum legimus, primarium & principalius Incarnationis motivum non fuiſſe remedium peccati, ſed excellentiam Myſterij; & quod Verbum incarnaretur, Adamo non peccante, ex vi primi Decreti; & tamen propter hoc, nec evacuata eſt Scholarum controverſia ſuper eodem puncto, nec vale dicitur opinioni contrariæ, ſed quilibet opinatur nunc, ſicut antea. Verba revelationis ſunt hæc lib. 3. divin. intelligent. cap. 15 fol. 56. col. 2. circa med. *Poſito altiſsimo fine, ad quem creavimus, & deliberatione vniendi ipſi Verbum per ſe infinitè communicabile, decrevimus conceptum jam hominem creare ad noſtram imaginem & ſimilitudinem, cum expreſſo decreto ſemel naturæ noſ-*

S. Magd. de Paz.

tra, Verbi perſona mediante, vniendi, ad remedium quidem peccati, principalitèr vero ad gloriam, & exaltationem naturæ humanæ, & noſtræ bonitatis, quæ hoc opere, modo perfectiori poſsibili, &c.

Eadem lib. 3. Et clariùs eodem lib 3 cap. 18. fol. 61. col. 1. init: *Dicam amplius,* loquitur Dominus, *quod quamvis priuſquam Verbum à Maria humanitatem aſſumpſiſſet, & pateretur, ego vellem creaturis rationalibus gloriam dare; & quamvis Adam non peccaſſet, in Paradyſum vos adduxiſſem, & Verbum etiam Incarnatum fuiſſet; nihilominùs tàm magna Creatoris gloria, Verbique magnitudo nequaquam manifeſtata fuiſſet: Verbum enim non triumphator, ſed glorificator fuiſſet, &c.* Nec hoc ſolum punctum Scholaſticum opinabile, ſed alia multa ejſdem Libris revelata conſpiciuntur, de quibus cathalogum faciam in fine hujuſcè Certaminis. Sat nobis pro nunc argumentum à ſimili. Si enim, quanquam revelatam inveniamus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis partem quæſtionis, aliàs opinabilem, in Scholiſque controverſam, non ex eo finis impoſſitus eſt DD. opinionibus, nec diſceptationibus Scholaſticis: vnum ergo non eſt incompatibile cum alio.

381 Nec veritas hęc mirabili conſonantia caret in Divina Hiſtoria Myſticæ Civitatis Dei, quinimò expreſsione clariſsima continetur in ea, opiniones Doctorum, controverſiaſque Scholaſticas juxta divinum fore Altiſsimi beneplacitum. Etenim 1. p. n. 78. à lin. 1. poſtquam numeris antecedentibus revelatum legitur motivum Incarnationis, ait Dominus: *Y quiero tambien,* *Myſt. Civ. Dei.* *que los Doctores Santos adquieran para ſi mucha gracia, luz, y gloria, con ſu trabajo honeſto, loable, y ſanto, y la verdad ſe vaya mas deſcubriendo, y apurando.* Et paulò poſt, eodem numero: *Yo he tenido gran providencia con los Doctores, y Maeſtros, aunque ſus opiniones han ſido tan diverſas, &c.* Et num. ſequenti 79. *Quiero tambien, Eſpoſa mia, que entiendas, que ſi bien mi providencia diſpone, que entre los Maeſtros aya muchas opiniones, para que mas ſe eſcudriñen mis teſtimonios, y con intento de que à los hombres viadores les ſea manifieſta la medula de las Divinas Letras, mediante ſus honeſtas diligencias, eſtudios, y trabajos; pero fuera de mucho agrado para mi* (loquitur Dominus) *que las perſonas doctas extinguieran, y apartaran de ſi la ſobervia, embidia, &c* Quid amplius vultis, Deputati Pariſienſes? Idem quippè Dominus, qui, vt piè

cie-

credimus, dixit V. Abbatiſſæ: Nolo deſcriptionem hanc eſſe opiniones, nec contemplationes, ſed veritatem certam; idem ipſe ait, ſibi placitas fore DD. opiniones, & pro inveſtiganda in Scholis veritate, pervigiles controverſias.

382 Si ergo hoc ſic, & nullibi contrarium V. Abbatiſſa reſolvit: quomodo, vel in quo Authoritati Eccleſiæ derogat V. Author? Mittimus pro nunc, quod propoſitio originalis V. Abbatiſſæ non eſt, prout in Articulo Cenſuræ continetur, ſed valdè ſubſtantialitèr diverſa, de quo jam ſupra. Verum, quanquã prout in Articulo jacet, inveniretur in textu, quid inde ad præmemoratam Cenſuram veſtram, ò Sorbonici? Nunquid ex eo, obligatio credendi Fidelibus injungeretur? Nunquid jam ex eo, propoſitiones omnes in Libris Myſticæ Civitatis Dei repertas, tanquam Veritates conſtantes & infallibiles, obligatione ſub lethali teneremur profiteri? Vnde hoc? Tenetur credere, qui certò & infallibilitèr ſcit, Deũ loqui: demus ergo dixiſſe Deũ V. Authori: *Nolo, deſcriptionem hanc ſpectari ab hominibus tanquam opiniones*: nunquid Authori credere tenemur? Abſit: aliàs foret nobis Regula Fidei Mulier hæc. Ipſa credere tenetur, quoniam ſciviſſe ſupponimus, Deum ſibi fuiſſe locutum: quid autem hoc ad Fidem noſtram? Nec ipſa V. Mater cogitavit vnquam, ad credendum nos teneri, imò contrarium aſſeruit, dum non obligationem, ſed pietatem Fidelium conquiſivit, vt ſupra demonſtravimus à num. 343. Etenim non cuicunque nobis dicenti, Regem præcipere hoc, vel illud, ſed vel Regi nobis immediatè loquenti, vel Miniſtro fideli ad juſiones hujuſmodi notificandas deſtinato, credere tenemur: non ergo cuicunque nobis dicenti, Deum revelaſſe hoc, vel illud, ſed vel ipſi Deo nobis loquenti, vel Eccleſiæ Catholicæ, cui munus hujuſcemodi notificandi fidelibus revelationes divinas commiſſum eſt, credere compellimur: ſolum ergo anima, cui immediatè fit divina revelatio, vel cui Eccleſia Catholica proponit credendam divinam revelationem, vel objectum revelatum, credere tenetur. Si hoc igitur verum eſt, eſtque ſententia communis, vt videri poteſt apud Philamarinum ſupra citatum num. 362. quare conturbamini, Cenſores Pariſienſes? Vel qua ratione cogitaſtis, voluiſſe V. Authorem, clauſulas omnes Myſticæ Civitatis Dei *Fidelibus proponere tanquam conſtantes & infallibiles Veritates*? Noluit hoc V. Au- *Philamarin.*

thor, quoniam clauſulam confixam in terminis nunquam tenuit: verum, quamvis eandem clauſulam à vobis confixam, in terminis formalibus ſcripſiſſet, adhuc Cenſura veſtra locum non haberet. Non oportet, nec decet Sapientibus, in malam partem exponere, quod in bonam abſque violentia litteræ valet interpretari.

383 Quid communiùs in Sacra Facultate, quam diviſio divinæ voluntatis in voluntatem ſigni & beneplaciti, efficacis & inefficacis, ſimplicis inclinationis atque conſilij? Si nolet Dominus, vllam præſtari fidem ijs, quæ in Libris Myſticæ Civitatis Dei continentur, nec ea revelaſſet, vel ſaltem ea ſcripta manere ad aliorum profectum non juſiſſet; mandatum vero Domini expreſſum eſt num. 10. Introductionis ad 1. partem, vbi ait V. Author: *El miſmo Señor por ſi inmediatamente me ha mandado, y declarado ſu beneplacito muchas vezes, de que eſcrivieſſe eſtos Miſterios, &c.* Et num. 28. Introductionis ad 3. part. præcipitur ei, non ſibi ſoli, ſed & ad aliorum profectum ſcribere revelata Myſteria: *Eſcrive, no para ti ſola, &c.* Ex quo ſic: tranſire non valet in noſtrum profectum, quod nobis non eſt creditum, quinimo negatum tanquam falſum: ergo ſi voluntas Dei eſt, quod revelata in Myſtica Civitate Dei in noſtrum tranſeant profectum, aliqua voluntas Dei eſt, nos ejſdem revelatis aſſentiri. Conſequentia liquet: nam eadem voluntate, qua vult medicus, potum proficere infirmo, vult ſimilitèr, infirmum recipere potum; cum aliàs infirmo proficere non valeat potus, niſi potum accipiat: ſi ergo Dominus vult, ſupradicta revelata proficere mortalibus, conſimilitèr aliqua voluntate vult ipſe Dominus, homines præſtare fidem talibus revelatis. Vrgentius nunc: ergo actus hic, quo diceret Dominus: *Volo, homines præſtare fidem myſterijs revelatis in Myſtica Civitate Dei*, conſequens eſt ad illum actum: *Volo, vt hæc ſcribas ad hominum profectum*; ſed actus ille ſecundus non implicat cum revelatione privata: ergo neque primus. Minor ſubſumpta patet expreſsè in privatis revelationibus S. Birgittæ tom. 1. lib. 2. cap. 15. fol. 178. col. 2. circa finem, in initio capitis, vbi ait illi Dominus: *Miraris quare talia loquer, & tanta oſtendi tibi. Nunquid propter te ſolam? Non vtique, ſed propter aliorum eruditionem, & ſalutem*: ergo ea quæ huic ſanctæ fœminæ revelabat Dominus propter alio-

Diviſio voluntatis divinæ.

Myſt. Civ. Dei.

S. Birgitt.

aliorum ſalutem, aliquali voluntate volebat Dominus ab hominibus recipi; ſed revelatio erat particularis: Ergo, &c.

384 Vrgentius adhuc ex his: Actus ille Domini: *Volo, homines præſtare fidem his revelationibus particularibus*, non implicat, ſed imò compatibilis eſt cum ratione revelationis privatæ: ergo ſimilitèr hic actus Domini: *Nolo, talia revelata ſpectari ab hominibus tanquam opiniones nec contemplationes, ſed tanquam cõſtantem & infallibilem veritatem*, compatibilis eſt cum ratione revelationis privatæ. Suadetur conſequentia. Actus ille primus explicat divinam voluntatem, quin teneantur homines ſub lethali præſtare fidem, nec actui, nec revelationi, nec revelato, non alia ratione, niſi quia hominibus non ſatis conſtat, nec eis ab Eccleſia Catholica indicitur, Deum feciſſe talem actum; ſed idem eſt dicendum de ſecundo: ergo ſi primus eſt compatibilis cùm revelatione privata, vel imò conſequens ad revelationes privatas, de quibus loquimur, vt probavimus num. antecedenti; etiam ſecundus compatibilis erit. Quid enim intereſt: *Nole Dominum, talia revelata ſpectari ab hominibus tanquam Opiniones*, ſi hæc divina voluntas nobis nota non eſt, niſi ex revelatione particulari? Ex hoc ergo potiùs arguitur, Deum nole, non teneri ex præcepto ſub lethali ad præſtandam fidem eidem revelationi particulari, quamvis aliàs velit, nos, non ex obligatione, ſed ex pietate moveri ad præſtandam fidem eidem revelationi. In revelationibus S. Birgittæ tom. 2. lib. 6. cap. 49. fol. 92 col. 1. ait Sponſæ Regina Cœleſtis: *Et veritas eſt, quod ego concepta fui ſine peccato originali, & non in peccato.* Nunquid, quoniam in hac revelatione privata dicitur: *Et veritas eſt, &c.* ex eo tollitur permiſsio opinandi contrarium, ſaltem actu interiori, ſivè interno? Certè non, & non alia ratione, niſi quia veritas hæc non ſatis nobis conſtat ex ſola revelatione privata: ergo licèt Deus diceret, prout in Articulo narratur: *Nolo, ea ſpectari ab hominibus tanquam Opiniones, ſed tanquam conſtantem & infallibilem veritatem*, non exinde tolleretur vobis, ò Sorbonici, Opinandi licentia, nec authoritati Eccleſiæ Catholicæ aliquid derogaretur, cui de jure competit, Fidelibus proponere veritates, tanquam conſtantes & infallibiles: propoſitio autem innixa revelationi privatæ, prout facta propoſitio à particulari perſona, fallibilis eſt.

S. Birgitt.

Col-

Revelationes privataque cõtrariæ videntur.

385 Colligitur ex dictis, revelationes privatas, quamvis inter ſe contrariari videantur (vt aſſerente vna, Chriſtum quatuor clavis fuiſſe crucifixum, altera vero dicente, quod ſolum tribus) inſimul permitti, & ſuſtineri poſſe; quoniam neutra tollit opinandi rationem, nec cuilibet earum aſſentiri tenemur; quapropter probabili ratione vtraque committitur pietati fidelium, & de facto ambæ permittuntur, quin earum neutra damnetur.

386 Nunc igitur reddimus ad vos, Sorbonici Cenſores, vt non trepidetis timore, vbi non eſt ratio timendi. Aſſerat S. Birgitta, ſe ſcribere veritatem certam: ipſa ſcribit quod Dominus, vel domina ſcribere præcipiunt: nobis autem ex eo ſolum, veritas certa non eſt: ipſa refert ſe ſcribere veritatem certã, & ipſa cognoſcit, nos non teneri ad aſſentiendum ſuæ propoſitioni tanquam veritati certæ, conſtanti, & infallibili. Conſimilitèr noſtra V. Author refert, ſibi Dominum dixiſſe: *Myſteria relata in Myſtica Civitate Dei non eſſe Opiniones, nec contemplationes, ſed veritatem certam:* Et ipſa cognoſcit & profitetur, tales veritates non obligationi, ſed pietati Fidelium eſſe commiſſas, de quo jam ſupra nu. 342. Non peccavit referendo, quod referre valuit ſine peccato. Dixiſtis, quod propoſitio ejus eſt falſa, temeraria, & ſcandaloſa, & authoritati Eccleſiæ derogans. Vidimus quod non derogat authoritati Eccleſiæ: nec erit ergo falſa, temeraria, nec ſcandaloſa. Hoc igitur Articulo ſic relicto, vltra ſortem ſatisfactione protenſa, tranſeamus ad alium.

ARTIC. V.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

387 PAg. 123. num. 107. *Et nos Angeli Domini adoremus, & honoremus beatam illam Fœminam, quæ datura eſt carnem humanam Verbo æterno: & agnoſcamus illam pro Reginâ & Dominâ noſtrâ.*

388 Pag. 168. num. 181. *Beata generationes, quæ videbunt illam, & quæ poterunt proſterni pedibus ejus, & illam adorare.*

Pag.

389 Pag. 370. num. 328. *Angeli cuſtodes dulciſſimæ Filiæ cum aliorum Angelorum multitudine magnâ adoraverũt eam, & obſequia illi ſua exhibuerunt, cùm eſſet in ulnis Matris ſuæ.*

390 Pag. 377. n. 334. *Sancti Angeli adoraverunt, & honoraverunt in Throno Altiſsimi Mariam Sanctiſsimam.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

391 HÆ *quatuor Propoſitiones, quatenùs in illis indiſtinctè, & iiſdem terminis exprimitur Adoratio exhibenda Beatiſsimæ Virgini, quibus Deo ipſi, & homini Deo exhibita exprimitur pag. 99. & 100. falſæ ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ, & in errorem inducentes.*

CENSVRA SUPPOSITITIA.

392 L*icèt adorationis nomen æquivocè ſumatur, & aliquandò in Scripturis, & nonnullis Patribus pro honore creaturis debito vſurpetur; tamen cùm ex Eccleſiæ vſu terminus ille vſurpari debeat, ad ſignificandum ſupremum cultum ſoli Deo debitum, nec poſſit ſine periculo ſcandali creaturis communicari. Hæ Propoſitiones, quatenùs eôdem adorationis terminô cultum exprimunt exhibitum, vel exhibendum Beatiſsimæ Virgini, quô ipſi Deo exhibitus ab Authore exprimitur, ſcandaloſæ ſunt, & in errorem inducentes. Quatenus autem dicunt ſanctiſsimam Virginem adoratam ab Angelis, ſtatim vt ipſi creati ſunt, & ſtatim atque ipſa nata eſt, tum etiam adoratam in Throno Altiſsimi: reſpectivè temerariæ ſunt, & falſæ.* Sic eſt in Artic. 3. Cenſuræ Suppoſititiæ.

CONCERT. VI.

SVPER PROPOSITIONES CONFIXAS in hoc Articulo 5.

393 OCCVRRUNT videnda 1. Diſcordia inter Verſionem Gallicam & Originale Hiſpanum. 2. Mens ge-

genuina Venerabilis Abbatiſſæ. 3. Concordia V. Authoris cum SS. PP. & Claſicis Doctoribus. 4. Conſonantia propoſitionum, alijs revelationibus privatis. 5 Vitia principalia vtriuſque Cenſuræ.

§. I.

OSTENDITVR DISCORDIA INTER Verſionem Gallicam, & primum exemplar Hiſpanicum.

Textus Hiſpan. 394 PRIMÆ propoſitionis Textus Hiſpanus: *Y noſotros, ò Eſpiritus de el Señor, adoremos, y reverenciemos à eſta dichoſa Muger, que ha de dàr carne humana al Eterno Verbo, y reconozcamosla por nueſtra Reyna, y Señora.* Uerſio de Hiſpano in latinum: *Et nos, ò Spiritus Domini, adoremus, & veneremur hanc fœlicem Mulierem, quæ datura eſt carnem humanam Æterno Verbo, & recognoſcamus eam, tanquam Reginam noſtram & Dominam.* *Verſio ex Gallico.* Verſio fidelis de Gallico in latinum: *Et nos Angeli Domini, adoremus & honoremus Beatam illam Fœminam, quæ datura eſt carnem humanam Verbo Æterno, & agnoſcamus illam pro Regina & Domina noſtra.* *Diſcordia.* Nulla videtur ſubſtantialis diſcordia, eo ſolum notato, quod pro verbo *veneremur* vertit *honoremus.*

Textus Hiſpanus. 395 Secundæ propoſitionis Textus Hiſpanus: *Bienaventuradas las generaciones, que la vieren* (ideſt Sacratiſsimam Virginem) *que podràn poſtrarſe à ſus pies, y adorarla.* Verſio de Hiſpano in latinum: *Beatæ generationes, quæ viderint eam, quia poterunt proſterni ad pedes ejus, & eam adorare.* *Verſio ex Gallico.* Verſio de Gallico in latinum: *Beatæ generationes, quæ videbunt illam, & quæ poterunt proſterni pedibus ejus, & illam adorare.* *Diſcordia.* In primis verbum *videbunt* ſtrictè non idem ſignificat, ac verbum *viderint*, legitimè correſpondens huic Hiſpanicæ voci, *vieren*, vt liquet conſideranti; ſubſtantialis vero diſcordia non eſt. Præterea conjunctio illa, *& quæ poterunt* disjunctionem indicat inter videntes, & adorantes, tollendaque videtur conjunctio *&*, juxta proprietatem Hiſpanici Originalis.

Ter-

396 Tertiæ propoſitionis Textus Hiſpanus: *Los Angeles de Guarda de la dulze Niña con otra gran multitud la adoraron, y reverenciaron en los brazos de ſu Madre.* Verſio de Hiſpano in latinum. *Angeli Cuſtodes dulcis Puellæ cum alia magna multitudine adoraverunt illam, & venerati ſunt eam in brachijs Matris ejus.* Verſio de Gallico in latinum, prout jacet in Cenſura (aliam quippè vidi Verſionem de Gallico in latinum, quæ in aliquibus diſcordat ab haccè; ſequor vero nunc, & ſequar in poſterum Verſionem de Gallico in latinum in Articulis Cenſuræ collocatam, quam è Gallia in Hiſpaniam accepimus tranſmiſſam, & quatenùs in celebri illo tractatu, cui titulus: *Cenſura Cenſuræ*, expreſsè continetur) *Angeli Cuſtodes dulciſsimæ Filiæ cum aliorum Angelorum multitudine magna adoraverunt eam, & obſequia illi ſua exhibuerunt, cum eſſet in ulnis Matris ſuæ.* Loco vocis *Puellæ* adferunt vocem *Filiæ.* Cæterum verbum illud Hiſpanicum, *reverenciarō*, non legitimè vertitur in illa verba, *& obſequia illi ſua exhibuerunt*, etſi parum diſtent à proprietate rei. *Textus Hiſpan.* *Verſio ex Gallico.* *Diſcordia.*

397 Quartæ propoſitionis Textus originalis: *Los Santos Angeles adoraron, y reconocieron de nuevo en el Trono del Altiſſimo à Maria Santiſsima, por Madre futura del Verbo.* Verſio de Hiſpano in latinum: *Sancti Angeli adoraverunt, & recognoverunt de novo in Altiſsimi Throno Mariam Sanctiſsimam, tanquam Matrem futuram divini Verbi.* Verſio de Gallico in latinum: *Sancti Angeli adoraverunt, & honoraverunt in Throno Altiſsimi Mariam Sanctiſsimam.* In primis clauſula originalis truncata conſpicitur in propoſitione Cenſuræ, & ſenſus mutatus. Aliud quidem eſt, cognoſcere de novo Sacratiſsimam Virginem in Throno Altiſsimi, tanquam Matrem futuram divini Verbi, & aliud abſolutè cognoſcere Mariam Sanctiſsimam in Throno Altiſsimi. Hoc ſecundum, minùs indicat quam primum; præterquam quod explicat quid diſtinctum. Cognoſcere de novo Sacratiſsimam Virginem in Altiſsimi Throno tanquam Matrem futuram divini Verbi, explicat duo, & videre Reginam Cœli in Altiſsimi Trono, & eam de novo cognoſcere tanquam Matrem futuram divini Verbi. Hoc ſecundum, omiſerunt Deputati, ſi error non eſt in Gallica traductione. Verbum inſuper, *honoraverunt*, proprietate caret ſignificationis Originalis; nam illa vox Hiſpana, *reconocieron*, aliud exprimit, ibi præcipuè ex con- *Textus Hiſpanus.* *Verſio ex Gallico.* *Diſcordia.*

textu, quam vox latina, *honoraverunt.* Strictè quippè loquendo, *Reconocieron de nuevo* in Hiſpano idiomatè cum omni proprietate ſignificat, *iterum cognoverunt*; & hoc quidem ex terminis non ſatis ſignificatur per verbum *honoraverunt.* Hæc de diſcordia inter verſionem Gallicam, & Originale Hiſpanum; etenim quanquam ſubſtantialis non ſit ad præfixum Cenſuræ terminum; reſpectu tamen impropriæ Verſionis placuit indicare diſcrimen.

§. II.

GENVINA MENS VENERAB. ABbatiſſæ ex Operis contextu manifeſtè comprobatur.

398 ADORATIONEM Latriæ fore debitam ſoli Deo Omnipotenti, vti Supremo Domino, expreſsè fatetur V. Author 1. part. Myſticæ Civitatis Dei num. 557. vbi loquens de virtute Religionis à lin. 18. ait ſic: *De las obras exteriores ſe comprehende aqui la adoracion* Latria, *que es la ſuprema, y debida à ſolo Dios.* Et num. ſequenti 558. à lin. 15. iterum repetit: *Dulia es la que reverencia à los que tienen alguna participacion de la excelencia, ò dominio del Supremo Señor, que es Dios, à quien toca el culto de la adoracion Latria.* Ergo juxta contextum ipſius primæ partis Myſticæ Civitatis Dei, quam vos quidem legiſtis & judicaſtis, ò Cenſores Sorbonici, apertiſsimè conſtat, quod Venerabilis Mater nunquam voluit, Sacratiſsimam Virginem adorari adoratione ſoli Deo debita. Dato igitur, quod aliquando abſolutè hac voce *adorationis* vteretur V. Author, intelligenda erat cum expreſſa reſtrictione & modificatione, qua non foret ſibi contraria; nam ex Clementina *Exijt qui ſeminat, &c.* tit. de verborum ſignificatione: *Quod ſemel dictum eſt modificatione aliqua, ſemper modificatione ipſa in eodem opere debet intelligi:* nunquam ergo V. Abbatiſſa ſic intelligi debet, quod Sacratiſsimæ Virgini Mariæ tribuatur adoratio, Deo ſoli debita.

Myſt. Civ. Dei, 1. p.

Clement. Exijt.

399 Præterea, nihil ita repetitum in Libris Myſticæ Civitatis Dei reperies, quã quod Sacratiſsima Uirgo eſt pura Creatura, non ſolũ inferior Deo, ſed & humanitati deificatæ Chriſ-

ti Domini. Hoc varijs in locis ipſius Operis legitur in terminis; ſelegi tamen ex alijs innumeris numeros ſequentes. 1. part. nu. 43. 57. 66. 277. 419. 592. Et 2. part. num. 16. 53. 100. 101. 847. 917. 1189. Et 3. part. nu. 12. 13. 21. 29. 39. 370. & 539. Vt autem nō omnia lectorū faſtidioſo laboritio relinquam, ſaltē vnū ex citatis numeris tranſcribam. Sit itaque n. 277. primæ partis à lin. 12. vbi ait: *No pudo igualarſe abſolutamente con ſu Hijo Santiſsimo con igualdad Mathematica, porque Chriſto nueſtro Señor era hombre, y Dios verdadero, y ella*, ideſt Maria SS. *era pura criatura, y por eſto la medida excedia infinito à lo que era medido con ella; pero tuvo Maria Puriſsima cierta igualdad de proporcion con ſu Hijo Santiſsimo; porque aſsi como à èl nada le faltò de lo que le correſpondia, y debia tener como Hijo verdadero de Dios, aſsi à ella nada le faltò, ni tuvo mēgua en lo q̄ ſe le debia, y ella debia, como Madre verdadera de el miſmo Dios, &c.* Eadem claritate, etſi diſtinctis expreſsionibus mirabilibus, in alijs nuper cit. numeris idipſum de inferioritate Reginæ Matris reſpectu Chriſti continetur. Longè igitur eſt, & ſemper fuit, V. Author ab errore, quod Sacratiſsima Virgo, adoratione ſoli Deo debita, adorari deberet.

Myſt. Civ. Dei. trio. in to n.

400 Quoniam autem ex proximiori & viciniori contextu, quamlibet ex quatuor propoſitionibus Notatis, in ſenſum legitimum, dictis conformem, educere putamus; primam primum, aliaſque poſtea ſigilatim aſſumamus per ordinem. Prima ſic eſt: *Et nos Angeli Domini adoremus, & honoremus beatam illam Fœminam, quæ datura eſt carnem humanam Verbo Æterno: & agnoſcamus illam pro Regina & Domina noſtra.* Hoc, inquiunt, legitur num. 107. primæ partis. Diſimulant, vel obliti ſunt Cenſores Sorbonici, qua occaſione dicta fuerit ab Angelis Sanctis hujuſcemodi propoſitio. Etenim à num. 82. refertur prælium magnū quod factum eſt in Cœlo, & quomodo Michael & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli ejus, & non prævaluerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in Cœlo. Narratur num 83. & 84. quomodo omnibus Angelis, bonis & malis, hucuſque bonis, in ſtatu viatorum tria fuerunt ab Omnipotenti impoſita præcepta. Primum, vt adorarent Dominum Deum, tanquam Supremum Dominum & Creatorem eorum. Secundum, vt adorarent Chriſtum Dominum, tanquam

Prima propoſit.

Myſt. Civ. Dei, 1. p.

eorum Caput, ad hocque revelatum fuit eis Myſterium Incarnationis. Tertium, vt adorarent & recognoſcerent tanquam Reginam & Dominam eorum, Digniſsimam Matrem ipſius Chriſti. Sic legitur num. 90 à lin. 6. *Sucedió en eſto otro Miſterio; que quando ſe les propuſo à todos los Angeles avian de obedecer al Verbo humanado, ſe les puſo otro precepto, de que avian de tener juntamente por Superiora à vna muger, en cuyas entrañas tomaria carne humana eſte Vnigenito del Padre; y que eſta muger avia de ſer ſu Reyna, y Señora de todas las criaturas. Los buenos Angeles en obedecer eſte precepto del Señor ſe adelantaron, &c. Pero Lucifer, y ſus confederados con eſte precepto, y Miſterio, ſe levantaron a mayor ſobervia, &c.* Prælium magnum Angelorum proſequitur vſque ad num. 107. vbi eſt clauſula à Deputatis confixa. Nunc ex proximo contextu conquiſitus propoſitionis ſenſus apparet. Adorare Dominum, tanquam Supremum Creatorem; adorare Chriſtum, tanquam Caput Angelorum & hominum; & adorare Sacratiſsimam Virginem, Matrem Chriſti futuram, tanquam Reginam Angelorum, & Dominam omnium Creaturarum: eſt adorare Sacratiſsimam Virginem adoratione ſoli Deo debita? Hoc eſt adorare Sacratiſsimam Virginem, adoratione æquivoca cum adoratione divina? Præceptum erat Angelis, vt adorarent fœlicem illam Fœminam, futuram Matrem divini Verbi, tanquam Dominam Angelorum, & Reginam omnium Creaturarum. Et quid dicunt Angeli boni in propoſitione confixa? *Et Nos Angeli Domini, adoremus, & honoremus beatam illam Fœminam, quæ datura eſt carnem humanam Verbo Æterno: & agnoſcamus eam pro Regina & Domina noſtra.* Quaſi dicerent, noluerunt obedire alij Angeli rebelles, nos ergo Angeli Domini impleamus præceptum nobis impoſitum, & adoremus, & honoremus futuram Matrem Æterni Verbi, agnoſcamuſque illam pro Regina & Domina noſtra, ſicut nobis præceptum eſt. Hic eſt legitimus ſenſus primæ clauſulæ confixæ: vide quam longè diſtet a ſenſu, in quo accipitur à Cenſoribus.

Context.

Secunda propoſit.

401 Secunda propoſitio confixa prout jacet in Articulo Cenſuræ, ſic eſt: *Beata generationes, quæ videbunt illam, & quæ poterunt proſterni pedibus ejus, & illam adorare.* Sumpta comprobatur ex num 181. pertinetque ad caput 13. 1. partis, vbi refertur quomodo Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad fœliciſsimam

An-

Annam deſponſatam Ioachim, nuntians ei Conceptionem Sacratiſſimæ Uirginis Mariæ, electionemque ejus in Altiſsimi Matrem. Et num. 177. qui primus eſt e uſdem capitis], expreſsè dicitur, Matrem futuram Verbi aſſumendam fore ex creaturis, ibi: *Ha de ſer electa entre millares, y ſobre todas las criatures ha de ſer acceptable*, *&c.* Et paulò ante, eodem num 181. vbi repetitur clauſula Notata, ſimilitèr dicitur, futuram Matrem Verbi ex creaturis eligendam, ibi: *Es poſsible, que el Altiſsimo ha de baxar de ſu Santo cielo? Es poſsible, que ha de tener Madre en la tierra? Que muger ſerà tan dichoſa, y bienaventurada! O quien pudiera verla! Quien fuera digna de ſervir à ſus ſiervas!* Loquitur SS. Anna, & immediatè ſequitur propoſitio à Deputatis cōfixa: *Bienaventuradas las generaciones, &c.* Quomodo ergo, vel quo fundamento intelligendum eſt à ſanè legentibus, voluiſſe V. Abbatiſſam tribuere Sacratiſsimæ Virgini adorationem ſoli Deo debitam, dum verbis immediatis antecedentibus ſic ſtupet, quod voluerit Deus eligere Matrem in terris, & fœlicitatem extollit beatiſsimæ fœminæ in Dei Matrem eligendæ, ex ratione quod ſemper fuerit & manſerit pura creatura! *Myſt Civ. Dei, 1.p.*

402 Tertia propoſitio confixa ex num. 328. ejuſdem primę partis Myſticæ Civitatis Dei deſumpta, ſic ait: *Angeli Cuſtodes dulciſsimæ Filiæ cum aliorum Angelorum multitudine magna, adoraverunt eam, &c.* Numero antecedenti, qui eſt 327. expreſsè dicitur, quod Sacratiſsima Virgo erat pura creatura, inferior Deo, &c. ibi: *Recibiò Santa Ana en ſus manos a la que ſiendo hija ſuya, era juntamente el teſoro mayor del Cielo, y tierra; en pura criatura, ſolo a Dios inferior, y ſuperior a todo lo criado, &c.* Et nu. 329. qui eſt immediatè ſubſequens ad 328. vbi legitur Notata propoſitio, dicitur, quod Princeps glorioſiſsimus Gabriel Arcangelus evangelizavit Limbi Patribus nativitatem Meſsiæ Matris, quantumque manus Omnipotentis in ea cœperat operari: *Anunciòles, que yà era nacida la que ſeria Madre del Meſsias prometido. Y diòles noticia el Santo Principe de las excelencias de Maria Santiſsima, y de lo que la mano del Omnipotente avia començado à obrar en ella:* Semper ergo in omnibus V. Abbatiſſæ teſtimonijs oſtenditur Sacratiſsima Virgo Maria, inferior Deo, & pura creatura exaltata à Deo: ergo abſque fundamento impu- *Tertia prop. expont.*

tatur V. Authori, quod voluerit adorari Sacratiſsimam Uirginem Mariam adoratione ſoli Deo debita.

Quarta prop. exponitur.

403 Quarta propoſitio cõfixa, ex n. 334 decerpta, ait ſic: *Sãcti Angeli adoraverũt, & honoraverũt in Throno Altiſsimi Mariã Sanctiſsimã:* Et nullo alio interpoſito proſequitur in textu, quod omiſſerunt Deputati; *tanquam Matrem futuram Verbi, eorumque Dominam & Reginam:* Hiſpano idiomate: *Los Santos Angeles adoraron à Maria Santiſsima por Madre futura del Verbo, y por ſu Reyna, y Señora:* Ergo ex ipſis Notatæ propoſitionis verbis, ſi integrè tota propoſitio, prout in Originali conſpicitur, attentè legatur, liquet evidentèr, quod Sancti Angeli non adoraverunt Sacratiſsimam Virginem tanquam Deum, ſed tanquam Matrem Dei; non adoratione ſoli Deo debita, ſed adoratione Supremæ creaturarum competenti. Adoraverunt eam, tanquam futuram Matrem Uerbi, & tanquam Reginam & Dominam Angelorum. Adoraverunt igitur eam ſicuti eſt, nihil Reginæ Cœleſti tribuentes vltra id, quod Eccleſia Catholica de facto profitetur, dũ ab vniverſis Eccleſiæ fidelibus vocatur, *Mater Chriſti, Regina Angelorum, Domina Angelorum, &c.*

404 Conſtat igitur ex contextu totius Operis Myſticæ Civitatis Dei, ex proximiori contextu antecedentium & conſequentium, V. Authorem nunquam tribuiſſe Sacratiſsimæ Virgini Mariæ adorationem ſoli Deo debitam; ſenſumque legitimum V. Abbatiſſæ, vociſque, *adorationis*, in clauſulis & propoſitionibus confixis, ſic eſſe, vt abſque violentia manifeſta ad id genus adorationis ſupremæ, qua adoratur Deus, accommodari non poſsit.

405 Id autem quod dicitur à Cenſoribus; in relatis, ſcilicèt, propoſitionibus confixis, indiſtinctè, & iiſdem terminis exprimi adorationem exhibitam, vel exhibendam Beatiſsimæ Virgini, quibus Deo ipſi & homini Deo exhibita exprimitur pag. 99. & 100. ex ipſo textu convincitur, non ſic eſſe. Etenim pag. 99. correſpondet num. 87. vbi dicitur, præceptum fuiſſe Angelis, vt Deum vnum in ſubſtantia, & Trinum in Perſonis adorarent, & tanquam Creatorem ſuum, & Supremum Dominum, infinitum in eſſe, & in perfectionibus, &c. ibi àlin 8. *Lo primero tuvieron inteligencia muy expreſſa* (loquitur de Angelis via-

Collatio propoſitionum.

to-

toribus) *de el ſer de Dios, Vno en ſubſtancia, y Trino en Perſonas, y recibieron precepto de que le adoraſen, y reverenciaſen como a ſu Criador, y Sumo Señor, infinito en ſu ſer, y atributos.* Nunquid hic adoratam, vel adorandam vidimus Sacratiſsimam Virginem in propoſitionibus Notæ ſubjectis? Præterea pag. 100. quæ correſpondet num. 88. dicitur, Deum manifeſtaſſe ijſdem Angelis Secundam Perſonam SS. Trinitatis aſſumpturam eſſe naturam humanam, ipſiſque injunctum fuiſſe præceptum, vt adorarent & recognoſcerent vti Caput eorũ Suppoſitũ illud, hominem Deũ, non ſolum tanquam Deum, ſed ſimùl etiam tanquam hominem, &c. ibi a lin. 7. *Se les diò mandato à los Angeles, que à aquel ſupueſto hombre, y Dios avian de reconocer por Cabeça, no ſolo en quãto Dios, pero juntamente en quanto Hombre, &c. y que los miſmos Angeles avian de ſer ſus inferiores, &c.* Non advoco ſapientes & ſenſatos, ſed ſimplices & ruſticos, qui legere ſciant: hi judicent, ſi ijſdem terminis explicatur adorare Deum vnum in ſubſtantia, & Trinum in perſonis, tanquam Creatorem, & ſupremum Dominum, infinitum in eſſe, &c. adorare Chriſtum, hominem Deum, tanquam Caput Angelorum & omnium creaturarũ; & adorare Sanctiſsimam Virginem Mariã purã creaturam, tanquam Angelorum Reginam, & Dominam, Matrem Dei futuram, &c? Hæc enim fallatia ex terminis propoſitionum ſatis liquet, ſimùlque genuina V. Abbatiſſæ mens in propoſitionibus confixis ex allata convinatione doctrinarum.

§. III.

CONCORDIA V. ABBATISSÆ CVM *Scriptura Sacra, Sanctis Patribus, & Doctoribus.*

406 QVANQVAM ſatis ex dictis evanuerit vtriuſque Cenſuræ fũdamentum, ſiquidem non abſolutè, ſed modificatione relata ex Operis contextu, Sacratiſsimæ Virgini Mariæ tribuatur adoratio; adhuc vltra progrediar. Dicam igitur, quod quamvis modificatio dicta non ſtaret, Notatæ propoſitiones ſine offenſione catholicæ veritatis poterant ſuſtineri. Ad id oſtendam, quod non vbicunque legitur vox *adorationis*, ſi-

ſivè in Scripturis Sacris, ſivè in Doctorum libris, etſi abſolutè prolata, intelligitur *adoratio Latriæ*: ex quo ſequetur, quod tametſi in divina Hiſtoria Myſticæ Civitatis Dei abſolutè diceretur, quod non dicitur, Sacratiſsimam Virginem fuiſſe ab Angelis, ſivè ab hominibus adoratam, non exinde fuiſſe adoratam adoratione Latriæ licebat interpr ætari.

407 Primum ex multis Scripturæ Sacræ teſtimonium ſu-
Geneſ.43. mamus ex Geneſ. 43. v. 26. vbi dicitur de fratribus Ioſeph: *Obtuleruntque ei munera, & adoraverunt proni in terram*; ſed adoratio hæc, quæ abſolutè profertur, non vſurpatur pro adoratione ſoli Deo debita: Ergo, &c.

Geneſ.30. 408 Sit ſecundum, ex eodem lib. Geneſ. 30 à verſ. 3. vbi etiam dicitur, quod Iacob *adoravit*. Eſau *pronus in terram ſepties*. Et verſ. 6. *Apropinquantes ancillæ & filij earum, incurvati ſunt*. Et verſ. 7. *Acceſsit quoque Lia cum pueris ſuis, & cum ſimilitèr adoraſſent; extremi Ioſeph & Rachel adoraverunt, &c.* ſed nulla ex his adorationibus, quamvis abſolutè vox *adorationis* profertur, vſurpatur pro adoratione ſoli Deo debita, aliàs & Iacob & cuncta familia ejus in idolatriam incurriſſent, quod abſit: Ergo, &c.

3. Reg. 2. 409 Sit tertium, ex 3. Reg. 2. v. 19. vbi legitur: *Venit ergo Bethſabee ad Regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia: & ſurrexit Rex in occurſum ejus, adoravitque eam, &c.* Sed nec adoratio hæc pro adoratione ſoli Deo debita vſurpatur: Ergo, &c. Si dixeritis, quod Bethſabee Sacratiſsimæ Virginis figuram præſeferebat: ex hoc ipſo amplius & efficatiùs noſtrum vrget argumentum.

410 Sit quartum & vltimum (alijs innumeris omiſsis Scrip-
Apoc.19. turæ Sacræ propoſitionibus, relatis ſimilibus) ex Apocalyp. 19. v. 10. vbi dicitur: *Et cecidi* (loquitur Ioannes) *ante pedes ejus*, id eſt Angeli, *vt adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, &c.* in quo datur intelligi, ſæculis ante lapſis vſque ad Incarnationem divini Verbi, adorationem Angelorum fuiſſe hominibus permiſſam, ſicut fecit Abraham Geneſ. 18. v. 2. Et 2. part. Myſticæ Civitatis Dei num. 131. à lin. 8. id-
Myſt Civ. Dei, 2. p. ipſum ſic explicatur: *Viò la divina Princeſſa de los Cielos* al Santo Arcangel Gabriel, *y mirò e con ſuma modeſtia, y templança, no mas de lo que baſtava para reconocerle por Angel del Señor. Y co-*

no-

nociendole con ſu acoſtumbrada humildad quiſo hazerle reverencia; no lo conſintiò el Santo Principe, antes èl la hizo profundamente, como à ſu Reyna, y Señora, en quien adorava los divinos Miſterios de ſu Criador: y junto con eſſo reconocia, que yà deſde aquel dia ſe mudavan los antiguos tiempos, y coſtumbre, de que los hombres adoraſſen à los Angeles, como lo hizo Abraham: porque lebantada la naturaleza humana à la dignidad del miſmo Dios en la Perſona del Verbo, yà quedavan los hombres adoptados por hijos ſuyos, y compañeros, ò hermanos de los miſmos Angeles, como ſe lo dixo al Evãgeliſta San Iuan, el que no le conſintiò adoracion. Conſonat noſter Inſignis Nicolaus de Lyra ſuper 19. Apoc. v. 10. *Adorationem Ioannis Angelus renuit, quia poſt Incarnationem Filij Dei, per quã humana natura aſſumpta eſt à ſuppoſito Verbi, Angeli reformidant, ſic venerari à natura humana, quam vident ſuper ſe elevatam in Filio Dei.* Nunc reddimus ad punctum: ſed adoratio ab hominibus Angelis collata, in Scripturis Sacris expreſſa; imò & ea, quę ab Apoſtolo Ioanne fuit Angelo ſaltem initialitèr præſtita, quamvis ab Angelo non acceptata, explicatur abſoluta voce *adorationis*, vt patet in illis verbis: *Cecidi ante pedes ejus, vt adorarem eũ, &c.* & tamen non vſurpatur pro *adoratione ſoli Deo debita*: Ergo, &c. *Lyra.*

411 Ad authoritates SS. PP. & DD. devenientes, agrum ſelectiſsimis plenum offerimus tom. 1. Bibliothecæ Virginalis tract. R. D. Adami Brovveri, cui titulus: *Salutatio Angelica coronata, &c.* §. 3. ſecunda praxi fol. 62. col. 2. vbi ſeptem Adorationes Sacratiſsimæ Virgini tribuendas exornat. Et eodem tomo, tractatu percelebri Alexij à Silò, cui titulus: *Ars piè amandi, & colendi Deiparam, &c.* à fol. 245. cap. 11. de Adoratione Angelorum, dicitur: *Scire eſt neceſsè, hanc adorationis vocem latè patere, & Deum, Homines, Angeloſque complecti. Ita videmus in pluſculis Sanctæ Scripturæ locis, tùm in Dei cauſis, tùm in creaturarum ejus, vſurpari. Sic legimus ab Iſraelitis, nunc Deum, nunc ſuum Regem Davidem adorari.* Paralip. 29. *Et inclinaverunt*, inquit, *& adoraverunt Deum, & deinde Regem. Et Filij Iacob leguntur, fratrem ſuum jam toti Ægypto imperitantem adoraviſſe,* Geneſ. 42. cumque adoraſſent eum fratres ſui, &c. *Quapropter conſulto Doctores noſtri, certas ſibi voces delegere, quibus aptè varias adorationum ſpecies diſtinguerent, nempè Latriæ, Duliæ, & Hy-*

Bibliothec Virg to. 1.

Adami Brovver.

Alexius à Silo.

peraulia, &c. Vbi notandum, Scripturam Sacram eadem voce adorationis, ſine vocis diſcrimine, explicaſſe adorationem Dei & Regis; ad Doctores autem Eccleſiæ pertinuiſſe diſtinctas ſeligere ſibi explicationes, ad adorationum ſpecies diſtinguendas.

412 Ne autem formalitatis argumenti noſtri apicem relinquamus, eodem tractatu fol. 246. col. 1. legitur ſic: *Dicamus ergo, Angelos atque homines honore dignos, à nobis oportere adorari. Eſt fidei articulus* (inquit Suarez) *Felicis Papa, hujus nominis Primi, diffinitione certus*, Concilij Romani, & Synodi 7. calculis authoratus. Et ſtatim ſubjungit authoritatem Divi Auguſtini, qui de Petro loquens ait: *Infinita credentium multitudo Beatum Piſcatorem Petrum adorat.* Ex qua magni Aurelij authoritate ad formalitatem reddeo, & arguo ſic: Abſolutè dicitur quod magna hominum multitudo Petrum adorat, abſque ulla alia explicatione; ſed talis adoratio vſurpari non licèt pro adoratione ſoli Deo debita: Ergo, &c.

S. Auguſt.

413 Præterea eodem tractatu fol. 264. col. 2. lit. C. refertur obſervantiæ genus, adorandi Sacram Imaginem & Sanctum Mariæ nomen: verba ſunt hæc: *Quoties & vbicunque nobis velut in oculos Imago Deiparæ incurrit, ibidem toties nos decet caput aperire, & genuflectere, aut aliud genus venerationis oſtendere, vt more veterum Chriſtianorum receptum eſt. Idem obſervantiæ genus nobis vſurpandum eſt, quoties auribus noſtris venerabile nomen ejus inſſonuerit, quod nomen, Sancti majores noſtri olim tanti faciebant, vt S. Girardus Epiſcopus Pannoniæ totâ Diœceſi ſua edixerit, omnes caput humilitèr proclinare, & genuflectere, quoties Sanctiſsimum, & amabile magnæ Dei Matris Virginis nomen pronuntiaretur.* Sic Zacharias Liliusin ſuo Orbis Breviario, *verbo Pannonia.* Ex quo ſic: In adoratione relata, abſoluta voce vtitur adorationis; ſed non vſurpatur pro adoratione ſoli Deo debita: Ergo, &c.

In Bibliothec. Virginali.

Zach. Lilius.

414 Præterea eodem tractatu ſub tit. *Stellæ decimæ declaratio* fol. 283. col. 2. authoritate Fauſti dicitur ſic: *O Mater ſalutis, fons miſericordiæ, ſolis luce impartiris, mundo imperas, & ſtellas ordinas: cui elementa ancillantur: quam Angeli* adorando *venerantur, Dæmones trepidi reverentur: cui populi, Regeſque adgeniculantur, &c.* Ex quo ſimile ſicut ſupra efformatur argumentum.

Fauſt. in Bibliothec.

415 Eodem tractatu fol. 286. col. 2. ſub tit. *Stellæ duodecima declaratio*, duodecim ordinantur Mariæ adorationes. Et paulo

lò poſt áliæ adorationes duodecim leguntur ſic: 1. *Adoro te, ò MARIA, cum Cælitibus Angelis vniverſis.* 2. *Adoro te, ò MARIA, cum ordine Archangelorum.* 3. *Adoro te, ò MARIA, cum ordine virtutum.* 4. *Adoro te, ò MARIA, cum ordine Principatuum.* 5. *Adoro te, ò MARIA, cum ordine Poteſtatum.* 6. *Adoro te, ò MARIA, cum ordine Dominationum.* 7. *Adoro te, ò MARIA, cum ordine Thronorum.* 8. *Adoro te, ò MARIA, cum ordine Cherubinorum.* 9. *Adoro te, ò MARIA, cum ordine Seraphinorum.* 10. *Adoro te, ò MARIA, cum toto genere mortalium.* 11. *Adoro te, ò MARIA, cum animabus omnibus piè defunctorum.* 12. *Adoro te denique, ò MARIA, etſi poſſem, vellem te adorare, cum creaturis Cæli, Terræ, Inferniqùe vniverſis;* ſed in omnibus his adorationibus abſolutè vtitur voce nuda adorationis, quin vſurpetur pro adoratione ſoli Deo debita: Ergo, &c. *Bibliothec Marian.*

416 Præterea eodem celebri tractatu fol. 258. col. 1. ſub litt. B. dicitur loquendo de Gabriele Archangelo: *Verus Legatus, & Paranymphus eam ſalutavit: cumque fuerit verus Deiparæ* Adorator *pro officio, & rei dignitate, ſi caput, imò & genua, inclinaverit, quandoquidem paſsim piè creditur, & ipſe Archangelus caliē incurvaſſe, cum ipſe protulit, jam ſerio* Adorans *magna ſubmiſsione eam puellulam, quam Heram jam & Principem ſuam profitebatur.* Ex his & alijs innumeris locis, vbi in hocce tractatu abſolutè vtitur voce adorationis, authoritate SS. PP. & DD. eſtotmare licebit relatum argumentum noſtrum. *Ibid.*

417 Ne autem vltra modum progrediamur in doctrina ſic communi, authoritate ſapientis Idiotæ finem imponam. Ait ſic: *Trinitas Sacroſancta MARIÆ nomen impoſſuit.* Et paulò poſt: *In nomine MARIÆ omne genu flectatur Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, &c.* ſed adoratio hæc non vſurpatur pro adoratione ſoli Deo debita: Ergo, &c. Alia quamplura de adoratione Sacratiſsimæ Virginis Mariæ, & quomodo vſurpanda leguntur apud Caniſsium lib 5 de Maria Deipara cap. 16 fol 527. col. 1. & ſequentibus, vbi authoritate Angelici Magiſtri, & Seraphici Doctoris Bonaventuræ, aliorumque SS. PP. reſolvitur, adorationem Hyperduliæ debitam fore Reginæ Matri, vti Supremæ Creaturarum: quibus conſonat Venerab Abbatiſſa 1. part. Myſticæ Civitatis Dei num 558. à lin. 10. vbi loquens de virtute obſervantiæ, ibi adjungit adorationem Duliæ, majorem, vel mi- *Idiota.* *Angel. D.* *Myſt. Civ. Dei.*

norem juxta majorem vel minorem excellentiam adorandæ creaturæ. Verba Hiſpana ſunt hæc: *Dulia es la que reverencia à los que tienen alguna participacion de la excelencia, ô dominio del Supremo Señor, q̃ es Dios, à quien toca el culto de la adoracion* Latria. *Por eſto honramos à los Santos con adoracion, ò reverencia de Dulia, y tambien à las ſuperiores dignidades, cuyos ſiervos nos maniſeſtamos, &c.* Et num. 557. à lin. 1. dixerat: *Deuda juſta es dàr culto, y reverencia à los que ſon ſuperiores à noſotros; y ſegun la grandeza de ſu excelencia, y dignidad, y los bienes que de ellos recibimos, ſerà mayor, ò menor nueſtra obligacion, y el culto, &c.* Si autem nõnullas oppoſuerint Cenſores SS. PP. authoritates, aſſerentes, quod *ſolus Deus eſt adorandus*; de adoratione Latriæ, ex alijs DD. imò & ex ipſis SS. PP. diverſis in locis novimus exponendas; præterquam quod nihil contra V. Abbatiſſam, modum adorationis ſic crebrò diſtinguentem. Cœterum, cum argumentum ſit commune, reſpondere compelluntur, quotquot catholicè profitentur, Imagines Sacras, & Sanctorum Reliquias eſſe adorandas. Nec majoré poſtulat extenſioné aſſumptum, quod pro ſe habet communiſsimum & vniverſalem Eccleſiæ Catholicæ vſum.

418 Modo reſtant confixarum propoſitionum circunſtantię, videlicèt, Angelos in ſtatu viatorum adoraſſe Sacratiſsimam Virginem, vt futuram Matrem Æterni Uerbi, eamque jam natam adoraviſſe in Throno Altiſsimi.

419 Adeſt pro prima, ferè communis Theologorum & SS. PP. ſententia, aſſerentium, Angelis viatoribus revelatum fuiſſe Myſterium Incarnationis. Alexander de Ales, tract. ſuper Miſſus eſt, apud Bibliothec. Uirginalem tom. 1. fol. 166. col. 1. ſolum negat, ſciviſſe Angelos circunſtantias aliquas Incarnationis, ſcilicèt quod de hac numero Virgine, & tali determinato die Verbum conciperetur, &c. Hoc tamen nihil obeſt, dum revelata concedatur Angelis Mater futura divini Verbi, quanquam de determinato perſonæ nomine maneret occultũ Sacramentũ.

Alexand. Alenſ.

420 Vtrumque deſiderabile, ſcilicèt revelatam fuiſſe Angelis viatoribus Matrem futuram Divini Verbi, ipſaſque ſpirituales intelligentias in ſtatu viæ humilitèr adoraſſe præcognitã Verbi Matrem, aſſeritur in celebri tractatu ſupra memorato doctiſsimi & pijſsimi Alexij à Silò cap. 7. fol. 221. Bibliothecæ col. 2. ſub litt. C. vbi ſic legitur: *Imò verò & Angeli ipſi, ſimul*

Alex. à Silò Biblio thecæ cit.

ac creati ſunt eam viderunt, (ſcilicet Sacratiſsimam futuram Matrem Verbi) *& ſubmiſsè ſeſe ingenuè proſternentes, eam adoraverunt vt prædeſtinatam & certo futuram, Heri, ac Principis ſui Parentem; & Dominam ſuam.* Quid clarius?

421 Cœterum, in eadem Bibliotheca tom 1 fol. 686 col. 1. authoritate Amadei ſic ſcribitur: *Tunc ego aperui* (loquitur, vt dicitur, Angelus Amadeo) *quomodo Deus a principio nobis revelaverat, ſe in vtero ipſius*, id eſt Virginis, *velle humanitatem aſſumere, imò & omnibus* (Angelis) *præcepiſſe, vt illum Deum hominem adoraremus, illique ſubijceremur, & non ſolum ſibi, ſed etiam ſuæ Genitrici, &c.* Et paulò poſt: *Hoc mandatum accepimus à Deo omnes, cum pacto, ſi illud ſervare vellemus, in gratia confirmaremur, & æternalitèr beati eſſemus; ſi vero illud præteriremus, extunc in æternum damnaremur. Lucifer videns tantam dignitatem hominis, invidit illi, quia nimium præſumptuoſus fuit, ſe tantam amando, & alia ſibi ſubijcere volendo: vnde ſuadebat omnibus, tale præceptum non eſſe obſervandum, inferens, quia nec juſtum erat; ſubitò enim, vt ſe inordinatè amavit, peccavit, & cum errare cœpit, præceptum Dei injuſtum exiſtimans, & quicunque ejus opinionem intelligendo, ſe potiùs amaverunt, quam Deum, omnibus viſum eſt mandatum illud injuſtum, voluit & nos pervertere. Sed ego cum iſtis fratribus meis, Michaele Duce, reſtitimus ei, & eum tanquam præſumptuoſum arguere cœpimus, omne illud, & Sanctum, & bonum aſſirmantes, quod voluntate Dei noſtri, qui neque errare, neque ignorare, neque pravè velle poteſt, placeret; quia quid ergo ille vult, cujus voluntas inordinatè velle non poteſt, vt rectè & juſtè velit: neceſsè eſt, ſi Creatori noſtro, ô Lucifer, placet, hominem fieri, & non Angelum, debet placere nobis, &c.* Conferantur quæ hic dicta ſunt, cum ijs, quæ de pugna Angelorum in Myſtica Civitate Dei leguntur. Defenſio autem Amadei, ab Authore Bibliothecę Virginalis elaborata, videri poteſt ipſo to. 1. à fol. 658. vſque ad fol. 685.

422 Alia propoſitio, qua dicitur, adoratam fuiſſe Sanctiſſimam Virginem in Altiſsimi Throno, duplicem habet partem, & eſſe adoratam, & eſſe in Altiſsimi Throno. Circa primum, jam ſatis; circa ſecundum, in Concertatione ſuper Articulum 14. vbi de elevationibus ejuſdem Sacratiſsimæ Virginis ad Cœlum in carne mortali Cenſura conſtructa eſt, videbitur ſtatuta diſputatio,

§. IV.

§. IV.

CONSONANTIA PROPOSITIONUM confixarum, doctrinis aliarum revelationum particularium.

423 CONSONANTIAM mirabilem doctrinarũ V. Abbatiſſæ Mariæ à Iesv circa propoſitiones in Articulo confixas, quilibet conjectare poterit ex ſequentibus aliarum revelationum authoritatibus.

S. Birgitt. lib. 4. 424 S. Birgitta to. 1. ſuarum revelationum lib. 4. cap. 107. fol. 482. col. 2. loquens de Sacris Corporibus SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, aſſerit ſibi Dominum dixiſſe: *Nunc autem potes quærere, ſi aliquem honorem corpora eorum habebant eo tempore, quo corpora eorum in puteo jacuerunt? Reſpondeo tibi, quod Angeli mei cuſtodiebant, & honorabant Corpora illa Beata; quia ſicut locus ille, excolitur, vbi roſæ, & plantæ ſeminandæ ſunt: ſic iſte locus Cathacumbas diù antea præparabatur, & honorabatur, de quo Angeli & homines lætharentur.* Si igitur inanimata terra, quoniam ad depoſitum Sanctorum à divina Providentia deſtinata, jam honore digna revelatur: quid mirum, ſi digniſsima Dei Parens prædeſtinata credebatur ad infinitam dignitatem, etiam à conſtitutione mundi Angelis veneranda, & adoranda revelaretur? Prætetea, ſi Corpora Sanctorum ab Angelis honorabantur ſine injuria divini honoris abſoluta voce honorationis: potuit ergo Sacratiſsima Cœli & Angelorum Regina abſque offenſione divini cultus adoratione recoli.

425 In eiſdem revelationibus tom. 2. Serm. Angelic. cap. 4. fol. 377. col. 2. dicitur ſic: *Creavit igitur Deus inenarrabilem Angelorum multitudinem, conferens eis liberum arbitrium faciendi juxta ſuum poſſe:* Ecce Angelos in ſtatu viatorum. Paucis itidé interjectis refert caſſum Angelorum malorum, glorificationemque S. Birgitt. bonorum; & loquens de Angelis bonis, ait ſic: *O omnium conſolatio Virgo Maria, hoc ipſum tu es, ad quod à principio ſuæ creationis tanta arſerunt charitate, &c.* Ecce quomodo à principio ſuæ creationis revelata fuit Angelis futura Mater Æterni Verbi.

Pau-

Paulò poſt proſequitur ſic: *Elevant etiam Angeli ſuper ſedem illá, Deo ſcilicèt propinquam, coronam quandam tantæ pulchritudinis, tantæque dignitatis, quod nullius majeſtas, niſi ſolius Dei, ipſam decebat excellere. Vnde, quamvis noverunt, Deum magnum honorem, & gaudium ex hoc veracitèr habere, quod ipſos creaſſet, majorem tamen honorem, & majus gaudium ex hoc Deo debere provenire videbant, quod tu ad tam ſublimem Coronã creari debebas. Et ideo ipſi Angeli de hoc magis exultabant, quod te Deus creare volebat, quam ex eo, quod ipſos creaverat. Sic tu, ò Virgo Sanctiſsima, Angelis, mox vt creati fuerunt, gaudium fuiſti. Et ſic verè Deus cum Angelis, & Angeli cum Deo de te, ò Virgo creaturarum omnium digniſsima, antequam crearerís intimè congaudebant.* Hæc omnia applicatione non egent, cum ſufficiat, illhæc cum alijs, quæ Venerabili Authori revelata ſunt, ex terminis comparare. Liquet etiam in dictis, ſedem fuiſſe ab æterno præparatam futuræ & digniſsimę Matri Verbi, vti Reginæ omnium creaturarum, juxta, vel in Altiſsimi Throno, vbi ſimilitèr prætioſa corona ab Angelis fuit compecta a principio ſuæ creationis.

426 In eiſdem S. Birgittæ revelationibus tom. 2. Sermone Angelico cap. 7 fol. 382. col 1. legitur ſic: *Sicut Angeli in Cælo ex hoc lætabantur, quod te, ò Mater Dei, ante mundi conſtitutionem naſcituram prævidebant; ita & Adam ex præſcientia tuæ Nativitatis, magnum gaudium & exultationem habebat:* Ergo & Angelis ab eorum creatione, & Adamo revelatum fertur Magnum Incarnationis Myſterium, ſimùl cum futuritione Sacratiſsimæ Virginis Mariæ, tanquam futuræ Matris divini Verbi. *Ibid. Ser. Angelico.*

427 Eodem Sermone Angelico cap. 20. fol. 400. col. 1. ſic legitur: *Impoſsibile videtur, quod aliquis humana ratione poſsit comprehendere, quantis honoribus Glorioſa Dei Genitrix in Cæli Palatio debuit ab omnibus venerari.* Et paucis interpoſitis dicitur: *Tunc denique ipſam Virginem tota Cæleſtis Curia ſummis laudibus exaltabat, eo quod ſua voluntas, ejus animam ita adornaverat, quod ſua pulchritudine omnes creaturarum pulchritudines excellebat; propter quod, & ipſi Creatori ſimillima apparebat. Huic ergo glorioſæ animæ ſedes glorificata, ipſi Trinitati propinquiſsima, ab Æterno conſtituta erat.* In his tria patent. 1. Veneratio Virginis ab Angelis in Cœlo. 2. Similitudo Reginæ Cœleſtis cum Supremo Creatore. *Ibid. c. 20*

3.

3. Sedes ab æterno præparata Sacratiſsimæ Virgini, juxta propemodum, vel in Altiſsimi Throno.

428 In eiſdem revelationibus lib. 4. cap. 108. fol 484. col. 1. loquitur Dei Filius: *Mater igitur mea, quando, & poſtquam nata fuit, ſic erat pulchra, quod nulla erat in ea macula. Quod bene cognoſcentes Dæmones, ſic ægre tulerunt, per ſimilitudinem loquendo, quaſi quod quadam vox Dæmonum tunc ſonuiſſet de Inferno dicens: Vna Virgo tam virtuosè, & mirabilitèr procedit, quod omnes ſuperat in terra, & in Cœlo, & perveniet vſque ad ſedem Dei. Sed & nos ſi procedimus contra eam, &c.* Obſerva, *Sedem Dei, &c.*

S. Birgitt. lib. 4.

429 Præterea, alijs locis omiſsis ex revelationibus divinis Sanctæ Birgittæ, ad divinas Intelligentias S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, in Eccleſia Catholica permiſſas, & dignè à Fidelibus receptas, diligentèr tranſeamus. Etenim lib. 4. cap. 20. cui titulus: *De Angelorum amore erga animas*, fol. 110. col. 1. in fine ita legitur: *Cuncti Angelici aſſurgunt Chori; aliquid ad Sponſæ honorem non agere haud ferentes. Vnde, quid aliud agerent non invenientes, novam, eam laudantes, renovant laudem, dicentes: Iſta eſt digna accipere nomen novum, & procidentes (cum in Sponſa Sponſus honoretur) adoraverunt eam.* Si ergo, quoniam in Sponſa Sponſus honoratur, adoratur Sponſa: Cur non ſic adorari potuit ab Angelis Sacratiſsima Virgo Maria, de qua cecinit Nuntius Cœleſtis, *Dominus tecum.* Et quid aliud videtur adorare Mariā, vt futuram Matrem Verbi, quam Verbum jam fore ab æterno conjunctum cum digniſsima Matre? Et quando non Mater, quæ ab æterno Mater?

S. Magd. de Pazzis

430 In eiſdem revelationibus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis lib. 7. cap. 21 fol 284. col. 2. loquens Sponſa cum Sponſo dilecto, de Cœleſti Matre offerente Filium in Templo, hæc ait: *Illa te obtulit, quæ in omni opere tuo ſemper tecum extitit. Nondum erant abiſsi, & ego jam concepta eram; quando præparabat Cœlos aderam, cum eo eram cuncta componens; vel in idea tua priuſquam in mundo eam creares, & propter ipſam, tanquam Creaturis omnibus nobiliorem, mundum produxiſti.* Si igitur in creatione Angelorum ſic aderat Cœleſtis Regina, *cum Deo cuncta componens*: conſonum ergo fit, valdeque credibile, eiſdem Angelis viatoribus fuiſ-

Ibid lib. 7.

fuiſſe revelatam, tanquam futuram Matrem Æterni Verbi, conſequentèrque & debitæ venerationi propoſitam.

431 Præterea, in Cœleſtibus Dialogis Sanctæ Catharinæ Senenſis, tract. 2. cap. 14. fol. 171. col. 1. in fine dicitur: *Aliquando Deus mira providentia diſponit, ſervos mundi Servos Dei revereri*: Hiſpana verba ſunt hæc: *Algunas vezes concedo*, loquitur Dominus, *que los ſiervos del mundo reverencien à los que me ſirven, y los ſocorran en ſus neceſsidades.* Si ſic enim fit erga creaturas, mille imperfectionibus plenas, (quamvis aliàs juſtas & ſanctas, nam ſepties in die cadit juſtus) quomodo dubitandū, voluiſſe Deum, Sanctiſsimam & vnicam Matrem ſuam, tantò Angelis ſuperiorem, quantò differentiùs præ illis nomen & officium hæreditavit, ab ipſis Angelis digna veneratione recoli? *S.Cathar. Senenſis.*

432 Poſtmodum, in revelationibus S. Getrudis, varijs in locis, præcipuè part. 2. lib. 4 de Inſinuatione Divinæ pietatis cap. 53. per totum, multa reperies in aſſumptum mirificè convolantia. *S.Getrud.*

433 Habes igitur in his revelationibus privatis, Angelos in ſtatu viatorum, tùm Incarnationem, tùm & Sacratiſsimam Virginem Mariam, futuram Matrem humani Verbi cognoviſſe, eamque veneraſſe, honoraſſe, & adoraſſe; deſtinatamque ei ab æterno coronatam ſedem in Cœlo, juxta, vel in Throno Altiſsimi, inſimul revelatione divina prævidiſſe: Quidquid ergo contra revelationes Myſticæ Civitatis Dei, in ijs, quæ cum relatis revelationibus conveniunt, oppoſitum duxeris; cōtra has ſimilitèr revelationes in Eccleſia Catholica permiſſas, & debito plauſu hominum receptas, conſimilitèr oppoſitum fore, necelsè eſt vt intelligas.

§. V.

VTRIVSQVE CENSVRÆ VITIA MAniſeſtantur, & convelluntur.

434 AFFIRMANT propoſitiones confixæ, Sacratiſsimam Virginem Mariam fuiſſe ab Angelis adoratam. Cenſura veſtra, Deputati Pariſienſes, ſic eſt: *Hæc Propoſitio-*

tiones, quatenus in illis indiſtinctè, & ijſdem terminis exprimitur Adoratio exhibita, vel exhibenda Beatiſsimæ Virgini, quibus Deo ipſi, & homini Deo exhibita exprimitur pag. 99. & 100. falſa ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ, & in errorem inducentes. Ergo ſi V. Author non eodem modo loqueretur de adoratione exhibita Beatiſsimæ Virgini, ac de adoratione præſtita Deo ipſi, & homini Deo, tales propoſitiones nec forent falſæ, nec temerariæ, nec ſcandaloſæ, nec in errorem inducentes; ſed manifeſtum eſt, & apertiſsimè demonſtratum, ſupra num. 405. Venerabilem Abbatiſſam non ijſdem terminis, nec eodem modo loqui de adoratione ab Angelis exhibita Sacratiſsimæ Virgini, ac de adoratione præſtita Deo ipſi, vel homini Deo: Ergo tota Cenſura veſtra corruit, ò Deputati Pariſienſes. Verum nec admirationi ſufficimus, quod ſic decorati Doctores affirment, V. Authorem indiſtinctè & ijſdem terminis loqui de adoratione præſtita futuræ Deiparæ, ac de adoratione collata Deo Omnipotenti. Ratio contorquet, nam vel Deputati, numeros quos citant Myſticæ Civitatis Dei attentè legerunt, vel non? Si primum? Incredibile ſit, non notaſſe diſtinctionem adorationum, ex terminis, ex circunſtantijs, ex ipſis vocibus, & ex contextu; veruntamen nec minus incredibile videtur, malicioſsè voluiſſe mundum decipere & in horrorem Operis ipſius Myſticæ Civitatis Dei fidelium corda excitare. Si vero dixerint ſecundum? A recto judicio declinant, cum nullus judex competens conſtituatur incognitæ rei.

Ratio vrget.

435 Præterea, licèt terminus adorationis idem ſit, quid mirum quod adoratio non explicetur alio termino niſi voce adorationis? Fide credimus, Deum eſſe adorandum; Sacras Imagines adorandas fore; Sanctorum Reliquias, ſimilitèr: núquid ex hoc vtimur diſtincto termino, id eſt, diſtincta voce adorationis, quamvis Deus abſolutè, Imagineſque & Sacras Sanctorum Reliquias alio atque alio modo debeant adorari? Sanctus eſt Dominus, & Sanctus eſt PETRVS Apoſtolus, alitèr hic, & alitèr Dominus: nunquid ex hoc, diſtincta vtimur voce vt Sãctus dicatur Petrus, ac vt Sanctus dicatur Deus? Ad nominandum Sanctum alius non eſt terminus, niſi dictio *Sancti*; ſicuti ad nominandam adorationem, alius non eſt terminus, niſi dictio *Adorationis*: Num, quoniam de Deo dicitur, *Tu ſolus Sanctus*,

Cantic. Angelor.

tus, prohibitum nobis eſt, vllam Creaturam nominare Sanctã? Ergo quamvis ſolus Deus adoratione *Latriæ* ſit adorandus, cum tamen & omnes Sancti Dei, eorumque Sacræ Reliquiæ adorari debeant ex Fide, & aliàs adorationis terminus idem ſit; à fortiori, ſi aſſerendum nobis eſt, Sacratiſsimam Virginem Mariam eſſe adorabilem, vti debemus eadem voce adorationis. Nõ adoratur Sacratiſsima Virgo Maria ſicut Deus, ſed revera adoratur, adoratione diſtincta ac ipſe Deus. Sicut ſimilitèr, non adorantur Sanctorum Reliquiæ ſicut Deus, ſed revera adorantur Sanctorum Reliquiæ, diſtincta adoratione ac ipſe Deus. Conſimilitèr, nõ dicitur Sanctus, Petrus Apoſtolus ſicut Deus; ſed revera dicitur Sanctus, diſtincta ſanctitate ac ipſe Deus. Quid enim obeſt, Venerabilem Abbatiſſam eadem voce adorationis vſam fuiſſe, ad explicandam adorationem Dei, & adorationem Virginis Mariæ; ſi aliàs expreſsè tenet, diſtincto modo adorari Deum, ac adoratur Virgo Maria? Ad explicandum, quod aliquid adoratur, quomodo dici poteſt niſi quod adoretur? Ad dicendum quod aliquid eſt ens; quomodo dici poteſt, niſi dicendo quod eſt ens? Deus eſt ſubſtantia, & creatura eſt ſubſtantia, alio autem modo Deus, ac creatura; nunquid ex eo, diſtincta voce vtimur ſubſtantiæ? Æquidem, non diſtincta voce vtimur, ſed intelligentia ſubſtantiæ diſtinctæ.

A ſimili.

436 Cœterum, ex hac propoſitione: *Sacratiſsima Virgo Maria eſt adorabilis*, quamvis nihil ſuperaddatur; quis ſcandalizari valet, cum revera Sacratiſsima Virgo Maria, aliqua adoratione ſit adorabilis? Contrariam proponamus, fingamuſque aliquem dicere propoſitionem iſtam abſolutam: *Sacratiſsima Virgo Maria non eſt adorabilis*, vel, *Sanctorum Reliquiæ non ſunt adorabiles*, vel, *Imagines Sacræ adorari non poſſunt*: Nunc interrogo, vel iſtæ propoſitiones, ſic abſolutè prolatæ, ſunt falſæ, temerariæ, ſcandaloſſæ, & in errorem inducentes; vel non? Si primum? Habemus intentum; ergo verum erit aſſerere, propoſitionem hanc: *Sacratiſsima Virgo Maria eſt adorata & adorabilis*, non eſſe propoſitionem falſam, temerariam, ſcandaloſam, & in errorem inducentem. Conſequentia liquet ex regula philoſophica propoſitionum contrariarum. Si ſecundum dilematis extremum eſt verum? Vos judicatè: rogo tamen vt memoria retineatis, Eccleſiam Catholicam, Sacroſanctaque & Oecumenica Cõ-

A cõtrarijs.

Regul. Philoſoph

cilia decreviſſe, Sacras Imagines, Sanctorumque Reliquias eſſe adorabiles & adorandas, & quomodo.

437 Si dixeritis, propoſitionem hanc: *Sacratiſsima Virgo Maria non eſt adorabilis, eſſe falſam, erroneam, ſcandaloſam & in errorem inducentem*, quoniam Sanctiſsimæ Virgini Mariæ omnē negat adorationem, nullamque admitit, cum revera, aliqua ſpecie adorationis ſit Uirgo Cœleſtis adorabilis. Ex hoc argumentum efformo. Ideo propoſitio hæc: *Sacratiſsima Virgo Maria non eſt adorabilis*, judicatur falſa, quoniam omnem tollit adorationem à Sacratiſsima Virgine, cui aliqua debetur ſpecies adorationis: ergo etiam propoſitio hæc: *Sacratiſsima Virgo Maria eſt adorabilis*, erit vera, & non erit falſa, quoniam ipſi Virgini debetur aliqua ſpecies adorationis. Conſequentia liquet, nam æque falſum eſt, negare quod eſt, ac affirmare quod non eſt; ſed quoniam propoſitio negativa omnem negat adorationem cui aliqua debetur adoratio, falſa eſt: ergo propoſitio affirmativa, quatenus adorationem tribuit, cui aliqua debetur ſpecies adorationis, vera erit. Etenim, quoniam homo eſt ſubſtantia, licèt ſpecie diſtincta, vel primo diverſa à ſubſtantia Dei, vera eſt propoſitio: *Homo eſt ſubſtantia*: Ergo, &c.

Cenſura Suppoſit. 438 Cenſura ſuppoſititia ad amplius extenditur, ait ſic: *Licèt adorationis nomen equivocè ſummatur, & aliquando in Scripturis, & nonnullis Patribus pro honore Creaturis debito vſurpetur; tamen cum ex Eccleſiæ vſu terminus ille vſurpari debeat, ad ſignificandum ſupremum cultum ſoli Deo debitum, nec poſsit ſine periculo ſcandali creaturis communicari. Hæ propoſitiones, quatenùs eodem adorationis termino cultum exprimunt exhibitum, vel exhibendum Beatiſsimæ Virgini, quo ipſi Deo exhibitus ab Authore exprimitur, ſcandaloſæ ſunt, & in errorem inducentes. Quatenùs autem dicunt, Sanctiſsimam Virginem adoratam ab Angelis ſtatim vt ipſi creati ſunt, & ſtatim atque ipſa nata eſt, tùm etiam adoratam in Throno Altiſsimi: reſpectivè temeraria ſunt, & falſæ.*

439 Quoniam multa in relata Cenſura dicuntur falſa, ideo per partes de prima ad vltimam breviter tranſcurram. In primis nomen adorationis, quanquam apud nonnullos Theologos equivocum ſit, vt videri poteſt apud Gaſparem Hurtado tract. de Incarnatione, diſp. 20. de Adoratione, dif. 5. alij autem quamplures Theologi defendunt, vnivocè convenire, vt videri poteſt *Gaſpar Hurtado.*

Suar

Suarez diſp. 51. ſect. 3. & Lorca diſp. 87. num. 12. Ratioque principalis pro hac parte ſiſtit in eo, quod adorationis nomen & ſignificatum per nomen vtriſque convenit. Angelicus vero Magiſter exiſtimat analogice convenire, & non equivocè, 2.2. quæſt. 84. art. 1. ad 1. & quæſt. 94. art. 2. ad 2. quod etiam inſinuat Seraphicus Doctor in 3. diſt. 9. art. 2. quæſt. 4. quorum ratio eſt, quoniam excellentia Dei, & excellentia creaturæ, ob quas adorantur, non conveniunt vnivocè, ſed analogicè. Vazquez autem tract. de cultu adorationis lib. 2. num. 421. defendit, adorationem Imaginum abſolutè dici adorationem. Et num. 368. quod adoratio latiùs patet quam *Latria*. Et lib. 1. num. 6. quod adoratio, vox eſt communis Deo & alijs rebus. Et eodem lib. 1. num. 201. & 202 quod Maria, majori adoratione ob ſanctitatem, quam ob affinitatem cum Chriſto eſt veneranda. Et ipſo lib. 1. num 196. & 197. explicat, quomodo Sacratiſsima Uirgo etiam adoratione *Latriæ* poſsit adorari. Et num. 195. qua adoratione ſit veneranda. Et nu. 190. Quo ſenſu, Mariæ adorationem negaverit Sanctus Epiphanius. Et à num. 185. ejuſdem lib. 1. reſolvit, quod Mariæ peculiare genus adorationis debetur. Hæc omnia defendit, ſecum adhærens ſelectiſsimos Theologorum Doctores, ex quibus & ſupradicta roborantur, & Cenſura ſuppoſititia quoad hanc primam partem enervatur. *Angelic. Doctor.* *Seraph. Doctor.* *Vazquez.*

440 Dicit inſuper Suppoſititia Cenſura: *Terminum illum Adorationis ex Eccleſiæ vſu vſurpari debere, ad ſignificandum ſupremum cultum ſoli Deo debitum, ita vt non poſsit ſine periculo ſcādali creaturis communicari.* Vſus Eccleſiæ communis eſt, (ſi viſu oculorum non decipimur, res videntes aliter ac ſunt) Fideles omnes coram Altaribus & Sanctis Imaginibus Sacratiſsimæ Virginis Mariæ genua flectere, adorare Sanctorum Reliquias, preces fundere, detecta capita ſervare, &c. Hæc fiunt, Romæ in facie Eccleſiæ, non in abſcondito, ſed in publico; non in tenebris, ſed in lumine diei: ſic fit in Hiſpaniarum Regnis: ſic in Inſulis Maris: ſic vbicunque nomen Domini catholico ritu laudatur: vel ſi ſic alicubi non fit, oſtendite nobis. Vnde ergo didiciſtis, vocem adorationis ex vſu Eccleſiæ ad ſignificandum ſolummodo cultum Deo debitum vſurpari, contrariumque in ſcandalum fidelium poſſe converti? Ni fallor, & non fallor, te- *Vſus Eccleſiæ.*

la-

latas cultus demoſtrationes Fidelibus prohibere vel prohibitas eſſe prædicare temerarium & ſcandaloſum foret. Tridentinum legatur ſeſſ. 25. tit. de Invocatione, veneratione, & Reliquijs

Concil. Trident. Sanctorum, & Sacris Imaginibus, vbi dicitur: *Mandat Sancta Synodus omnibus Epiſcopis, & cæteris docendi munus, Curamque ſuſtinentibus, vt juxta Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum, à primævis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum confeſsione, & Sacrorum Conciliorum Decreta, in primis de Sanctorum interceſsione, invocatione, Reliquiarum, honore, &c.* Et paulò poſt, eodem Decreto, ante cap. 1. hujus Seſsionis, proſequitur: *Vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorũ illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur, id quod Conciliorum, præſertim vero ſecundæ Nicęnæ Synodi Decretis contra Imaginum oppugnatores eſt ſancitum.* Nota illa verba: *Adoremus; & Sanctos, &c.*

Concil. Nicęn. 2. Action. 2. Præterea; & in ipſa Nicęna Synodo Actione 2. vbi à Tridentino citatur, dicitur ſic: *Omnis Imago in nomine Domini, aut Angelorum, aut Sanctorum facta, ſancta eſt: Non enim lignum adoratur, &c. Omnes enim nos adoramus Principes, & ſalutamus, licèt peccatores ſint: cur ergo non debemus adorare Sanctos Dei Servos?* Obſerva quoties repetitur *Adorare.* Non ergo ex Eccleſiæ vſu adorationis vox ad ſolum ſignificandum ſemper ſupremum cultum ſoli Deo debitum debet vſurpari: nec ſcandali periculum creaturis communicatur, dum tali voce *adorationis*, ad ſignificandam adorationem Sanctis debitam ſcriptis vel voce vtimur.

441 Decipiuntur itidem Cenſores in his quæ aſſerunt, Venerabilem Authorem eodem adorationis termino cultum exprimere exhibitum, vel exhibendum Beatiſsimæ Uirgini, quo vti-

Sup. num. 398. tur ad exprimendum ſupremum cultum ſoli Deo debitum, de quo jam ſupra demonſtravimus evidentèr eſſe falſum à nu. 398. vſque ad num. 405.

442 Nec minori claritate convincuntur Authores Suppoſititiæ Cenſuræ, dum imponunt V. Abbatiſſæ, ſe dicere, Sanctiſsimam Virginem adoratam ab Angelis ſtatim vt ipſi creati ſunt. Uerbum *ſtatim* non reperitur in exemplari Hiſpanico, imò nec in Verſione Gallica; & hoc patet ex propoſitione, prout jacet in Articulo Cenſuræ, ab eijſdem Ce[n]ſoribus tranſcripta, vbi verbum *ſtatim*, nec nominatur, nec legitur.

Ad

443 Ad vltimum, id videlicet, Sacratiſsimam Virginem adoratam ab Angelis in Throno Altiſsimi; & diximus ſupra à num. 425. & amplius dicetur infra in Articulo 14.

ARTIC. VI.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

444 PAg. 127. num. 112. *Tum primum Verbum per Humanitatem interceſsit pro hominibus ante Thronum Deitatis.*

445 Pag. 128. & 129. num. eodem. *Divinum Conſiſtorium, ſivè Concilium SS. Trinitatis dixit, Vnigenitus noſter doctrinam hanc prædicabit.*

446 Pag. 130. num. 113. *Deſcendat Filius noſter paſsibilis, ad redimendos homines.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

447 HÆ *propoſitiones continent Doctrinam, quæ apertè derogat Divinitati Verbi, malè ſonat in Fide, & in hæreſim inducit.*

CENSVRA SVPPOSITITIA.

448 HÆc *propoſitio* (loquitur ſolum de prima, nam ſecundam & tertiam ommiſerunt Authores Suppoſititiæ Cenſuræ in ſuo Libello) *malè ſonat in Fide, & injurioſa eſt Divinitati Verbi.* Eſt Artic. 4. Suppoſit. Cenſ.

CONCERT. VII.

SVPER PROPOSITIONES CONFIXAS in hoc Articulo 6.

449 PROPONVNTVR examini. 1. Diſcordia inter Verſionem Gallicam, & Exemplar Hiſpanum, cum Origi-

ginali collatum. 2. Genuina mens V. Abbatiſſæ in propoſitionibus Notæ ſubjectis, prout ad Originale proprium reſtitutis. 3. Utrum locutiones ſimiles inveniantur in Scriptura Sacra, & SS. PP. in alijſque revelationibus privatis? 4. Modus diſcurrendi cujuſdam Theologi ſatis eruditi noſtri temporis proponitur, & impugnatur. 5. Redarguuntur Cenſores & Authores vtriuſque Cenſuræ.

§. I.

APPERITVR DISCORDIA INTER Verſionem Gallicam & exemplar Hiſpanicum.

Textus Originalis. Verſio ex Gallico. Diſcordia.

450 PRIMÆ propoſitionis Textus Hiſpanus. *Eſta fue la primera vez que el Verbo en nombre de la humanidad intercediò por los hombres ante el Trono de la Divinidad.* Uerſio de Hiſpano in Latinum: *Tùnc primò Verbum in nomine humanitatis intercesſit pro hominibus ante Thronum Divinitatis.* Verſio ex Gallico in Latinum, prout jacet in articulo Cenſuræ, juxta advertentiam ſupra poſitam num. 396. *Tum primum Verbum per humanitatem intercesſit pro hominibus ante Thronum Deitatis.* In primis particula *Tum*, neſcimus quid ſignificet, ibi collocata. Minus ineptè diceret, *Tunc*. Præterea, dictiones illæ, *verbum per humanitatem intercesſit*, non idem ſignificant, ac Textus Originalis. Aliud quidem eſt, *Verbum in nomine humanitatis intercesſit*; & aliud: *Verbum per humanitatem intercesſit.*

Textus Hiſpan. Verſio ex Gallico. Diſcordia.

451 Secundæ propoſitionis Textus Hiſpanus. *Nueſtro Vnigenito obrarà eſta doctrina.* Verſio de Hiſpano in latinum: *Vnigenitus noſter doctrinam hanc operabitur.* Verſio de Gallico in latinum. *Vnigenitus noſter doctrinam hanc prædicabit.* Locutio ſupponitur, à Conſiſtorio Sanctiſsimæ Trinitatis emanata. Diſcordia ſolum patet in verbo, *prædicabit*, loco verbi, *operabitur*: ſignificatum autem vtriuſque vocis ex terminis liquet eſſe diverſum.

Textus Hiſpanus. Verſio ex Gallico.

452 Tertiæ propoſitionis Textus Hiſpanus: *Deſcienda nueſtro Hyo paſsible, y Reparador, y redima à los hombres.* Verſio de Hiſpano in latinum: *Deſcendat Filius noſter paſsibilis, & Reparator, & homines redimat.* Verſio es Gallico in latinum: *Deſcen-*

dat

dat Filius noſter paſsibilis, ad redimendos homines. Etiam hujuſcemodi locutio dicta ſupponitur à Conſiſtorio divino SS. Trinitatis. Diſcordia in nihilo videtur, niſi in eo, quod omiſſerit verſio ex Gallico in latinum, vel ipſa verſio Gallica, duas illas dictiones, & Reparator. Nulla ex diſcordijs relatis difficultatem tollit, vel auget, ſi aliqua eſt in Articuli propoſitionibus, illâ excepta ſolummodo, quod loco verborum, in nomine humanitatis, alia diverſa poſsita ſunt, ſcilicèt, per humanitatem. *Diſcordia*

§. II.

INTELLIGENTIA LEGITIMA V. Abbatiſſæ in propoſitionibus confixis.

453 ÆQVALITATEM Divinarum Perſonarum, explicatione catholica profitetur Venerabilis Abbatiſſa 1. parte Myſticæ Civitatis Dei, varijs in locis, præcipuè à num. 27. 28. 100. & 515. ita vt nec Filius inferior ſit Patre, nec Pater ſuperior Filio, idemque dicit de Spiritu Sancto. Num. 27. à linea 15. ait ſic: *Todas tres perſonas en ſi ſon igualmente eternas, y eternamente iguales; que es vna vnidad de eſſentia en Trinidad de Perſonas, y vn Dios en la individua Trinidad, y Tres Perſonas en la vnidad de vna ſuſtancia. Y no ſe conſunden las Perſonas por ſer vn Dios; ni ſe aparta, ò ſe divide la ſuſtancia por ſer tres Perſonas; y ſiendo diſtintas, en el Padre, en el Hijo, y en el Eſpiritu Santo, es vna miſma la divinidad, igual la Gloria, y la Mageſtad, el Poder, la Eternidad, Inmenſidad, Sabiduria, y Santidad, y todos los atributos Y aunque ſon tres las perſonas, en quien ſubſiſten eſtas perfecciones infinitas, es vno ſolo el Dios verdadero, el Santo, Iuſto, Poderoſo, Eterno, y ſin medida.* Nec minori claritate in alijs numeris citatis id ipſum catholicè profitetur, vt videri poteſt. *Myſt Civ. Dei, 1. p.*

454 Verum contractione deſiderabili clarius loquitur 2. parte ipſius Myſticæ Civitatis Dei num. 1183. à lin. 10. vbi, quoniam ſæpè in progreſſu Operis dixerat, Verbum humanatum interceſſiſſe, ipſumque Verbum humanatum feciſſe hoc vel illud, lectoribus advertit, tales actiones non fore tribuendas Verbo, vt Verbum eſt, vel juxta naturam aut voluntatem Divinam,

qua æqualis eſt Patri, & Spiritui Sancto; ſed ſecundum naturã humanam. Hiſpana verba ſunt hæc: *Para entender las acciones, que hazia el Verbo humanado, advierto, que como tenia dos naturalezas la divina, y la humana, entrambas en vna perſona, que era la del Verbo, por eſto las acciones de entrambas naturalezas ſe atribuyen, ſe dizen, ò predican de vna miſma perſona, como tambien la meſma ſe llama Dios, y hombre. Conforme à eſto* (nunc deſiderabilius) *quando digo que hablava, y orava el Verbo humanado à ſu Eterno Padre, no ſe entiende que hablava, ni orava con la naturaleza Divina, en que era igual con el Padre, ſino con la humana, en que era menor, &c.* Ex his aperte dicendum, ad debitam intelligentiam primæ propoſitionis, in Articulo confixæ; quod quãdo V. Author aſſerit, Verbum in nomine humanitatis intercelliſſe pro hominibus, nequaquam intellexit, neque juxta dicta intelligere potuit, Verbum vt Verbum & juxta divinam voluntatem pro hominibus interceſiſſe, cum luce clarius ſit conformitèr ad mentem V. Abbatiſſæ nuper expreſſam, Verbum vt Verbum juxta voluntatem divinam, qua Filius æqualis eſt Patri haud potuiſſe apud Patrem intercedere. Dicendum eſt igitur, quod in illis verbis, *Verbum interceſsit pro hominibus in nomine humanitatis*, non loquitur de Verbo nudè ſumpto, vt Verbum Patris, & vt ſecunda Trinitatis Perſona; ſed de Verbo jam humanato in mente divina, juxta decretum Deitatis æternum, & juxta merita præviſſa ipſius Verbi humanati, vt homo erat ab æterno, *& Agnus occiſſus ab origine mundi.*

Myſt Civ. Dei, 2. p. — *Apoc. 13. v. 9.*

455 Hæc omnia confirmantur ex contextu proximiori ipſius numeri 112. primæ partis Myſticæ Civitatis Dei, vbi loquitur de humanato Verbo, & de operibus ejus præviſis, à lin. 13. & Hiſpanicè legitur ſic: *Lebantemos pues el triunfo de la virtud, y ſantidad, y humaneſe para eſto la Segunda Perſona paſſible, y atredite, y enſeñe la humildad, obediencia, y todas las virtudes, y haga la ſalud para los mortales; y ſiendo verdadero Dios, ſe humille, y ſea hecho el menor; ſea hombre juſto, y exemplar, y Maeſtro de toda Santidad; muera por la ſalud de ſus Hermanos, &c.* Hæc erat quaſi conferentia ipſius Conſiſtorij Divini, vbi præſentia intuebantur eximia opera futura Chriſti Domini. Non igitur adeſt argumenti motivum, ſed neceſſa rio dicendum, interceſsionem illam, eſſe interceſsionem humanitatis, exequendam in

Myſt. Civ. Dei, 1. p.

tem-

tempore, ab æterno prævisſam, & objectivè ante Conſiſtorium Divinum repræſentatam, de quo infra. His liquet intelligentia primæ propoſitionis.

456 Circa ſecundam propoſitionem in Articulo confixam, laborare nimis haud eſt neceſsè. Etenim collocutio ſupponitur totius Conſiſtorij Divini Sanctiſsimæ Trinitatis, loquebanturque de Christo Divinæ Perſonæ: cum igitur operationes ad extra communes ſint tribus Perſonis, propoſitio ſine difficultate procedit. Nec dubitavit vnquam V. Author, operationes ad extra à Trinitate procedere, quinimò expreſsis verbis id ipſum affirmat 2. part. num. 125. à lin. 16. vbi ait: *Como las Divinas Perſonas en dignidad, y perfeccion infinita ſon iguales: aſsi tambien lo ſon en las operaciones que llaman* ad extra. *Eſtas operaciones ſon indiviſas entre las tres Divinas Perſonas; porque no las haze vna ſola Perſona, ſino todas tres, en quanto ſon vn miſmo Dios.* Et num. 126. ejuſdem 2. part. à lin. 1. proſequitur ſic: *Con eſta indiviſion executaron, y obraron todas tres Perſonas con vna miſma acciõ la obra de la Encarnacion; aunque ſola la Perſona del Verbo terminò la vnion hypoſtatica, &c.* Conſonat ſimilitèr num. 125. 810. & 811. ejuſd. 2. part. & alibi. Ex quibus ſequitur Chriſtum vt hominem dici poſſe totius Trinitatis Filium, quod fatetur Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 49. ſect. 2. & alij graviſsimi Theologi, quos citat Illuſtriſsimus Samaniego Nota 16. §. 2. vel ad minus convincitur, Incarnationis Opus, quatenùs eſt Opus *ad extra*, ad tres Divinas Perſonas eſſe referendum. Liquet inſuper, non repugnare propoſitionem confixam, prout ad originale proprium reductam, ſcilicèt: *Vnigenitus noſter doctrinam hanc operabitur*, à Divino Conſiſtorio potuiſſe procedere. Vel alitèr, *Vnigenitus noſter*, quanquam ſolummodo ad Perſonam Patris referatur, ad modum loquendi Majeſtatum reduci valet: de quo etiam Illuſtriſ. Samaniego, Nota citata, §. 3. & ex alijs privatis revelationibus idem modus loquendi videbitur expreſſus. *Ibid. 2. p.*

457 Circa tertiam propoſitionem in Articulo confixam, eam videlicèt in Divino Conſiſtorio prolatam: *Deſcendat Filius noſter paſsibilis, ad redimendos homines*: Nihil ſuperaddendum occurrit, præter id, quod diximus circa ſecundam; cum difficultas in ambabus, ſi aliqua eſt, eadem ſit.

§. III.

LOCVTIONES SIMILES PROPOSITIOnibus confixis, in Scriptura Sacra, alijſque in revelationibus privatis.

458 A Conſiſtorio Divino exire poſſe locutionem numero plurali, compertum eſt. Etenim in lib. Geneſis cap. 1. v. 26. dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: vbi vel quod tres Divinæ Perſonæ loquantur, vel quod loquatur ipſe Deus regia voce, *Faciamus*, vtrumque nobis prodeſt ad modum locutionis in propoſitionibus confixis: *Vnigenitus noſter, &c. Deſcendat Filius noſter*, *&c.* Ea proptèr, ſat de ſecunda & tertia propoſitionibus, quas & Authores Suppoſititiæ Cenſuræ, tanquam difficultate carentes, omiſerunt in ſuo Libello. Solum igitur ſingularis difficultas procedit circa propoſitionem primam; vbi de petitione Verbi ab æterno pro hominibus, nomine humanitatis.

Geneſ. 1.

459 Quærentibus itaque locutionem ſimilem petitioni relatæ Divini Verbi ab æterno, abſque eo quod in Perſona divina poſtulante inferioritas reſpectu alterius divinæ Perſonæ concludatur, Sacer textus occurrit Rom. 8. v. 28. vbi loquens Apoſtolus de Spiritu Sancto ait ſic: *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et paulò poſt: *Secundum Deum poſtulat pro Sanctis.* Exponant igitur quomodo voluerint, catholicè tamen, Cenſores Pariſienſes prædictam Apoſtoli ſententiam, & invenient profectò, etiam petitioni relatæ Verbi ab æterno accommodari poſſe. Certè haud negabunt, æqualitèr Verbo & Spiritui Sancto, quatenùs perſonæ Divinæ profitentur, petitiones notionales ad intra repugnare eo ſenſu, quo poſtulatio inferioritatem ſubducat; ſed in alio ſenſu Spiritui Sancto non repugnat, qui, Apoſtolo teſte, poſtulat pro nobis: ergo neque repugnat Verbo, eo ipſo modo, quo non repugnat Spiritui Sancto.

Rom. 8.

460 Præterea, Apocalipſi 13. dicitur: *Agnus qui occiſſus eſt ab origine mundi*, ſed in executione Agnus, ſcilicèt Chriſtus,

Apoc. 13.

occiſſus non eſt ab origine mundi: ergo ideo eſt quoniã ab æterno jam occiſſus præſciebatur Vnigenitus Dei Filius factus homo: ergo ab æterno in petitione Verbi relata, objectivè propoſita, videbantur humanitatis Sacræ merita infinita; ſed hoc ſufficit, vt petitio Verbi ab æterno, nomine humanitatis pro hominibus verificari poſsit, abſque eo quod Verbum, vt Verbum eſt, petitionem eliciat juxta voluntatem divinam: Ergo, &c.

461 Ad alias revelationes particulares devenientes, (vbi difficultates valdè ſimiles, aut idempticæ, controverſæ & convictæ à doctioribus ſupponuntur) primatum teneat S. Birgitta tom. 1. lib. 3. cap. 19. fol. 269. col. 1. vbi ipſa interrogante, quomodo completi ſunt ſermones Dei? In reſolutione dicitur: *Quia Dominus, in cujus conſpectu ſunt omnia, quandoque loquitur in præſenti, quæ ad futura pertinent, & de faciendis tanquam jam ſint facta. Quandoque etiam præteritum, futurumque permiſcet, & præterito vtitur pro futuro, vt nullus præſumat diſcutere conſilium imperturbabile Trinitatis.* Si ergo in conſpectu Dei futurum jam eſt præſens, & futuræ erant in conſpectu Dei petitiones humanitatis Chriſti, à Verbo Divino dignificatæ: potuerunt igitur ab æterno petitiones hujuſmodi, vt jam factè cognoſci in conſpectu Altiſsimi. S. Birgitt.

462 In eiſdem revelationibus lib 8. cap 19. fol. 301. col. 1. Mater Dei loquitur ad Sponſam dicens: *Miraris, cur ego aliquãdo dico,* Nos, *quando loquor tibi? Scias quod hoc ideo eſt, quia cũ loquor ego, ex virtute ejuſdem Trinitatis loquor, ideo ego dico,* Nos, *&c.* Non igitur ille modus loquendi ſingularis eſt in propoſitionibus confixis. Ibid. lib. 8

463 Præterea in revelationibus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis lib. 2. cap. 4. fol. 14. col. 2. in fine, loquens Sponſa cũ Sacratiſsima Maria ait illi: *Tu es gratia plena, ô Sanctiſsima Virgo: magnifica nunc noſtræ Virginitatis Sponſum; vocabis eum Ieſum, ſed Alpha & Omega; tu lac dabis, nos vero ſi non actu, ſaltem in deſiderio, ſanguinem; tu faſcijs ſtringis, nos pectore; tu omne præſtabis obſequium, nos propter ipſum omnia relinquemus: tu ab ore illius triſtitia audies verba, nos internis inſpirationibus invigilabimus; tu latus aperire conſpicies, & nos in eo nidificabimus: tu mortuum habebis in ulnis, nos Deum & hominem in noſtris cordibus; tu ſepulchro dabis, nos creaturarum cordibus illum Æterni Patris* S. Magd. de Pazzis

ſinui offerendo: tu primia ſuſcitatum videbis; tu in Cœlum aſcendentem aſpicies: tu cum Apoſtolis Spiritum Sanctum recipies, &c. Ecce quomodo in revelationibus Divinis aliquando futurum ſumitur pro præſenti, & aliquando præteritum pro futuro.

Ibid.lib.3 464 Et lib. 3. earundem Intelligentiarum Divinarum cap. 15. fol. 57. col. 1. dicitur: *Dicta Trinitas increata, ad mittendum Verbum, vnam ex Nobis tribus Perſonis Divinis, vt viam oſtenderet, doceretque mota eſt, &c.* vbi expreſſam invenies propoſitionem tertiam in Articulo Cenſuræ repertam, verbumque, *Nos*, vel *Nobis* etiam in terminis manifeſtum, ibi: *Vnam ex nobis, &c.*

Ibid.lib.4 465 Et lib. 4. cap. 4. fol. 86. col. 2. init. dicitur ſic: *Et ſimilitèr Verbum humanatum faciebat: ſe ipſum comprehendens intuebatur tanquam Verbum origine poſterius Patre generante, licèt eidem ipſi æquale, natura, immenſitate, ſapientia, potentia, &c. Itaque Verbum hoc ſe ipſum intuens, complacentiam ſuæ æqualitatis faciebat.* Nunc adverte: *Videbatur in terra, quamvis terra, non niſi in idea Patris eſſet creata.* Quomodocunque igitur propoſitionem hanc expoſſueris, & propoſitionem primam, in Articulo Cenſuræ confixam, expoſitam cogitabis.

Ibid. c.9. 466 Expreſsius eodem lib. 4. cap. 9. fol. 95. col. 1. dicitur: *Nonus Canalis, Cœli, terræque operationes adnotans, eſt Verbi petitio ad Patrem ſuum Æternum.* Et paulò poſt: *Sed quoniam modo poteſt Verbum à Patre petere, cum ſit etiam ejuſdem ſubſtantiæ Deus, vnitus Patri, cujus voluntas adeò conformis, & vniformis eſt voluntati illius, vt aliud, quam quod Pater vult, non poſsit nec petere, nec velle? Agit hoc, humanitate mediante, &c.* Et alijs paucis interjectis: *Petunt igitur ambo ſimul, id eſt Verbum Divinum, & humanitas, vt creatura corpus glorificetur, &c.* Et paulò infra: *Poſtulat deinde idem Verbum Divinum ſimul cum humanitate miſericordiam, &c.*

Ibid.lib.4 cap.7. 467 Nec dicas, hujuſmodi petitionem Verbi ſolummodo intelligendam poſtquam in executione Verbum caro factum eſt: nam in eiſdem Divinis Intelligentijs Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis eodem lib. 4. cap. 7. num. 1. expreſsè leguntur petitiones Verbi ab æterno, his verbis: *Primus Canalis procedens à mortuo Verbo in ſinu meo* (loquitur Pater) *quia hic ab æterno mortem acceptavit, eique ſe obtulit, ſunt ejuſdem Verbi verba, ab ipſo,*

&c.

& per os ſuorum divinorum Prophetarum prolata, quorum aliqua, operationes, quæ in Cœlo fiunt, manifeſtant: alia quæ ſuper terram. Dixit Dominus Domino meo, verba inſpirata david à Verbo, & à Verbo ore proprio replicata: hæc, partem operationum, quæ in Cœlo fiunt, oſtendunt, &c. Et eodem lib. 4. cap. 28. n. 1. à lin. 27. *Primum verbum, quod in Cruce dixiſti, fuit: Pater ignoſce illis. Quomodo hoc dicis Verbum permanens in ſinu Patris, nondum carne noſtra veſtitum, in omnibus illi conforme, cum nulla poſsit eſſe difformitas, vbi eſt vnitas, & æqualitas perfectiſsima?* Ecce petitiones Verbi ab æterno, & quatenùs ab æterno mortem acceptavit. Revelatio hæc approbatione permiſsiva congaudet: expone eam acumine tuo; vt ſi habes interpretationem ſermonum, donum tuum proſsit & nobis: difficultas quidem eadem eſt in hiſce petitionibus Verbi ab æterno, ac in propoſitione confixa.

468 In revelationibus S. Getrudis 2. part. lib. 4. de Inſinuatione divinæ pietatis cap. 58. fol. 422. circa finem legitur etiam alia operatio Filij Dei in perſona, ſivè in nomine humanitatis, his verbis Hiſpanicis: *Luego el Hijo de Dios en perſona de la humanidad, cantava eſtas palabras de Iſaias, con voz grave, y ſonora: Notad, y advertid, que la Tienda, Tabernaculo, y Morada de Dios, ſe halla yà entre los hombres, &c.* S. Getrud.

469 Poſtmodum in Dialogis Sacris S. Catharinæ Senenſis tract. 3. de lachrimis cap. 5. fol. 202. col. 1. loquitur de Gemitibus Spiritus Sancti pro nobis, his verbis: *El Eſpiritu Sãto llora vtil, y afectuoſamente delante de mi* (loquitur Pater) *por ellos, y por ſus proximos, id eſt pro hominibus, &c.* Difficultas ergo propoſitionis confixæ, ſi aliqua eſt, communis eſt, & ab omnibus vincenda, vel jam victa ſupponitur in his revelationibus privatis, ſine contradictione aliqua in manibus fidelium permiſsis. S. Cathar. Senenſis.

†

§. IV.

§. IV.

MODVS DISCVRRENDI CVIVSDAM Theologi, ſatis Eruditi, noſtri temporis proponitur, & impugnatur.

Raymundus Lumbier.

470 REV. P. M. Raymundus Lumbier, Sangoſſanus, in Univerſitate Cæſar-Auguſtana Phyloſophiæ Magiſter; Sacræ Theologiæ Doctor; ejuſdem Vniverſitatis Cathedræ Primariæ Sacræ Facultatis vſque ad Iubilationem Moderator; Archipręſulatus Synodalis Examinator; Aragoniæ, & Supremæ Inquiſitionis Qualificator; Concionator Regius; & Carmelitanæ Familiæ Coronæ Aragoniæ ſemel & iterum Provincialis, tract. 2. de Incarnatione, articulo 2. expreſſo titulo: *De petitione Verbi ab æterno nomine humanitatis*, in gratiam revelationum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & V. Mariæ à Iesv de Agreda, (cui addictiſsimus erat, & Objectionibus Matritēſibus contra Myſticam Civitatem Dei, ſpeciali Libello manuſcripto ſatisfecit) punctum hoc latiori calamo percurrit.

Sent. com.

471 Refert in primis communem SS. PP. & Theologorum ſententiam, negantem Perſonis divinis actus notionales poſtulandi, nec nomine proprio, nec alieno, exponentemque petitionem relatam Uerbi ab æterno, nomine humanitatis, vel quatenùs petitio fuit ab æterno prævıſſa, quaſi in tempore ab humanitate facta; vel quatenùs, ſi ab æterno fuit facta petitio, non fuit Verbi propria, ſep appropriata Uerbo; ſicut de Spiritu Sancto dicitur, non per proprietatem, ſed per appropriationem, poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Sic Inſignis Theologus Sendin, Nota 4. ſup. num. 126. 2. partis Myſticæ Civitatis Dei.

Sendin.

Sent. Lūbier.

472 Aliam ſubtiliorem, minuſque tritam elegit ſibi viam ingeniosus Lumbier, quæſt 35. præſtati tractatus à num. 2153. ſub hoc titulo: *Eligitur via, forte in Scholis non trita, de acceptatione & petitione Verbi ab æterno nomine humanitatis, ex noſtra Sancta & Extatica Virgine Magdalena de Pazzis Carmelita: Vbi aliqua ex V. M. M. de Agreda.* Statim igitur conceptam ſibi viam

viam explicaturus, proſequitur ſic: *Via facilior hanc difficultatem extricandi, erit, ſi potuerimus ſtabilire, quod Chriſtus ab æterno actuali quadam voluntate inierit cum Patre Æterno contractum ex tunc exercitè actualem, & præſentem de ſuæ mortis acceptatione, ſimulq; exercuiſſe petitivā orationē pro beneficijs creaturis cōferēdis. Sic enim non præconia præceſſiſſent contractum Chriſti meritoriū, nec dona vlla hominibus data*: imò nec decreta dandi præceſſiſſent orationem, ſed potiùs contractus & petitio fuiſſent ante illa, vt cauſa moralis illorum. Et num. 2156. proſequitur: *Ex his facilè colligitur, quod Verbum ipſum ab æterno potuerit acceptare & contrahere pro ſua humanitate, multo ſtrictius, quam Adam pro nobis, & quam Tutor pro Pupillo, cum non ſolum fuerit poſt Incarnationem decretam, caput morale ſuæ humanitatis, ſpecialiſsimuſque ipſius quaſi Tutor, &c.* Hinc quaſi ex fundamentis diſputationem latiſsimam proſeqnitur, gracili dexteritate argumenta contraria diſolvens, ſuamque concluſionem varijs rationibus & authoritatibus confirmans.

473 Verum ſingularis hic diſcurrendi modus, nec ad finem noſtrum, defenſandi, videlicèt, propoſitionem confixam, videtur neceſſarius; nec difficultatibus graviſsimis judicatur expers, quinimò majoribus ni fallor implicatus, quam propoſitio confixa. *Diſplic.*

474 In primis actus notionales intelligendi & volendi in Divinis Perſonis, indiſpenſabili ratione, prout ipſe etiam fatetur, debent concedi, circa quod videatur à num. 2167. Admittere vero notionales actus intelligendi & volendi diſtinctos in Divinis Perſonis, ex ſe difficilimū apparet ex antiqua Theologorum & Sanctorum Patrum doctrina. Etenim haud novimus in divinis, niſi vnicum actum intelligendi, aliumque volendi; hi eſſentiales ſunt, quatenùs autem connotant relationes perſonales, notionales redduntur. Nunc ſic; ſed ſi in Verbo ab æterno daretur contractus cum Patre & acceptatio mortis, argueretur in Verbo actus voluntatis notionalis diſtinctus ab actu Patris, & hoc repugnat: Ergo. Minor liquet quoad ſecundam partem, nam in Verbo non datur alia voluntas, nec alius actus volendi diſtinctus ab actu Patris, nec Filius vult niſi per actum divinæ voluntatis communem tribus Perſonis, qui quatenùs connotat Filiationem dicitur actus Filij: Ergo, &c. *Actus notion.*

Dd Ar-

Argum 1. 475 Argumentum hoc ſibi obiicit ipſe Lumbier; cuius reſponſio ſic eſt: *Reſpondetur, in Deo dari ſummam vnitatem & concordiam voluntatis, quæ tamen non tollit in Perſonis actus notionales diverſos, & cuiuslibet perſonæ proprios. Summa autem concordia ſtat in objectis volitis. Nihil enim poteſt velle Pater, cuius oppoſitum velit Verbum.* Hæc ipſe. Si vero ſolutio hæc vim haberet, difficultatemque argumenti concluderet, ſalvo meliori, ſequeretur, non ſolum non repugnare Divinis Perſonis actus notionales diſtinctos, ſed nec voluntates notionales diverſas. Etenim ſi actus notionalis volendi non ſumitur pro ipſo actu eſſentiali volendi, cõnotante relationem Perſonalem; concedendus erit actus notionalis volendi in Filio realitèr diſtinctus ab actu notionali volendi in Patre; ſed hoc minorem non habet difficultatem, quam concedere in Filio voluntatem notionalem realitèr diſtinctam à voluntate notionali Patris: Ergo, &c Suadetur minor, nam diſtinctio realis inter Patrem & Filium juxta hactenus tritam Theologiam, ſolum verſatur ratione perſonalitatum: æqualis ergo erit difficultas ad adſtruendos actus notionales volendi realitèr diverſos in Divinis Perſonis, ſicut ad cõcedendas voluntates notionales realitèr diſtinctas.

Aliud Argumẽ. 476 Præterea ſi ab æterno inter Patrem & Verbum fieret contractus per actus notionales Patris & Verbi, poſtulante notionalitèr Verbo, & annuẽte, ſivè acceptante notionalitèr Patre, hoc percipi non valeret, niſi diſtinguendo actus volendi in Patre ab actu volendi in Filio. Hoc patet, nam idem actus volendi non gerit munus petentis & acceptãtis: ſi ergo petitio in Filio eſt notionalis rigoroſa, ſimilitèrque acceptatio in Patre: actus ergo diſtinctus voluntatis convincitur in filio, quam in Patre. Sed totum hoc difficultatibus ſcatet graviſsimis, quas judicio melius intelligentium relinquo: Ergo, &c.

Alia argument. 477 Aliud ſibi obiicit argumentum ipſe Lumbier à num. 2170. quod ſic eſt: Si Verbum ab æterno acceptaſſet mortem, non actu præviſo humanitatis, ſed actu notionali ipſius Verbi, ſequeretur, humanitatem non potuiſſe mereri per mortis ſuæ acceptationem. Probatur, quia non liberè in tempore acceptavit, ſiquidem erat ei impoſsibile, ipſam reſpuere, vtpotè jam acceptatam ab æterno à Verbo nomine ipſius, abſque voluntate ipſius, vt ſupponitur: ergo non eſſet libera reſpectu volunta-

ta-

tatis humanæ Chriſti Domini: ergo nec mereretur acceptationis actu: vel ſi libera fuit & meritum habuit: acceptatio ergo non fuit actus notionalis Verbi, ſed actus voluntatis humanæ Chriſti ab æterno prævifus, & divino Conſiſtorio objectivè repræſentatus. Præterea, auxilia data antiquis Patribus, data ſunt ex meritis Chriſti; ſed hoc non verificaretur ſufficientèr per Verbi acceptationem, quia iſta non erat meritoria: Ergo. Præterea, omnis petitio eſt actus quidam ſummiſsionis; ſed in Verbo omnis actus internus ipſius eſt æqualitatis cum actibus Patris, vt expreſsè notavit Sancta Maria Magdalena de Pazzis lib. 4. cap. 19. & Venerabilis Maria à Ieſv de Agreda 2. part. Myſticæ Civitatis Dei nu. 1183. verbis Hiſpanicis ſupra tranſcriptis, num. 454. Ergo, &c.

478 His argumentis ſatisfacere connatur ingenioſus Lumbier ad defenſandos actus notionales Verbi; ab impugnatione tamen latiori tanti Magiſtri pro nunc libentèr abſtrahendo, tùm quia mihi non neceſſaria, tùm quia doctioribus relicta: hoc ſolum pro coronidè reſolvam, quod ad defenſionem propoſitionis confixæ, imò nec ad propoſitiones Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis ſtabiliendas opus eſt, ſic extraordinario vti diſcurrendi modo. Vel ſi mavis dicam, quod quanquam aliàs arcta ſemita actuum notionalium prædictorum defenſabilis foret, quod ad nos non attinet judicare: juxta doctrinam V. Mariæ à Ieſu de Agreda, loco relato Myſticæ Civitatis Dei nequiret componi. Verba Venerabilis Authoris ſunt hæc: *Quando digo, que hablava, y orava el Verbo humanado à ſu Eterno Padre, no ſe entiende que hablava, ni orava con la naturaleza Divina, en que era igual con el Padre, ſino en la humana, en que era menor.* Ex his arguo ſic: Ideo humanatum Verbum nec loquebatur, nec orabat ſecundum naturam divinam, quia ſecundum hanc æquale erat Verbum Patri; ſed etiam ab æterno ſecundum naturam Divinam æquale erat Verbum Patri: ergo juxta mentem genuinam Venerabilis Authoris non potuit Verbum loqui, nec poſtulare, nec orare ſecundum naturam Divinam. Idem dic de voluntate Verbi. *Reſolut.* *Myſt. Civ. Dei, 2. p.*

479 Reſpondet Lumbier, aliud eſſe Verbum petere, & aliud Verbum orare; nam orare inferioritatem indicat, non autem poſtulare vel petere nomine alterius; quapropter licèt repugna- *Evaſ. reiicitur.*

 ret

rec Incarnato Verbo orare ſecundum naturam Divinam, non repugnavit Verbo ab æterno poſtulare ſecundum naturam Divinam, nomine naturæ humanæ. Quidquid ſit de præciſione, juxta doctrinam relatam V. Authoris locum non habet inſtantia. Hoc patet, nam in relatis verbis æque negatur Verbo ſecúdum naturam Divinam loqui & orare; ſed loqui ſecundum ſe inferioritatem non dicit, dato quod poſtulare inferioritatem nó arguat: ergo ſi loqui notionalitèr negatur Uerbo ſecundum naturam Divinam, ſecundum ipſam etiam ei negabitur poſtulare. Dicendum eſt igitur, quod petitiones Verbi ab æterno nomine humanitatis, prout à V. Abbatiſſa referuntur, non ſunt explicandæ per actus notionales Verbi ſecundum voluntatem Divinam, ſed modo ſupra relato num. 471. Præterquam quod ſi cócederentur in Divinis Perſonis actus notionales volendi, etiam concederentur actus notionales intelligendi, alitèrque eſſet Pater notionalitèr ſapiens, ac eſſet Filius notionalitèr ſapiens, ſicut alitèr eſſet Pater notionalitèr volens, ac eſſet Filius notionalitèr volens: hoc tamen quam difficile ſit, ex ſe ſatis apparet.

§. V.

REDARGVVNTVR AVTHORES utriuſque Cenſuræ quoad propoſitionem primam.

480 ASSEREBAT V. Author, Verbum ab æterno interceſiſſe pro hominibus ante Thronum Divinitatis, nomine humanitatis. Dicitis, ò Sorbonici, quod *Doctrina hæc male ſonat in fide, in hæreſim inducit, & eſt injurioſa divinitati Verbi.* Ideo totum hoc abſque dubio, quoniam Verbum intercedere, & poſtulare inducit, judicio veſtro, inferioritatem in Uerbo. Vidiſtis hoc eſſe falſum cum de Spiritu Sancto dicatur *interpellare pro nobis*, quin interpellare inferioritaté inducat in Spiritu Sancto: ergo corruit fundamentum principale Cenſuræ veſtræ. Erraverunt Hæretici Arius & Macedonius (hos refutat S. Auguſtinus lib. 7. contra Maximum) judicantes Spiritum Sanctum non eſſe Deum, nec æqualem Patri, eo quod pro hominibus interpellaſſe legerunt. Numquid, propoſitio illa: *Spiritus*

Argum. à ſimili.

tus Sanctus interpellat pro nobis, eo quod de doctrina ſana fecerunt Hæretici lapidem offenſionis, & petram ſcandali, ideo talis propoſitio malè ſonat in fide, in hæreſim inducit, & injurioſa eſt Divinitati Spiritus Sancti? Petit Verbum, interpellat Spiritus Sanctus: nùm, quomodo catholicè exponitur interpellatio Spiritus Sancti, exponi non valet petitio Uerbi? hæc malè ſonat in fide, in hæreſim inducit, & eſt injurioſa Divinitati Verbi, & illa non eſt injurioſa divinitati Spiritus Sancti? Vel potiùs: interpellatio Spiritus Sancti pro nobis, libera procedit à Cenſura; & interpellatio Filij pro nobis, digna eſt ſic ſeveriſſima Nota?

481 Præterea, ſi interpellatio Spiritus Sancti, quæ catholicè intelligi debet, hæretico judicio ſubjecta reperitur: Cenſurare igitur interpellationem Filij, modo quo hæretici Cenſurarunt interpellationem Spiritus Sancti, licebit catholicis Doctoribus? Interpellatio Spiritus Sancti in hæreſim non induxit; interpellatio ergo Filij in hæreſim non inducit. Interpellatio Spiritus Sancti non malè ſonat in fide, niſi hæreticis: Interpellatio ergo Filij non debet malè ſonare in fide Catholicis Magiſtris. Interpellatio Spiritus Sancti non fuit injurioſa Divinitati Spiritus Sancti, niſi in opinione diabolica Hæreticorum: Interpellatio ergo Filij non debet eſſe injurioſa divinitati Verbi in ſano dictamine Pariſienſium. Interpellatio Spiritus Sancti expoſitionem habet ſanam, Sanctam, Catholicam, & piam: interpellatio ergo Filij expoſitionem legitimam offerebat ex elaboratis pro interpellatione Spiritus Sancti. Nunquid Filius alitèr eſt Deus, ac Spiritus Sanctus? Certè non. Interpellatio igitur cōpatibilis cum Divinitate Spiritus Sancti, incompatibilis non erit cum Divinitate Verbi. Si viderent Hæretici, auferentes divinitatem à Spiritu Sancto ratione interpellationis pro nobis, Cenſuram veſtram, dum aſſeritis quod interpellatio Verbi malè ſonat in fide divinitatis Filij; quid ipſi cogitarent? Erraſſe nunquid intelligerent, dum Divinitatem abſtulerunt ratione interpellationis à Spiritu Sancto?

Augetur instantia.

482 Compellimur ergo impugnare Cenſuram veſtram, quomodo impugnantur Hæretici, arbitrantes falsò, Spiritum Sanctum non eſſe Deum, quoniam pro hominibus interpellare comperiunt. Ratione proſequar. Neceſſario nobis eſt dicendum, Here-

Redargi Cenſ.

re-

reticos abſque fundamento Divinitatem & æqualitatem abſtuliſſe à Spiritu Sancto, dum, ſola ratione interpellantis pro nobis, putarunt non eſſe Deum. Sed ratione conſimili, ſcilicèt, interpellationis Verbi Cenſuram veſtram compaginatis: ergo compellimur impugnare Cenſuram veſtram, quomodo impugnantur Hæretici. Uel ſi hoc exhorret, lenius dicemus, abſque fundamento compaginatam Cenſuram veſtram, dum conſimili ratione abſque fundamento compaginatam profitemur Cenſuram Macedonij contra Divinitatem Spiritus Sancti.

Proſequitur injũtia.

483 Præterea, ſalva pace, videtur, quod Cenſura veſtra favet Hæreticis, & hoc quidem etiam rationibus oſtendam. Hæretici legentes Spiritum Sanctum interpellantem pro nobis, judicarunt, Spiritum Sanctum non eſſe Deum; ſed vos ſimilitèr dum legiſtis, Verbum ab æterno poſtulaſſe pro nobis, ſtatim intonuiſtis, quod propoſitio hæc malè ſonat in fide, & quod eſt injurioſa Divinitati Verbi: ergo Cenſura veſtra favet Hæreticis. Demùm, Hæretici legentes Spiritum Sanctum interpellantem pro nobis in Conſiſtorio Divino, debuerunt potiùs laborare pro Fide, expoſitionemque dogmatibus catholicis non contrariam quærere & inveſtigare: meliùs igitur eſſet vobis, dum interpellantem Filium legiſtis, Chriſtiana pietate opus aſſumere in obſequium fidei, ſiquidem ex reſultantia, ſemel oſtenſo, petitiones Verbi compatibiles fore cum Divinitate Filij, liquidò ſequeretur interpellationem Spiritus Sancti compatibilem eſſe cũ Divinitate Spiritus Sancti. Laborem igitur profeſsioni veſtræ contrarium aſſumpſiſtis, dum tuliſtis judicium, Dogmatibus Catholicis magis contrarium quam proficuum.

Augetur inſtant.

484 Cœterum, vt nulla Cenſuræ veſtræ linea ſine reflexione pertranſeat, amplius arguo: Si propoſitio aſſerens, *Verbum interpellaſſe pro nobis*, in hæreſim inducit: ergo propoſitio aſſerens, *Spiritum Sanctum interpellaſſe pro nobis*, in hæreſim induxit Arium & Macedonium: ergo hi non ex malitia in dictam hæreſim inciderunt? Abſit tantus error. Non in ſcripturæ verbis, ſed in Hæreticorum depravata voluntate, cauſa fuit erroris: ergo ſi propoſitio aſſerens, Spiritum Sanctum interpellare pro nobis in hæreſim non inducit, neque propoſitio aſſerens, *Divinum Verbum interpellaſſe pro nobis*, in hæreſim inducit.

485 Demùm, judicium vltimum Cenſuræ veſtræ concludit

dit aſſerendo, propoſitionem affirmantem, *Divinum Verbum ab æterno interpellaſſe pro nobis*, injurioſam fore Divinitati Verbi. Nos autem Apoſtoli ſententiam proſequentes, concludimus ſic: Propoſitio aſſerens, *Spiritum Sanctum interpellaſſe pro nobis*, non eſt injurioſa Divinitati Spiritus Sancti, quinimò ab ipſo Spiritu Sancto ſuperno lumine revelata: ergo neque propoſitio aſſerens Divinum Verbum interpellaſſe pro nobis, injurioſa erit Verbo Divino, nec repugnabit quod illuſtratione ſuperna ſit Authori Venerabili revelata. *Concludit. redarg.*

486 Hæc omnia dixi, argumenti gratia, ò Cenſores Sorbonici, quos in charitate diligo, vt vtroſque Catholicos Magiſtros, & Eccleſiæ defenſores revereor: in quo exceſsi, parcite mihi. *Advertẽtia.*

ARTIC. VII.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

487 PAg. 185. nu. 172. *Niſi enim ſpeciali voto adſtricti fuiſſent ad eam Templo conſecrandam, antequam cognoſcerent eam, & cum eâ agerent, videndo eam poſtea tàm amabilem, tàmque ſuavem, omnes difficultates excogitabiles paſsi fuiſſent, ſi ab ea ſeparari oportuiſſet, nec niſi contranitente corde obtuliſſent eam, propter magnum amorem, quo erga illam afficiebantur.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

488 HÆC *propoſitio Pietati, & Sanctitati Parentum Beatiſsimæ Virginis derogat.*

CENSVRA SVPPOSITITIA.

489 PRopoſitionem à Deputatis confixam in hoc Artic. 7. poſſuerunt Authores Suppoſititiæ Cenſuræ in Art. 14. qui vltimus eſt ſui Libelli, inter alias quamplures, quarum Cenſura, prout reſpectivè ad propoſitionem hic Notatam fere non facit ad rem: eſt autem ſic: *Hæ omnes propoſitiones reſpectivè*

temerariæ ſunt, & contra Eccleſiaſticæ Regulæ modeſtiam aſſertis; pleræque fabulas, & ſomnia Apocryphorum redolent, &c. Sic eſt in dicto Artic. 14. Cenſuræ Suppoſititiæ.

CONCERT. VIII.

SUPER PROPOSITIONEM CONFIXAM in hoc Articulo 8.

490 EXAMINANDA. 1. Diſcordia inter Verſionem Gallicam, & Originale Hiſpanum, aperieturque intelligentia legitima V. Abbatiſſæ. 2. Confirmatio propoſitionis, prout ad Originale proprium reſtitutæ, ex doctrina ſana Scripturæ Sacræ, Doctorum Inſignium, aliarumque privatarum revelationum. 3. Redarguentur Cenſores, eorumque in eos retorquebitur Cenſura. Veniamus ad ſingula.

§. I.

OSTENDITUR SUBSTANTIALIS DISCORDIA inter Verſionem Gallicã & Originale Hiſpanum, aperiturque intelligentia genuina Venerab. Albatiſſæ.

491 PROPOSITIONIS Notatæ Textus Originalis: *Si antes de conocerla, y tratarla* (S. Joachim, y S. Ana à ſu Hija Santiſsima) *no ſe obligáran con voto particular de ofrecerla al Templo, viendola deſpues tan dulce, y agradable criatura, no lo pudieran hazer con tanta promptitud, por el vehemente amor, que la tenerian.* Verſio ex Hiſpano in latinum: *Si antequam,* Joachim & Anna, *cognoſcerent, & tractarent,* Sanctiſsimam Filiam ſuam, *non ſe obligaſſent voto particulari, offerendi eam Tẽplo Domini; videntes eam poſtea adeo dulcem, & gratam creaturam, non poſſent idipſum tanta promptitudine facere, propter vehementem amorem, quem haberent erga ipſam.* Verſio ex Gallico in latinũ,

Textus Originalis

pro-

prout jacet in Articulo Cenſuræ: *Niſi enim ſpeciali voto adſtricti fuiſſent ad eam Templo conſecrandam, antequam cognoſcerent eam, & cum ea agerent, videndo eam poſtea tam amabilem, tamque ſuavem, omnes difficultates excogitabiles paſsi fuiſſent, ſi ab ea ſeparari oportuiſſet, nec niſi contranitente corde obtuliſſent eam, propter magnum amorem, quo erga illam afficiebantur.* Subſtantialis diſcordia patet. Etenim pro verbis, *Non poſſent facere*, id eſt, eam offerre, *tanta promptitudine*; vertunt: *Omnes difficultates excogitabiles paſsi fuiſſent.* Aliud quippè eſt, rem facere *non cum tanta promptitudine*, & aliud quidem ad faciendam rem *omnes pati difficultates excogitabiles.* Inter difficultates excogitabiles, innumeræ comprehenduntur difficultates, alijs aliæ imperfectiores; in faciendo autem rem *non cum tanta promptitudine*, ſolummodo continetur major vel minor promptitudo: valdè igitur diverſum eſt vnum ab alio. Præterea, verba illa, *Nec niſi contranitente corde*, extra litteram ſunt textus originalis, vt inſpicienti patebit, niſi alias in contranitente corde, major ſolummodo, vel minor promptitudo vellint intelligi.

Verſio ex Gallico.

Diſcordia.

492 Ad litteram igitur originalem propoſitione reducta, genuina mens V. Abbatiſſæ ſatis aperta conſpicitur. Aſſeruntur ergo omnia hæc: 1. Sanctiſsimos Parentes Ioachim & Annã, ante conceptam Filiam, ſpeciali voto eam obtuliſſe Templo Domini. 2. Sacratiſsimæ Uirginis Infantulæ amabilitas eximia. 3. Conditionata propoſitio, quod ſi Filiam ſpeciali voto non obtuliſſent Sacri Parentes Templo Domini, antequam amabilitatẽ ejus experirentur; nequirent poſtea tanta promptitudine eam offerre, ejuſque præſentia delectabili privari. Hoc tantummodo in confixa propoſitione, prout ad originale fidelitèr reducta ex terminis affirmatur, non autem id quod in clauſula, prout à Cenſoribus compaginata, cenſetur. Quæramus igitur ex approbatis, ſaniſque doctrinis, quoad partes ſingulas veritatem totius aſſerti.

Menſ. Auth.

§. II.

CREDIBILITAS NOTATÆ PROPOSI-tionis, ex alijs conſimilibus doctrinis.

493 ASSERTUM primum, ex tribus nuper attactis, id erat, ſcilicèt, Sanctiſsimos Parentes Ioachim & Annã ſpeciali voto, deſideratã ſibi prolem obtuliſſe Templo Domini. Votum haud diſimile de altera Anna, Samuelis Prophetæ genitrice, quæ (teſte Niceforo apud Caniſsium lib. 1. de Maria Deipara cap. 12. fol. 63. col. 2.) Annæ feliciſſimæ Mariæ Deiparæ Matris figuram præſeferebat, legitur lib. 1. Regum cap. 1. à verſ. 10. vbi illius Annæ preces fervidæ ſacro calamo narrantur, & votum de conſecranda prole explicatur ſic: *Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſervæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitę ejus.* Oblatus eſt ergo Samuel Domino voluntate Matris antequam natus, quinimò & antequam in vtero conceptus, credibile eſt igitur, etiam Sacratiſsimam Virginem fuiſſe Domino conſecratam voluntate Matris, antequam in vtero conciperetur, prout ab Authore Venerabili narratur. Caniſsij verba, Nicefori teſtimonio illuſtrata, ſunt hæc: *Sicut de Anna, Ioachim conjuge, ſic etiam de Samuelis Matre, & Helchane vxore ſcribitur, quod multo tempore ſterilis vixerit; quod prolis deſiderio magno teneretur; quod pro fæcunditate Deum ſedulo precaretur; quod libentèr verſaretur in Templo; quod honeſta eſſet, ac Religioſa Matrona; quod voto ſe obſtrinxerit; prolem natam offerendi Deo, ſacroque miniſterio in Tēplo conſecrandi; demùm, quod ſtatim poſt ablactionem, promiſſum exolverit, quod hanc prolem in Templo obtulerit, & oblatam reliquerit, vt piè illic educaretur. Tàm pulchræ Matres & hæ alia inter ſe conſentiunt, quod prior Anna offerret in Templo ſobolem, id noſtra etiam Anna, &c.* Conſtat ergo votum à Sanctis Parentibus factum, &c.

Nicephor. *1. Reg. 1.* *Caniſsius.*

494 Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, in Bibliotheca Virginali tom. 2. fol. 455. col. 1. ait ſic: *Cum Anna*

S. Antonin. Florent.

na & Ioachim non haberent Filios, & per multos annos tranſiſſent ſine prole, orationibus, ieiunijs, & eleemoſynis inſiſtebant. Votum etiam fecerunt offerendi prolem Deo in Templo, &c.

495 Idem Sanctus, eodem tom. 2. Bibliothecæ Uirginalis fol. 476. col. 1. ſub litt. C. ait ſic: *Iſtam ſagittam emiſſerunt Ioachim & Anna, quando ſteriles exiſtentes voverunt Deo, fructum ventris ſui ſe daturos ei, ſi eis concederet, quod & obtinuerunt, & ſervaverunt, &c.* *Idem.*

496 Celebris Andreas Cretenſis Orat. de Nativitate B. Virginis in Biblioth. Uirg. tom. 2. fol. 787. ait ſic: *Cum autem Ioachim & Anna triſtitia tenerentur, quod deeſſet proles, ambo prolem concedi orabant: Ambo igitur exaudibilem illam Annam imitati, templo aſsidui erant, ſupplicibuſque votis exorabant, &c.* *S. Andreas Cretenſis.*

Comprobatum eſt igitur authoritatibus non deſpicabilibus, Sãctorum Parentum Cœleſtis Reginæ noſtræ votum de Præſentatione ejus in Templum Domini, prout à V. Abbatiſſa citato loco refertur.

497 Circa ſecundum in Propoſitione Notata comprehenſum aſſertum, de amabilitate vnicæ filiæ Ioachim & Annæ, adeſt in primis Eccleſiæ teſtimonium in Laurentana prece, vbi Sanctiſsima Virgo ſingulari Titulo conclamatur, & dicitur, *Mater amabilis*; poſteaque ſubjungitur: *Mater admirabilis, Virgo Prudentiſsima*, quæ omnia ad redamandam provocant. *Littan. Lauret.*

498 Præterea ſi de Moyſe dictum eſt, Eccleſ. 45. v. 1. *Dilectus Deo & hominibus*, quod & de aliquibus Sanctis etiam prędicatur: quis ratione digna mirabitur, Reginam Sanctorum omnium, amabilem, & amabiliſsimam prædicari? Cogita, & dignè quidem cogitabis, Sanctiſsimam puellulam, puriſsimam, prudentiſsimam, pulcherrimam, omni gratia plenam, omnibus virtutibus ornatam, omnibus chariſmatibus decoratam, Deo gratiſsimam, Parentibus ſuis obſequentiſsimam, humillimam, modeſtiſsimam, cœlitus edoctam, divinitùs illuſtratam, verbis placidam, actionibus mirabilem, inceſſu ſine affectatione maieſtate plenum, in omnibus ſupra ætatem, perfectione ſupra naturam. Quidquid inſuper commendabile, quidquid interioris & exterioris gratiæ tibi venerit in mentem, in Infantula Maria cogita repertum. His, alijſque paſsim apud SS PP. de naturalibus, ſupernisque Sacratiſsimæ Virginis Mariæ donis occur- *Eccli. 45.*

rentibus, adde ex parte Parentum naturalem erga Filios amorem. Parentes itidem ſenectuti properantes conſidera, deſiderata prole hactenus orbatos, infœcunditate deſpectos, afflictos, vndequaque probatos: exinde ad ſolatium plenum cœlitùs tranſlatos, prole vnica, quæ nec primam habuit, nec poteſt habere ſequentem: *Quantum poteſt, tantum auge*; vt Hiſpanici Thomæ

S.Thom. à Villanova ſup. n. 28. proſequar verbis; *quantum vales, tantum aude, maior eſt iſta Virgo; excellentior eſt iſta Virgo: & intellige, nihil gratiæ, aut perfectionis, aut gloriæ, quod animus in pura creatura concipere poſsit, ei debuiſſe*. Ex his iterum ad SS. Parentum corda revertere, & invenies ibi theſaurum amoris, natura fœcundum, cœlitùs ordinatum, in conſpectuque Angelorum & hominum vndequaque juſtum & ſanctum.

499 Ne autem & alias privatas revelationes obliviſcamur, ex ſequentibus oportebit augere vires argumenti propoſiti. S. Birgitta lib. 4. cap. 108. fol. 484. col. 1. aſſerit, quod Vnigenitus Dei & Virginis Filius, loquebatur ei ſic: *Mater igitur mea, quando, & poſtquam nata fuit, ſic erat pulchra, quod nulla erat in ea macula, quod bene cognoſcentes Dæmones, ſic ægrè tulerunt, per ſimilitudinem loquendo, &c.* Cognoverunt Diaboli pulchritudinem Infantulæ, quam non cognoverunt Parentes ejus?

S. Birgit. lib. 4.

500 Et tom. 2. Serm. Ang. cap. 7. fol. 381. col. 2. *Credebat idcirco Adam, quod de vna perſona in corpore ſimili Evæ, quæ ſuper cunctos ex Viro & Muliere generatos, & generandos, omnium virtutum perfectione floreret, humanam carnem Deus vellet aſſumere, ac de ea, ſua Virginitate ſalva, cum Deitate & humanitate honeſtiſsima naſci.* Et paulò infra in fin. cap. *Sicut Angeli in Cælo ex hoc lætabantur, quod te, ò Mater Dei, ante mundi conſtitutionem naſcituram prævidebant, ita & Adam ex præſcientia tuæ Nativitatis, magnum gaudium & exultationem habebat.* Patet in primis ex verbis iſtis, Angelis & Adamo, huic poſt lapſum, & illis poſt creationem, revelatam fuiſſe Nativitatem futuram Reginæ Cœleſtis, vt ſupradicta confirmentur, & ſuperaddantur num. 421. hujus Certaminis. Prætereа, formalitatem argumenti præſentis proſequendo: ſi gaudium fuit Angelis Dei, primoque Generis Humani Parenti, Infantulæ Mariæ revelata Nativitatis prævíſio: negabitur hoc Parentibus Sanctis Ioachimo & Annæ, executa Glorioſa Nativitate, quæ gaudium annuntiavit vniverſo mundo?

Ibid. Serm. Agn.

501 Et tom. 1. earundem divinarum revelationum S.Birgittæ lib. 1. cap. 9. fol. 18. col. 2. ait Sacratiſsima Virgo: *Cum autem anima mea corpori conjungeretur, tanta Matri meæ advenit lætitia, vt impoſsibile eſſet dictu, &c.* Inter principia fundamentalia amoris Materni, hoc & annumera. Et lib. 3. cap. 8. loquitur Sacratiſsima Virgo: *Ego ſum illa, quæ ab æterno in charitate Dei fui, & ab Infantia mea Spiritus Sanctus perfectè erat mecum.* Et paulo infra: *Ab Infantia mea plena eram Spiritu Sancto, & juxta corporis, & ætatis meæ accreſcentiam, tàm affluentèr me totam replevit Spiritus Sanctus, quod nihil in me vacuum reliquit. Fervebat enim in corde meo ignis divinæ charitatis, &c.* Nùm & diligibilis Parentibus Sanctis non fiebat, quæ ſic erat à Spiritu Sancto dilecta? *Eadem S. Birgit.*

502 Et lib. 4. cap. 19. fol. 350. col. 1. loquitur S. Birgitta: *O dulcis Maria, Pulchritudo nova, Pulchritudo clariſsima, veni in adjutorium mihi. Verè Domina tu es, pulchritudo pretioſiſsima, pulchritudo deſideratiſsima; infirmis data es in auxilium, tribulatis in ſolatium, omnibus in Mediatricem. Ergo omnes, qui audierunt te naſcituram, & qui ſciunt te jam natam, bene clamare poſſunt: Veni pulchritudo clariſsima, & illumina tenebras noſtras. Veni pulchritudo pretioſiſsima, & aufer opprobrium noſtrum. Veni pulchritudo ſuaviſsima, & mitiga amaritudinem noſtram. Veni pulchritudo potentiſsima, & diſſolve captivitatem noſtram. Veni pulchritudo honeſtiſsima, & dele fœditatem noſtram. Ergo Benedicta, & Venerabilis ſit talis, & tanta pulchritudo, quam omnes videre optabant Patriarchæ; de qua omnes cecinerunt Prophetæ; de qua omnes electi gaudent, &c.* Et paulò poſt loquitur Filius Dei ad Matrem: *O Benedicta Mater, tu es ſimilis auri fabro, qui præparat opus pulchrum. Omnis qui viderint opus, congratulantur, &c.* *Ibid. lib. 4.*

503 Ne autem vltra quam oportet protendamus aſſumptum, quamplures aliàs authoritates ad longum tranſcribentes, videantur, ſi placuerit, in eiſdem revelationibus Serm. Ang. cap. 5. per totum, vbi videtur, quod Maria pulchre dicitur, *Minor mundus, de qua Deo major gloria, & Angelis lætitia, hominibuſque major vtilitas eſt quam de toto mundo.* Et ibidem, quod *Mariæ obedientia quaſi radij ſolis erat, & fides vt jubar Lunæ; cogitationes ſtellis nitidiores; & verba volucrum concentibus dulciſoniora.* Et cap. 12. ejuſdem Serm. Angel. quod *Maria placuit* *Ibid. Serm. Ang.*

Deo Patri per Virginitatem, Filio per humilitatem, Spiritui Sancto per obedientiam. Et cap. 13. eiuſdem ſerm. Aug. per totum, & cap. 14. & in extravag. cap. 13. deſcribitur: *Sacratiſsima Infantula, & qualitèr corpus ſuum moderabatur, qualitèr, & quantum Divina Charitate, virtutibuſque ornata erat in anima, & quã grata & pulchra in corpore.* Exquibus omnibus, ex alijſque per multis hìc omiſsis, apud Seraphicum Doctorem, Sanctum Anſelmum, Meliflaumque Benardum paſsim inventis, & in Divinis intelligentijs Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, vbi plurima de Sacratiſsima Virgine, conjectari poterit intenſiſsimus Sanctiſsimorum Parentum Joachim & Annæ erga Filiam ſuper amabilem juſtificatus amor, vt mors fortiſque dilectio. Et hęc de aſſerto ſecundo.

Ibid. Extravag.

Tertia Propoſitio.

504 Circa 3. vbi tota Cenſorum fundatur difficultas, propoſitio conditionata ſic eſt: *Niſi ſpeciali voto adſtricti fuiſſent Ioachim, & Anna ad Filiã Templo conſecrandam, antequã cognoſcerent eam, non valerent poſtea idipſum tanta prõptitudinę facere, propter vehementem amorem, quem haberent erga ipſam.* Diximus jam, propoſitionem, prout jacet in Articulo Cenſuræ, diformitèr inveniri, nec fidelitèr verſam ex proprio originali. Quapropter, ſi Deputatorum Cenſura, in propoſitione, ſolum prout jacet in Articulo, nitebatur, evanuit Cenſura, ſicut evanuit propoſitio. Verum ſi Cenſores in ſubſtantiam propoſitionis, prout ad terminos legitimos reſtitutæ, hicque & ſupra tranſcriptæ num. 491. eadem Nota ferantur; rationibus & nos inſiſtere conabimur, ex dicta propoſitione conditionata nullã ſanctis Parentibus imperfectionem applicari.

505 Supponimus in primis, quod ſi Sancti Parentes votum de prole Templo conſecranda non feciſſent, liberi forent vndequaque ad filiam Templo Domini offerendam, vel domi retinẽdam. Supponimus ſecundo, digniſsimè raptam voluntatem Parentum amore ferventi dilectiſsimæ & amabiliſsimæ Filiæ. Supponimus tertio, nullum Sanctis Parentibus de prole conſecranda, Temploque Domini offerenda, impoſitum fuiſſe præceptum. His ſic, ad rationem deveniamus. Non eſt imperfectum, quod fieri valet ſine imperfectione; ſed ſuppoſitionibus admiſſis, nulla in Sanctis Parentibus foret imperfectio, dilectiſsimam Filiam domi ſecum retinere, eamque Templo Domini non offer-

Ratio.

fer-

ferre: Ergo, &c. Maior ex terminis liquet. Minor, in qua eſt difficultas, ſuadetur. Secluſo voto Parentum & divino præcepto de prole Templo Domini præſentanda, præſentatio prolis erat omnino libera, ita vt quanquam Filiam Templo Domini præſentare foret bonum, eam non præſentare non eſſe, malum: ergo ſuppoſitionibus admiſſis, nihil Notata propoſitio derogat Sanctitati Parentum. Antecedens patet ex Apoſtoli authoritate Rom. 3. v. 20. *Per legem enim cognitio peccati.* Et cap. 4. v. 15. *Vbi enim non eſt lex: nec prævaricatio.* Et cap. 5. v. 13. *Peccatum enim non imputabatur, cum lex non eſſet.* Et cap. 7. v. 6. Quid ergo dicemus? *Lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognovi, niſi per legem*: ergo ſi lex non erat impoſita SS. Parentibus de prole Templo Domini offerenda, ſecluſo voto, nullum eis imputaretur peccatum, quanquam SS. Filiam Templo Domini non offerrent: propoſitio igitur, vt jacet in textu, nequaquam derogat Sanctitati Parentum. *Rom. 3.*

506 Præterea, ſuppoſito juxta dicta, nullam fuiſſe legem Sanctis Parentibus, nullumque votum, de Sacratiſsima Filia Templo Domini offerenda; inſpicienda venit eorum ſancta voluntas, ex vna parte libera totalitèr ab obligatione oblationis, & ex alia vehementèr inclinata ex juſtiſsimo amore dilectiſsimæ Filiæ, ita vt ſi Filiam offerrent, benè facerent; ſin autem, nullam in eo legem præterirent. Hoc ſic, argumentum apparet: Amor eſt animæ pondus, ex Auguſtino: *Amor meus pondus meum*; ſed quanto gravius eſt pondus, tanto minori facilitate ſublebatur: quanto igitur intenſior ſentiebatur amor in SS. Parentibus erga dilectiſsimam Filiam, tanto minori facilitate, ſecluſo voto & præcepto, ejus poſſent præſentia & commitatu privari, ſed in hac minori facilitate nullus foret defectus, nullumque peccatum, vt nuper oſtendimus: ergo dicta minor facilitas ad dilectiſsimam Filiam Templo Domini offerendam, in nihilo derogat Sanctitati Parentum. *Argum. rat.* *S. Auguſt.*

507 Cæterum, minor facilitas relata, vel aliqualis reſiſtentia ex vehementi erga Sanctiſsimam Filiam amore, vinceretur ex textu: *No lo pudieran hazer con tanta prontitud por el vehemente amor, que la tendrian.* Ergo quamvis eam non poſſent offerre, & Templo Domini præſentare cum tanta promptitudine, poſſent tamen idipſum abſolutè facere, & de facto id exequerent- *Ex ipſo text.*

ren-

rentur, dum ſic expedire cognoſcerent; ſed hoc nihil derogat Sanctitati Parentum: Ergo, &c. Minor liquet, etenim major vel minor promptitudo ſolum arguit majorem vel minorem ex inferiori parte reſiſtentiam; ſed id, dum conſequatur victoria, nec meritum minuit, nec veram Sanctitatem denigrat: Ergo, &c. Vltima minor etiam patet, ex illa trita ſententia: *Dum crevit pugna, crevit & pugnantium gloria*: Ergo, &c.

Argum.ex ſuppoſit. 508 Præterea, ſemel ablato perfectiori principio, ex conſequenti tollitur effectus perfectior: conditionatè ergo deſtructo principio perfectiori, conditionatè tollitur perfectior effectus; ſed ſolum conditionatè adſtruitur minor in Sanctis Parentibus promptitudo, hoc eſt, ſuppoſito quod votum non feciſſent: ergo quamvis in re, minor illa promptitudo imperfecta prodiret in Sanctis Genitoribus; cũ aliàs ſolũ poſita conditione carentiæ præexiſtentis voti tarditas affirmetur, nullã imperfectionem valet afferre. Cõſequentia ſuadetur: In re, & juxta mentẽ V.Abbatiſſæ, affirmatur votum præexiſtens in Sanctis Parentibus, & animi promptitudo ad Sacratiſsimam Filiam Templo Domini offerendam: ergo in re deſcribuntur Sancti Parentes vndequaque perfecti cum præexiſtenti voto, & cum promptitudine animi ad illud opere exequendum; ſed minor promptitudo in propoſitione confixa, ſolum adſtruitur ſub cõditione carentiæ præexiſtentis voti: affirmatur igitur de SS. Parentibus ſub conditione, ſub qua nunquam extiterunt SS. Parentes: ergo non derogat talis propoſitio conditionata Sanctitati Parentum; quinimo ex ipſa propoſitione conditionata, eorum perfecta Sanctitas confirmatur, ſiquidem de facto, nec negatur votum præexiſtens, nec minor affirmatur animi promptitudo ad SS. Filiam Templo Domini præſentandam.

Aug. inſt. 509 Præterea, carentia præexiſtentis voti induceret tarditatem aliqualem ad offerendam dilectiſsimam Filiam Templo Domini, juxta litteram Notatæ propoſitionis: ergo votum præexiſtens induxit omnimodam promptitudinem in SS. Parentibus ad offerendam dilectiſsimam Filiam Templo Domini. Cõſequentia ſequitur ex regula philoſophica contrariarum propoſitionum. Si enim carentia voti aliqualitèr minuit promptitudinem animi, (quam integram haberent, ſicut de facto habuerunt, ſuppoſito voto, juxta doctrinam expreſſam V.Abbatiſſæ:) votum

Regul. Philoſoph.

er-

ergo adæquatatam induxit in SS. Parentibus animi promptitudinem ad dilectiſsimam Filiam præſentandam Templo Domini: Ergo propoſitio confixa non ſolum non derogat Sanctitati Parentum, ſed potiùs commendat ipſam Sanctitatem Parentum.

§. III.

REDARGVVNTVR CENSORES, EOrumque in eos retorquetur Cenſura.

510 PROPOSITIO prout jacet in Articulo Cenſuræ ſic eſt: *Niſi Ioachim & Anna ſpeciali voto adſtricti fuiſſent ad Filiam Templo Domini conſecrandam, antequam cognoſcerent eam; omnes poſtea difficultates excogitabiles paſsi fuiſſent, ſi ab ea ſeparari oportuiſſet, nec niſi contranitente corde obtuliſſent eam, proptèr magnum amorem, quo erga illam afficiebantur*. Cenſura autem veſtra, ò Pariſienſes, ſic eſt: *Hæc propoſitio Pietati, & Sanctitati Parentum Beatiſsimæ Virginis derogat*. Hactenus oſtendimus, propoſitionem, prout ad Originale proprium reſtitutam, immunem evadere à veſtra Cenſura. Nunc autem idipſum conabimur oſtendere, etiam de propoſitione, prout jacet in terminis à vobis metipſis tranſcripta in Articulo veſtræ Cenſuræ. Semel dato, quod SS. Parentes votum non feciſſent de Sacratiſsima Filia Templo Domini conſecranda; etiamque ſimilitèr admiſſo, quod omnes excogitabiles difficultates paſsi fuiſſent, & non niſi contranitente corde obtuliſſent eam; quid inde, ſi eam de facto & revera propter amorem Domini obtuliſſent? Nunquid minùs meritum ſubſequitur ex majori victoria? Ignoratis forsàn, quod *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*? *Galat*. 5. Nunquid ex hoc minuuntur merita Sanctorum, quibus dictum *v*. 17. eſt, mercedem laboris ego reddam vobis? *Si vincenti dabitur* *Apoc*. 2. *edere de ligno vitæ*: nunquid vincens invenitur ſine contrario *v*. 7. victo? Dum Apoſtolus dixit: *Sentio aliam legem in membris meis*, *Rom*. 7. *contrariam legi mentis meæ; quis me liberabit de corpore mortis* *v*. 23. *hujus*? Et alibi: *Quod autem nolo, hoc facio, &c*. Hæc omnia derogant Apoſtolicæ Sanctitati? Quanquam igitur ſecluſo voto, omnes difficultates excogitabiles paſsi fuiſſent SS. Parentes,

dum à Dilectiſsima Filia ſeparari oporteret, ſi de facto propter Deum ſacrificium facerent, & ſepararentur ab ea: vnde hoc derogat Pietati & Sanctitati Parentum? Sanctitati derogat, quod Sanctitatem indicat? Sanctitati derogat, quod propter Deum operatur in materia difficilima?

511 Nec ignoratis, vti celebres Doctores, quod quamvis difficultas per ſe minuat voluntarium, peraccidens tamen auget ipſum, contra conando, vt benè explicat Magiſter Angelicus, *de Veritate*, quæſt. 26. artic. 6. & 2. 2. quæſt. 161. art. 1. in corp. & alibi in Tabula aurea verb. *Difficultas*, à num. 18. & verb. *Meritum*, à num. 69. vbi dicitur: *Quanto magis eſt arduũ opus, tanto eſt magis meritorium ratione bonitatis, non autem ratione difficultatis, niſi per accidens ratione majoris conatus vel attentionis*. Conſonāt ſimilitèr dicta, Magno Aurelio Auguſtino to. 5. fol. 165. col. 1. ſub lit. B. vbi dicitur: *Meritum creſcit ratione difficultatis operis injuncti*: Quamvis ergo omnes difficultates excogitabiles paſsi fuiſſent SS. Parentes, dum propter Deum à dilectiſsima Filia ſeparari oportuiſſet, cum revera ob divinum amorem ſepararentur de facto, id non minoré Sanctitatem, ſed majus meritum commendat. Si autem in illis verbis, *contranitente corde*, actionem violentam inducere velitis; vos ipſi judicate, cum nos judices eſſe non poſsimus cogitationum veſtrarum: fundamentum autem vobis non eſt in littera textus, minuſque in legitima contextura. Cœterum, *ſi difficultates omnes excogitabiles*, ſolummodo ex inferiori parte colocetis, ex parte vero animæ promptitudinem & victoriam, hilaremque datorem, hũc diligit Deus, nihilque Sanctitati derogat caro infima, vbi ſpiritus promptus eſt.

Angelic. Doctor.

S. Auguſt.

512 Præterea ſi velitis, difficultates pati in operibus Sanctis derogare Sanctitati; Reſpondeat pro nobis ipſa V. Author, quæ varijs in locis Myſticæ Civitatis Dei, ſolummodo Regem gloriæ, Dominumque virtutum, & Reginam ſine labe conceptam, ſine difficultate, difficilia operatos fuiſſe, contextatur. 1. part. num. 576. à lin. 3. *Solo Maria Santiſsima no hallò difficultad, ni reſiſtencia en obrar todas las coſas grandes. Y aſsi pudo darles la ſuprema perfeccion ſin taſſarla por las contrarias inclinaciones, ni por ignorar el modo, ni por acudir à otras virtudes, como ſuele ſuceder à los mas Santos, &c.* Et num. 589. ejuſdem 2. part.

Myſt. Civ. Dei, 1. p.

à

à lin. 10. *Ninguno fue tan Santo, ni tan grande, que no lo pudieſſe ſer mayor, ni tan perfecto, que no le faltaſſe alguna virtud, ni tan inculpable que no hallaſſen los ojos de Dios, que reprehender en èl, &c.* Et 2. part. num. 798. à lin. 13. *Todos los Santos, y Juſtos fueron concebidos en pecado, y todos puſieron algun obice: y no obſtante eſto pudieron crecer en virtudes, ſantidad, y gracia; pero dexaron algun vacio para ella, &c.* Excipiuntur Dominus virtutum, & Regina Cœli, 1. part. num. 339. à lin. 9. *Era Chriſto el Señor de las virtudes, porque las avia obrado como Señor de ellas con imperio, y ſin contradiccion del pecado, y ſus efectos.* Et num. 340. à lin. 7. loquitur SS. Virgo Maria: *El Brazo poderoſo de mi Hijo hizo conmigo, como con Señora de las virtudes, y Reyna del Cielo. Y porque de mi carne, y ſangre avia de veſtirle, &c.* Exceptis igitur Chriſto & Maria, omnes Sancti paſsi ſunt difficultates, & inferioris partis reſiſtentias ad bene operandum. Favet his Angelicus Doctor 1. 2. quæſt. 66. art. 2. vbi aſſerit, quod *in Sanctis, excellentior promptitudo reperitur ad actum vnius virtutis, quam ad actum alterius:* & in 3. diſt. 3. quæſt. 1. art. 2. reſolvit, quod *ſanctificatio in vtero ligat fomitem, vt inclinat ad mortale peccatum, non autem reſpectu venialis:* Si igitur ſanctificatis in vtero non dicitur fomes extinctus abſolutè reſpectu venialium: ergo nec reſpectu difficultatum: ergo difficultates pati non derogat ſanctitati creatæ conceptis in peccato: ergo quanquam SS. Parentes difficultates paterentur, dum oporteret à dilectiſsima Filia ſeparari, cum revera propter Deum ſeparationem eligerent, amore naturali devicto, hoc non derogaret eorum ſanctitati, quamvis aliàs idipſum non argueret ſanctitatem ſupremã, qualem in conceptis in gratia profitemur.

Ibid. 2. p.

Ang. Doct.

513 Propoſitiones conditionatæ hujuſmodi naturæ ſunt, vt ſanctitati ſubjecti nequaquam derogent, dum conditio ſublata conducit ad perfectionem operis. Si Chriſtus non vocaſſet Saulum, neque Saulus foret converſus. Si Jonàs non prædicaſſet Ninivitis, neque ipſi pœnitentiam egiſſent. Nunquid hæc derogant converſioni Doctoris Gentium, & pœnitentiæ Ninivitarum? Si Sacratiſsima Uirgo Maria non habuiſſet tantam gratiam, neque ejus opera forent tantæ celſitudinis: num propoſitio iſthæc conditionata derogat ſanctitati Reginæ Cœleſtis? Abſit hoc. Si SS. Parentes Reginæ creaturarum votum non feciſ-

Propoſit. cõditionat.

ſent, ad eam Templo Domini præſentandam, antequam cognoſcerent ipſam, omnes difficultates excogitabiles paterentur, dum oporteret ab ea, ſeparari: Fateamur hoc ſic eſſe; in re tamen & votum fecerunt, & ipſum votum Domino factum, ob equioſis, promptiſque cordibus adimplentes, nullam difficultatem experti ſunt: Veneremur igitur Divinam providentiam, quod ſic diſpoſuit, Sanctiſsimos Parentes feciſſe votum ante cognitam prolem, vt poſteà in oblatione dilectiſsimæ & amabiliſsimæ Filiæ difficultatem animi non ſentirent. Propoſitio ergo abſoluta de Sanctis Parentibus, id explicans quod de facto evenit, gloriam & honorem ipſis adfert; propoſitio autem conditionata, prout jacet in Articulo, ſolum explicat naturam noſtram, & qualis foret abſque relata Divina providentia. Quamvis igitur propoſitio confixa, prout jacet in terminis in Articulo Cenſuræ, inveniretur in textu originali, libera maneret adhuc à Deputatorum Cenſura. *Niſi Dominus adjuvit me*, aiebat Propheta Regius, *paulominùs habitaſſet in inferno anima mea*: hiſque aliàs ſimiles in Scripturis Sacris conditionatas propoſitiones paſsim invenies. Inde orat Eccleſia: *Deus cuius Providentia in ſui diſpoſitione non fallitur: te ſupplices exoramus: vt noxia cuncta ſubmoveas, & omnia nobis profutura concedas.*

Pſal. 93. v. 17.

Domin. 7. poſt Pentecoſt.

ARTIC. VIII.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

514 PAg. 204. 229. 230. 231. & 232. Num. vero 186. 206. 209. 210. 211. & 213.

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

515 IN *his Paginis continentur Propoſitiones caſtarum aurium offenſivæ.*

CENSVRA SVPPOSITITIA.

516 IN Libello Cenſuræ Suppoſititiæ concitantur Paginæ, non autem numeri marginales: paginæ correſpondēt

Ver-

Verſioni Gallicæ, numeri autem marginales inſimul & Originali Hiſpanico, & Gallicæ Verſioni communes ſunt. Hujuſmodi vero Cenſura in omnibus eadem eſt cum Cenſura DD. Deputatorum, vno ſolum excepto termino, quod vbi Deputati dicunt, *In his paginis*, Authores Suppoſititiæ Cenſuræ ſcripſerunt, *In hiſce paginis, &c.* Præterea in Libello Cenſuræ Suppoſititiæ hic eſt Artic. 5.

CONCERT. IX.

SVPER DOCTRINAM CONFIXAM ſuperque novum cenſurandi modum expreſſum in hoc Articulo 8.

517 Conſueverunt hactenus Cenſores Pariſienſes (ſi Pariſienſes ſunt qui ſic cenſurarunt) propoſitiones Notandas in articulis vtriuſque Libelli traſcribere, vt ſimùl viſis propoſitionibus & Cenſuris, juſtus Cenſuræ judex fieret Lector Libelli. Nunc autem Deputati ſolummodo Paginas & numeros marginales concitarunt; Authores vero Suppoſititiæ Cenſuræ paginas tantummodò Verſioni Gallicę correſpondentes poſſuerunt, omittentes marginales numeros, quibus editiones, Verſioneſque diverſæ conveniunt & regulantur. Quoniam autem, etſi pauci, vbique ſunt viri curioſi, in idiomatè Hiſpano ſatis periti, placuit in primis litteram textus Originalis fidelisſimè proponere, vt ſi Verſiones, cujuſcunque ſint, etiam ex noſtris, fideles parum inveniantur, non caſtiſsimæ & honeſtiſsimæ Abbatiſſæ, ſed Authoribus Verſionum imputetur erratum. Hic erit §.1. In 2. autem, propoſitiones variæ, tùm Scripturæ Sacræ, tùm DD. tùm & aliarum privatarum revelationũ adducentur in medium, vt exemplaribus Catholicis videatur, quovſque loquendi modus, caſtarum aurium non offenſibus, licitè perveniat. In 3. demùm, inuſitatus hic cenſurandi modus, rationibus impugnabitur. Singula videamus.

§.I.

§. I.

NVMERI TRANSCRIBVNTVR IN Articulo Cenſuræ citati, prout jacent in Matritenſi Exemplari, cum Originali authenticè collato.

518 SEx in Articulo Cenſuræ citantur numeri, ſcilicèt, 186. 206. 209. 210. 211. & 213. Primus continet novem clauſulas. Secundus, quinque. Tertius, alias quinque. Quartus, duas ſolummodo. Quintus, alias duas. Sextus, demùm, tribus concluditur.

PRIMUS NVMERVS IN ARTICULO CITATUS.

519 ESt 186. primæ partis, continetque novem clauſulas, quæ tales ſunt: 1. *Deſpues de la primera concepcion de* *Myſt. Civ. Dei.* *el cuerpo, que avia de ſer para la Madre de la gracia, y antes de criar ſu alma ſantiſsima, hizo Dios vn ſingular favor à Santa Ana. 2. Tuvo vna viſion, ò aparecimiento de ſu Mageſtad intelectualmente, y por altiſsimo modo: y comunicandole en èl grandes inteligencias, y dones de gracias, la diſpuſo, y previno con bendiciones de dulzura. 3. Y purificandola toda, eſpiritualizò la parte inferior del cuerpo, y elevò ſu Alma, y eſpiritu, de ſuerte, que deſde aquel dia jamàs atendiò à coſa humana, que la impidieſſe, para no tener pueſto en Dios todo el afecto de ſu mente, y voluntad, ſin perderle jamàs de viſta. 4. Dixola el Señor en eſte beneficio: Ana, ſierva mia, yo ſoy Dios de Abraan, Iſac, y Iacob: mi bendicion, y luz eterna es contigo. 5. Yo formè al hombre para levantarle del polvo, y hazerle heredero de mi Gloria, y participante de mi Divinidad. 6. Y aunque en èl depoſitè muchos dones, y le puſe en lugar, y eſtado muy perfecto; pero oyò à la ſerpiente, y perdiòlo todo. 7. Yo de mi beneplacito, olvidando ſu ingratitud, quiero reparar ſus daños, y cumplir lo que à mis Siervos, y Profetas tengo prometido de embiarles mi Vnigenito, y ſu Redentor. 8. Los Cielos eſtàn cerrados, los*

Padres Antiguos detenidos ſin vèr mi cara, y darles el premio, que tengo prometido de mi eterna Gloria: y la inclinacion de mi bondad infinita eſtà como violentada, no ſe comunicando al Linage Humano.
9. Quiſiera yà vſar con èl de mi liberal miſericordia, y darle la Perſona del Verbo Eterno, para que ſe haga hombre, naciendo de Muger, que ſea Madre, y Virgen Inmaculada, Pura, Bendita, y Santa ſobre todas las Criaturas: y de eſta mi Eſcogida, y Vnica, te hago Madre.

REFLEXIO.

520 IN his novem clauſulis, quibus primus numerus in Articulo Cenſuræ citatus adæquatur, nullam prorſus invenio vbi contineantur propoſitiones caſtarum aurium offenſivæ. Si dixeris, quod in tertia, hæc ſic eſt in latinum fidelitèr traducta: *Et dum Deus purificaret fœliciſsimam Annam, ſpiritualizavit partem inferiorem, ſcilicèt, corpus, & elevavit animam & ſpiritum ejus, &c.* Nùm, quoniam partem inferiorem dixit, exinde malè cogitaſtis? Novitas vobis eſt diviſsio hominis in partem ſuperiorem & inferiorem? Quid aliud inuunt Apoſtolica verba, *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, &c.* Item & alia: *Sentio aliam legem in membris meis contrariam legi mentis meæ? &c.* Præterea, in SS. PP. Dyoniſio, Bernardo, & Bonaventura, alijſque Doctoribus myſticis communiſsima eſt hujuſcemodi diviſio creaturæ rationalis humanæ in partem ſuperiorem & inferiorem, noviſsimèque ex RR. experientiæ calamo duce, tractatur in Lucerna Myſtica D. Ioſephi Lopez Ezquerra, alio notiori nomine P. D. Auguſtini Nagori, Monachi Carthuſiani tract. 2. cap. 1. & 7. Sat de hoc.

Clauſ. Not.

Apoſt. Paul.

Nagori.

521 Cœterum, hunc fore V. Abbatiſſæ legitimum ſenſum, id apprimè demonſtrat, quod prius nominavit Purificationem totalem SS. Annæ in illis verbis: *Purificandola toda*, & poſtea immediatè deſcendit ad vtriuſque partis ſpiritualizationem in illis alijs: *Eſpiritualizô la parte inferior del cuerpo, y elevò ſu alma, y eſpiritu, &c.* Ecce quomodo vtramque hominis partem expreſsis verbis attingit. Nec credibile ſit ſanè intelligentibus, quod V. Author poſtquam dixerat, Deum purificaſſe totam fœliciſsimam Annam, *purificandola toda*, & dum aſſeruit, Deum elevaſſe totam animam & ſpiritum, *elevò ſu alma, y eſpiritu,* lo-

Senſus legitim.

loqueretur ſolummodo de ſpiritualizatione vnius partis corporis in illis verbis, *eſpiritualizò la parte inferior del cuerpo*, hoc maximè abſit, quod ſpiritualizata maneret vna pars, alia inſpiritualizata remanente: non igitur locuta eſt caſtiſsima Sanctimonialis de ſpiritualizatione partis inferioris corporis, modo à Cenſoribus intellecto, ſed modo clariſsimo ex viciniori contextu, imò & ipſa littera apertiſsimè comprobato.

522 Nec dubitandum de poſsibilitate ſpiritualizationis & ſanctificationis corporis, deprecante quotidiè vniverſalitèr Eccleſia: *Dirigere & ſanctificare, regere, & gubernare, dignare Domine Deus Rex Cœli & terræ, hodie corda & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros in lege tua, &c.* Et dicente Chriſoſtomo de SS. Apoſtolis: *Quot Carceres ſanctificaſtis?* Et paulò infra: *Quis nam gladius ſanctum guttur tuum pervaſit, &c.* Si igitur de corporibus noſtris, de ſenſibus, de Carceribus Apoſtolorum legitur eſſe ſanctificatos: non ergo manebit ambigendi locus, quod totum corpus SS. Annæ potuiſſet ſpiritualizari & ſanctificari. Nec vltra vertatur in dubium, V. Abbatiſſam de ſpiritualizatione totius corporis animati, quod inferior eſt pars totius creaturæ rationalis mortalis fuiſſe locutam, & non de ſola vnica parte ipſius corporis.

Orat. Eccleſ.
S. Ioann. Chriſoſt.

SECVNDVS NVMERVS IN ARTICVLO CITATVS.

523 EST 206. continetque ſolummodo quinque clauſulas, etſi diffuſſas; ſuntque ſic. 1. *Todo eſte nombramiento* (loquitur de electione & nominatione Angelorum ad cuſtodiam Reginæ Cœleſtis) *fue gracia del Altiſsimo: pero tuve inteligencia que guardò en èl algun orden de juſticia diſtributiva, porque ſu equidad, y providencia tuvo atencion à las obras, y voluntad con que los Santos Angeles admitieron los miſterios, que en el principio les fueron revelados de la Encarnacion del Verbo, y de ſu Madre Santiſsima; porque en obſequio de la Divina Voluntad, vnos ſe movieron con diferentes afectos, y inclinaciones, que otros, à los ſacramentos, que ſe les propuſieron. 2. Y no en todos fue vna meſma la gracia, ni la voluntad, y ſus afectos: antes vnos ſe inclinaron con eſpecial devocion, conociendo la vnion de las dos naturalezas Divina, y humana en la perſona del Verbo, encubierta en los terminos*

Myſt. Civ. Dei, 1. p.

de

de vn cuerpo humano, y levantada à ſer cabeza de todo lo criado. 3. Otros, con eſte afecto, ſe movian de admiracion, de que el Vnigenito del Padre ſe hizieſſe paſsible, y tuvieſſe tanto amor à los hombres, que ſe ofrecieſſe a morir por ellos. 4. Otros ſe ſeñalaron en la alabança, de que huvieſſe de criar vna alma, y cuerpo de tan ſuprema excelencia, que fueſſe ſobre todos los Eſpiritus Celeſtiales, y de ella tomaſe carne humana el Criador de todos. 5. Segun eſtos movimientos, y en ſu correſpondencia, y como en premio accidental fueron ſeñalados los Santos Angeles para los Miſterios de Chriſto, y de ſu Madre Puriſsima, como ſeràn premiados los que en eſta vida ſe ſeñalan en alguna virtud, como los Doctores, y Virgines, &c. con ſus Laureolas. His, nullo dempto, omnia concluſa ſunt præcitati Numeri verba. Textus.

REFLEXIO.

524 Attentiſsima vigilantia perlectis quinque relatis clauſulis, quibus totus componitur numerus ſecundus, in Articulo Cenſuræ citatus, ſinguliſque perpenſis vocibus, quæ in eo de primo vſque ad vltimum verbum continentur: vbi fundari poſsit Pariſienſium Cenſura, *de propoſitionibus caſtarum aurium offenſivis*, pœnitus ignoro. Etenim neque vnicum Verbum, vmbram ſaltem inhoneſtæ materiæ præleferens in cunctis relatis invenitur, vt inſpicienti patebit. Suſpicor, ſi malè forsàn concitatus ſit Numerus: hunc tamen citatum inveni in Libello Cenſuræ, & hunc tranſcripſi.

TERTIVS NVMERVS IN ARTICVLO CITATVS.

525 Est 209. aliaſque continet quinque clauſulas ſequentes. 1. *Diſpuſòlos con abundante gracia, y bendiciones de ſu dieſtra, y los enriqueciò con todo genero de virtudes, y dones del Eſpiritu Santo. 2. Y deſpues de averles evangelizado à los dos Santos Ioachin, y Ana, que ſe les daria vna Hija admirable, y bendita entre las mugeres, ſe executò la obra de la primera Concepcion, que era la del cuerpo puriſsimo de Maria. 3. Tenian los Padres de edad, quando ſe caſaron; Santa Ana, veinte y quatro años, y San Ioachin, quarenta y ſeis. 4. Paſſaronſe veinte años deſpues del matrimonio ſin tener hijos, y aſsi tenia la Madre, al tiempo de la* Textus.

concepcion de la Hija quarenta y quatro años, y el Padre ſeſenta y ſeis. 5. Y aunque fue por el orden comun de las demàs concepciones; pero la virtud del Altiſsimo le quitò lo imperfecto, y deſordenado, y le dexò lo neceſſario, y preciſſo de la naturaleza, para que ſe adminiſtraſſe la materia debida, de que ſe avia de formar el cuerpo mas excelente, que huvo, ni ha de aver en pura Criatura. His clauditur totus numerus tertius.

REFLEXIO.

526 VAldè credibile mihi fit, id quod Author eruditiſsimi Tractatus illius, cui titulus: *Cenſura Cenſuræ, &c. fol.* 45. ſuper hoc Articulo judicavit, ſcilicèt, traductorem in paginis Notæ ſubjectis, incautum habuiſſe calami lapſum. Verba ſunt hæc: *Revera autem Interpres (ne quid diſsimulare videar) nonnulla adjecit textui Hiſpanico, quæ aliquantulum malè ſonant Gallicè: ſed nec illa,* inquit, *tanti ſunt momenti, nec adeò gravia auribus caſtis, vt Cenſura celeberrima Facultatis ſubijci meruerint, &c.* Hoc, inquam, valdè, vt dixi, credibile mihi fit; nam perſpectis terminis & vocibus, prout hic jacent in Idiomatè Hiſpano, omnia caſtitatem & puritatem redolent. Nec ætatem referre Parentum, quando Filiam genuerunt, indecet ſcripturæ revelatæ, de quo videri poteſt totum caput 5. Geneſis, vbi ad generationes ſingulas dies & anni Parentum generantium numerantur: *Vixit Adam* 130. *annis, & genuit Seth, &c. Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos, &c.* Reliqua citati Numeri verba, ſic caſtiſsima videntur, vt, non niſi divina luce, piè judicentur inventa. Peritus in Hiſpano Idiomate Iudex ſit: ſi Traductor erravit, quid ad V. Authorem? Sinite hanc abire.

Author alibi cit.

Geneſ. 5. & 11.

QVARTVS NVMERVS IN ARTICVLO CITATVS.

527 ESt 210. habetque duas ſolummodo clauſulas, quæ hujuſmodi ſunt: 1. *Puſo Dios termino à la naturaleza en los Padres, y la gracia previno que no huvieſſe culpa, ni imperfeccion; pero virtud, y merecimiento, y toda medida en el modo; que ſiendo natural, y comun, fue governado, corregido, y perficionado*

Textus.

do con la fuerça de la Divina gracia, para que ella hizieſſe ſu efecto, ſin eſtorvo de la naturaleza. 2. Y en la Santa Matrona Ana reſplandeciò mas la virtud de lo alto, por la eſterilidad natural, que tenia: con lo qual de ſu parte el concurſo fue milagroſo en el modo, y en la ſubſtancia mas puro: y ſin milagro no podia concebir; porque la concepcion, que ſe haze ſin èl, y por ſola natural virtud, y orden, no ha de tener recurſo, ni dependencia inmediata de otra cauſa ſobrenatural, mas que de ſola la de los Padres, que aſsi como concurren naturalmente al efecto de la propagacion, aſsi tambien adminiſtran la materia, y concurſo con imperfeccion, y ſin medida. Nullum aliud verbum invenitur in hoc numero.

REFLEXIO.

528 DIcant Cenſores: quid male ſonat in verbis iſtis? Mirum eſt, & non alitèr niſi ad ſupernam illuſtrantem lucem recurramus, intelligibile, (aiebat Doctiſsimus Lumbier Carmelitanus, ſupra relatus) quod ſimplex fœmina, domi Parentum ab incunabulis nutrita, paulòque poſt in clauſuræ terminis recluſa, ab omni creaturarum converſatione pœnitus abſtracta, potuerit limpidiſsimis ſic vocibus materiam hujuſmodi labilem explicare. Nec ſolus eſt RR. Lumbier, qui ex his ſupra naturam noſtram ſordidam puriſsimis terminis motivum ſumpſerit, ad piè credendum, V. Authorem divina luce fuiſſe perfuſſam, quinimò & alij plures Doctiſsimi Uiri idipſum ſenſerunt talia talibus vocibus legêtes. Mirabilitèr explicatur in 1. clauſula, quomodo divina gratia prævenit naturam: in 2 autem, quomodo conceptio miraculoſa fuerit ex parte SS. Annæ: Uerbum autem indecens, vel caſtarum aurium offenſivum, nullum prorſus invenio, quin quodlibet, vti eloquium Domini, caſtiſsimum videatur, purgatum ſeptuplum.

Raymund. Lumbier Carmelit. de quo ſup num. 470.

QVINTUS NVMERVS IN ARTICVLO CITATVS.

529 EST 211. duaſque ſolummodo habet clauſulas, quæ ſic leguntur: 1. *Pero en eſta concepcion, aunque el Padre no era naturalmente infecundo; por la edad, y templança eſtava yà la naturaleza corregida, y caſi atenuada: y aſsi fue por la divina*

Textus.

virtud animada, reparada, y prevenida, deſuerte, que pudo obrar, y obrò de ſu parte con toda perfeccion, y taſſa de las potencias, y proporcionadamente à la eſterilidad de la Madre. 2. Y en entrambos concurrieron la naturaleza, y la gracia, aquella cortès, medida, y ſolo en lo preciſſo, y ineſcuſable; y eſta ſuperabundante, poderoſa, y exceſsiva para abſorver à la miſma naturaleza, no confundiendola, pero realzandola, y mejorandola con modo milagroſo; deſuerte, que ſe conocieſſe, como la gracia avia tomado por ſu quenta eſta concepcion, ſirviendoſe de la naturaleza lo que baſtava, para que eſta inefable Hija tuvieſſe Padres naturales. Nec jota vnum relictum eſt ex hoc Numero.

REFLEXIO.

Nota. 530 Renui Traductionem in latinum facere ex duplici motivo. Primo, quoniam nudam litteram textus Originalis omnibus in Hiſpano Idiomate peritis, qui vbique terrarum inveniuntur, ſuper hoc aſſumpto fidelitèr offerendo, juſti Iudices ſint illatæ Cenſuræ. Secundo, & hoc præcipuum, quoniam difficillimum exiſtimavi, alias voces ſic puriſsimas & tali dexteritate collocatas in latinis terminis invenire. Quapropter, vt ab alijs doctioribus Traductio fiat potiùs deſideravi.

Excellent. Myſt. Civ. Dei. Hoc mirabile in divina Hiſtoria Myſticæ Civitatis Dei, quod quanquam Viri Doctiſsimi Traductionem in latinum facere tentaverint, nullus hactenùs deſiderata proprietate, elegantia, & dulcedine, Hiſpanicis ſermonibus conſona, prout in Originali littera experitur, potuit conſumare Aliud quoque mirabile, quod quanquam regulare ſit, vt ſcriptura latinè tradita potiùs legentium corda demulceat, & moveat, prout videre eſt in

Kempis. cœleſtibus libris Thomæ à Kempis, de contemptu mundi, qui latinè ſcindunt corda hominum, & viſcera liquefaciunt, in Hiſpanum verò traducti vim & efficatiam deperdere videntur: è contrario evenit in Libris Myſticæ Civitatis Dei, quod in Hiſpano Idiomate attrahunt, movent, excitant, delectant, & elevant ſurſum corda; in latinum vero traducti, neſcio quid dicã, Verſionem primæ partis incæpi legere, & aliud valdè diverſum mihi videtur, cum revera à Theologo Doctiſsimo ſit facta, vel potiùs incæpta. Ad punctum vero rediens, voces omnes relati Numeri, caſtiſsimæ, puriſsimæ, & limpidiſsimæ ſunt, nec

alias

alias ſimiles, vel equivalentes, tàm cœleſti dexteritate & puritate compoſitas, inveniri poſſe putavi.

SEXTVS NVMERVS IN ARTICVLO CITATVS.

531 EST 213. tribuſque clauſulis concluditur, prout hic fideliter tranſcribuntur. 1. *Muy ſemejante à eſte (aunque mucho mas admirable) fue el milagro de concebir Ana, Madre de Maria Santiſsima: y aſsi eſtuvieron en eſto ſus Padres governados con la gracia tan abſtrahidos de la concupiſcencia, y delectacion, que le faltò aqui à la culpa Original el accidente imperfecto, que de ordinario acompaña a la materia, ò inſtrumento con que ſe comunica. 2 Quedò ſola la materia deſnuda de imperfeccion, ſiendo la accion meritoria: Y aſsi por eſta parte pudo muy bien no reſultar el pecado en eſta concepcion, teniendolo por otra la Divina Providencia aſsi determinado. 3. Y eſte milagro reſervò el Altiſsimo para ſola aquella, que avia de ſer ſu Madre dignamente: porque ſiendo conveniente, que en lo ſubſtancial de ſu Concepcion fueſſe engendrada por el orden, que los demàs hijos de Adan, fue tambien convenientiſsimo, y debido, que ſalvando la naturaleza, concurrieſſe con ella la gracia en toda ſu virtud, y poder, ſeñalandoſe, y obrando en ella ſobre todos los hijos de Adan, y ſobre el miſmo Adan, y Eva, que dieron principio à la corrupcion de la naturaleza, y à ſu deſordenada concupiſcencia.* Sic in terminis formalibus totus Numerus textus. *Textus.*

REFLEXIO.

532 VIdimus omnes, ſinguloſque numeros, in Articulo Cenſuræ citatos, eorumque clauſulas per ſingulas voces, nullam prætermittendo, omneſque clauſularum terminos, prout jacent in Matritenſi exemplari, quod cum libris originalibus, delatores ipſi Hiſpanici, vel Qualificatores, & Iudices pro Sacro, & Supremo Hiſpaniarum Fidei Tribunali diligentiſsimè contulerunt. *Collat. cũ Origin.* Dicant nobis Sorbonici Cenſores, quis, vel qualis ex omnibus relatis, eſt terminus caſtarum aurium offendibus? Quotquot in Hiſpanica lingua ſunt periti, ſtupuerunt, & dignè quidem mirati ſunt, quam cauta, quam caſta, quam integra hujus ſit inſtituti Tractatio! Hoc & benè novit, alibi citatus

Author inſignis Tractatus illius, cui titulus erat: *Cenſura Cenſuræ, &c.* vt videri poteſt pag 45 prope finem; eodemque fere modo loquuntur tot inſigniſsimi Viri docti, qui libros Myſticæ Civitatis Dei, principalitèr quoad hanc partem, attentè legerunt.

Relat. Vitæ, §. 42. 533 Nec puriſsima caſtitas V. Abbatiſſæ ſine cœleſti teſtimonio, Domino diſponente remanſit. Etenim cum adhuc in carne mortali vitam ageret U. Author, illius Sanctitatis fama vbique diffuſa, introivit in Eccleſiam ipſius Conventus quidam Iuvenis diſolutus. Cumque dictum foret ei: Orcheſtra illa Sacra (vulgo Tribuna) Cancellis vellata, eſt locus orationis iſtius Monialis Sanctæ; dixit Iuvenis inſipiens in corde ſuo: Quid Sancta? Ipſa quippè faceret in occaſione, quod & ſolent cœteræ mulieres: ſtatimque cecidit in terram, factus immobilis, quaſi ſubitò moriturus. Putaverunt commitantes, eum revera morti propinquum; quapropter vociferabant ad aures Iuvenis, vt Deum quæreret. Erat enim V. Mater in loco Sacro relato, factaque oratione pro ipſo, ipſe etiam Iuvenis de cogitatu ſuo temerario pœnituit, viribuſque iterum & ſenſibus miraculosè receptis, ſtatim convaluit, & de terra ſurrexit magnificans Deum, mirabilem in ſervis ſuis. Ipſius autem Iuvenis teſtimonium, juramento firmatum, authenticè receptum eſt in Proceſſu authoritate Apoſtolica: *Ne pereant teſtimonia, &c.* in ordine ad Beatificationem & Canonizationem caſtiſsimæ Sponſæ Chriſti Domini. *Proceſſ. Authent.*

534 Vt autem nudam litteram textus Originalis legentibus, in locis à Cenſoribus citatis, hicque fidelitèr tranſcriptis, ex comparatione aliarum clauſularum, quibus certiſsimum eſt, earum nullam caſtarum aurium eſſe offenſivam, judicium clarius eluceſcat de caſtimonia & puritate propoſitionum Myſticæ Civitatis Dei; in §. ſequenti aliquas ex innumeris authoritatibus Scripturæ Sacræ, SS. PP. & DD. aliarumque privatarum Revelationum, quæ adduci poterant exhibemus.

†

§. II.

§. II.

EX AVTHORITATIBVS SCRIPTVRÆ Sacræ, SS. PP. & DD. aliarumque privatarum revelationum conjectetur, quouſque propoſitiones caſtarum aurium non offenſivæ, valeant pervenire.

535 FIDE Catholica profitentes, propoſitiones omnes in Scriptura Sacra repertas, eloquia fore Domini, eloquia quidem caſta, argentum igne examinatum, purgatum ſeptuplum; nullamque earum dici poſſe caſtarum aurium offenſivam. Piè inſuper tenentes, Sanctorum PP. & DD. aliarumque privatarum Revelationum hactenùs in Eccleſia Sancta permiſſarum locutiones expreſſas, à Cenſura caſtarum aurium offenſionis eſſe liberas & immunes: propoſitiones aliquas, tùm Scripturæ Sacræ, tùm SS. DD. tùm & aliarum privatarum revelationum inſignium fidelitèr tranſcribemus, vt ex illis conjectari poſsit, quouſque pervenire valeant propoſitiones, quin de ipſis judicari liceat, eſſe caſtarum aurium offenſivas. *Pſal.*

536 Genes. 9. à v. 20. *Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam: bibenſque vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo. Quod cum vidiſſet Cham, pater Chanaam, verenda ſcilicèt Patris ſui eſſe nudata, nuntiavit duobus fratribus ſuis foras. At verò Sem & Iapheth pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda Patris ſui, &c.* *Geneſ. 9.*

537 Geneſ. 19. à v. 30. *Aſcenditque Lot de Segor, & manſit in monte, duæ quoque filiæ ejus cum eo. Dixitque major ad minorem: Pater noſter ſenex eſt, & nullus virorum remanſit in terra, qui poſsit ingredi ad nos, juxta morem vniverſæ terræ. Veni inebriemus eum vino, dormiamuſque cum eo, vt ſervare poſsimus ex Patre noſtro ſemen. Dederunt itaque Patri ſuo bibere vinum nocte illa: Et ingreſſa eſt major, dormivitque cum Patre: at ille non ſenſit, nec quando accubuit Filia, nec quando ſurrexit. Altera quoque* *Geneſ. 19.*

que

que die dixit major ad minorem: Ecce dormivi heri cum Patre meo demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, vt ſalvemus ſemen de Patre noſtro. Dederunt etiam & illa nocte Patri ſuo bibere vinum, ingreſſaque minor Filia, dormivit cum eo: & nec tunc quidem ſenſit, quando concubuerit, vel quando illa ſurrexerit. Conceperunt ergo duæ Filiæ Loth de Patre ſuo, &c.

Geneſ. 30. 538 Geneſ. 30. v. 39. *Poſuit Iacob virgas in canalibus, vt cum veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent. Factumque eſt, vt in ipſo calore coitus, oves intuerentur virgas, & parerent maculoſſa, &c.*

Geneſ. 38. 539 Geneſ. 38. v. 8. *Dixit Iudas ad Onam filium ſuum: Ingredere ad vxorem fratris tui, & ſotiare illi, vt ſuſcites ſemen fratri tuo. Ille ſciens non ſibi naſci filios, introiens ad vxorem fratris ſui, ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur. Et idcirco percuſsit eum Dominus, quod rem deteſtabilem faceret.*

Geneſ. 19. 540 Geneſis 19. à v. 3. refertur intempeſtiva & turpiſsima ſodomitarum commotio pro Iuvenibus ingreſsis in domum Loth, quibus ipſe dicebat: *Habeo duas filias, quæ nec dum cognoverunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis, &c.*

Numer. 25 541 Numer. 25. v. 7. refertur quomodo vnus de Filijs Iſrael intravit coram fratribus ſuis ad Scortum Madianitidem: *Quod cum vidiſſet Phinees ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicèt & mulierem, in locis genitalibus, &c.*

Judic 19. 542 Judic 19. & 20. refertur quid fecerunt filij Belial (id eſt abſque jugo) in Civitate Gabaa, & quomodo clamabant: *Educ virum, qui ingreſſus eſt domum tuam, vt abutamur eo,* & quomodo egreſſus eſt ad eos ſenex & ait: *Nolite fratres, nolite facere malum hoc: habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eam ad vos vt humilietis eas, & veſtrã libidinem compleatis, tantum objecro, ne ſcelus hoc contra naturam operemini in virum, &c.* ibique proſequitur quomodo tota nocte abuſi ſunt ea, quomodo mortua fuit, vt dicitur cap. ſequenti, v. 5. *Incredibili furore libidinis, &c.*

Ezech. 23. 543 Ezech. 23. v. 20. *Multiplicavit enim fornicationes ſuas, recordans dies adoleſcentiæ ſuæ, quibus fornicata eſt in terra Ægypti. Et inſanivit libidine ſuper concubitum eorum, quorum carnes ſicut*

tut carnes aſinorum: & ſicut fluxus equorum fluxus eorum, &c.

544 Pro Scriptura Sacra dicta ſufficiant. Nec doctus ignorabit, quamplurima hic fore nobis omiſſa, concubitum ſcilicèt Tamar; lãguores turpes Amnon; amores intenſi Iacob; nequitiam deteſtabilem Putiphar; totumque librum Canticorum, vbi ſub metaphora amoris prophani & matrimonij carnalis loquitur de deſponſalitio cœleſti inter Chriſtum & Eccleſiam, & inter Deum & animam; leguntur tamen inibi amplexus, oſcula, mammæ, vbera, vmbilicus, venter; ſed nulla ex his vocibus in dicto libro Sacro, nullaque Sacrorum librorum propoſitio dici valet caſtarum aurium offenſiva, quinimò myſteriorum plena: Ergo, &c. Ad SS. PP. & DD. authoritates tranſeamus. *Lib. Cant.*

545 S. Vincentius Ferrer Serm. 2. de Nativit. *Lux dicitur illa benedicta generatio Virginis Mariæ, quia ſine tenebra culpæ facta eſt. Modò autem generatione filiorum, ſunt multæ tenebræ, proptèr intentionem carnalem, & corruptam mentem parentum. Sed generatio Virginis Mariæ fuit vt lux. De iſta luce habetur.* 2. *Reg.* 23. *Sicut lux Auroræ oriente ſole manè abſque nubibus rutilat, ſic iſta conjunctio Ioachim & Annæ luminoſa fuit, &c.* *S. Vincent. Ferr.*

546 S. Ioannes Damaſcenus apud Minoritam Oſſor. Ser. 12. ſuper Miſſus eſt: *Beata Maria per coitum concepta eſt in flamma ardenti; velut in medio ignis poſsita, ſed Angelus Domini aderat, ne Matrem Dei per originale peccatum contriſtaret incendium, &c.* *S. Ioann. Damaſcé.*

547 S. Bernardinus Senenſis in Salut. Angel. cap. 1. art. 1. *Secundo etiam modo in Virgine per Ave, naturæ excellentia denotatur, quia ab alio triplici væ immunis fuit, ſcilicèt, concupiſcentiæ, culpæ, & pœnæ, de quo triplici væ Apoc.* 9. *clamabat Aquila volans* væ, væ, væ habitantibus in terra: *Fuit ergo Beata Virgo ſine primo væ, hoc eſt, ſine Tyrano concupiſcentiæ peccati originalis, quia ſine eo concepta eſt, ſicut, teſte Salomone, Cantic.* 4. *didiſcimus, qui ait:* Tota pulchra es amica mea, & macula, *ſcilicèt originalis culpæ,* non eſt in te. *S. Bernardin.*

548 S. Auguſtinus tom. 5. lib. 14. de Civit. Dei cap. 26. loquens de poſsibili generatione in fœlici ſtatu innocentiæ, ait: *Non laſsitudo fatigabat otioſum; non ſomnus premebat invitum in tanta facilitate rerum, & fœlicitate hominum; abſit vt ſuſpicemur non potuiſſe prolem ſeri ſine libidinis morbo, ſed eo volun-* *S. Auguſt.*

tatis natu moverentur illa membra, quo cætera, & ſine ardoris illecebroſo ſtimulo cum tranquillitate animi & corporis, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus vxoris. Neque enim, quia experientia probari non poteſt, ideo credendum non eſt: quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, ſed ſpontanea poteſtas, ſicut opus eſſet, adhiberet: ita tunc potuiſſet vtero conjugis, ſalva integritate fœminei genitalis, virile ſemen immitti; ſicut nunc poteſt, eadem integritate ſalva, ex vtero virginis fluxus menſtrui cruoris emitti. Eadem quippè via poſſet illud injici, qua hoc poteſt ejici. Vt enim ad pariendum, non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus fœminam viſcera relaxaret: ſic ad fœtandum, & concipiendum, non libidinis appetitus, ſed voluntarius vſus naturam vtramque conjungeret. De rebus loquimur nunc pudendis, & ideo Nota. *quamvis antequam earum puderet, quales eſſe potuiſſent, conyciamus, vt poſſumus: tamen neceſſè eſt, vt noſtra diſputatio magis frenetur ea, quæ nos revocat verecũdia, quam eloquentia, quæ nobis parum ſuppetit adjuvetur. Nam cum id quod dico, nec ipſi experti fuerint, qui experiri potuerunt: quoniam præoccupante peccato exilium de Paradyſo ante meruerunt, quam in opere ferendæ propaginis tranquillo arbitrio convenirent: quomodo nunc cum iſta commemorantur ſenſibus occurrit humanis, niſi experientia libidinis turbidæ non conjectura placidæ voluntatis? Hinc eſt, quod impedit loquentem pudor, & ſi non deficiat ratio cogitantem.* Ecce quouſque expreſsiones & propoſitiones devenire queunt abſque Nota Cenſuræ ſupra relatæ num. 515. à qua longè ſint verba & propoſitiones tanti Doctoris.

S. Petrus Chryſologus. 549 S. Petrus Chryſologus Serm. 91. circa med. loquens de ventre & vtero Eliſabeth, ait: *Mundabatur enim longo tempore ſacrificij domus; ſanctitatis hoſpitium; meatus metatoris Chriſti; Angeli domicilium; aula Spiritus Sancti; Dei Templum. Neſcitis, inquit Apoſtolus, quia Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Deniq; vbi tota corporis ſedata querela eſt, & in totũ facti ſunt ſine querella, mox ſterilitas fugit, reviviſcit ſenectus, fides concipit, parit caſtitas, naſcitur major homine, par Angelis, tuba Cœli, præco Chriſti, arcanum Patris, Filij nuntius, ſignifer ſuperni Regis, peccatorum venia, Iudæorum correctio, vocatio gentium, & vt propriè dicam, legis & gratiæ fibula, quæ diploidem Summi Sacerdotis Sancto Patri jungebat in pectore.* Si tanta purifica-

ficatio decuit concipienti Baptiſtam, quid mirum quod tot purificationibus & elevationibus præmuniretur quæ conceptura erat digniſsimam Matrem Æterni Dei?

550 S. Ioannes Damaſcenus orat. 1. de Nativit. Virg. ſic interrogat. *Quid autem eſt? cur Virgo Mater ex ſterili orta ſit?* Cujus reſponſio ſic eſt: *Quanquam alia quoque altior & divinior ratio à me offerri poteſt Etenim natura, gratiæ cedit, ac tremula ſtat, progredi non ſuſtinens. Quoniam itaque futurum erat, vt Dei genitrix, ac Virgo ex Anna orireretur; natura, gratiæ fœtum antevertere minimè auſa eſt: Verum tantiſper expectavit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet.* In terminis formalibus idipſum aſſerit V. Author, vt videri poteſt. *S. Ioann. Damaſcē.*

551 Eminentiſsimus Cayetanus exponens illa verba: *Ecce concipies & paries Filium,* ait ſic: *Concipies in vtero, non in corde (vt novellius error ſeminavit) ſed in loco naturalis conceptionis prolis; Et paries: Tempore ſuo paries, non emittes per os, ſed naturali partu gignes, filium, non filiam. Rurſus ex hoc quod dixit, Filium, excluduntur omnes hæreſes putantium, Beatam Virginem, non veram Matrem Ieſu, ſed in ea velut in vaſe Ieſum fuiſſe, & per eam quaſi per fiſtulam tranſiſſe. Hæc enim omnia confutat Angelus, materna Beatæ Virginis Officia explicans, non ſolum conceptionis, & partus nominibus, ſed explicando Filium: vt hinc intelligamus, concepturam, & parituram Filium veris maternis officijs in generativa parte ipſius Beatæ Virginis: alioquin non verificaretur quod conciperet & pareret, &c.* Nec alitèr de materia loqui poteſt, niſi terminis ipſius materiæ, quibus & puriſsimè vſa fuit noſtra V. Abbatiſſa. *Cayetanus*

552 Inſignis Petrus Comeſtor lib de Immaculata Concept. Virg. *Quid eſt, glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei, ſi noſtræ infirmitati ſimilia dicuntur, quæ magis pudenda, quam glorioſſa dici potuerunt? Oportuit ergo eam ab ipſo fundamenti primordio præceteris aliquod dignitatis ſortiri privilegium, quæ ſecretorum Dei myſteriorum, quæ Cæleſtium in ſe ſuſceptura erat arcanum, &c. Scio in Maria plus viguiſſe gratiam, quam naturam: audio ab Angelo plenam gratia, non invenio plenam natura; malè conſervat naturam, qui offendit gratiam; imprudentèr offendit naturam, qui impugnat naturæ conditionem.* Ecce victricem & triumphantem gratiam in *Comeſtor.*

vtero fœlicisſimæ Annæ, dum Matrem concipit divinæ Gratię; conſonamque lege U. Authorem.

Mendez. 553 Doct. Stephanus Mendez in ſuo Mariali lib. 4. cap. 1. *Contemplabimur, & bene contemplabimur, quod quando Virgo Deipara fuit concepta, Angeli de Cœlo deſcenderunt, vt in multis Sanctæ Annæ miniſtrarent, quæ Mater domus Dei futura erat, & in ea plenitudo divinitatis includenda.* Conſonant dictis in Myſtica Civitate Dei.

Apud Guevar. tom. 2. fol. 147. 554 Doct. Theoderetus à Neyra, prædicans in Concilio Epheſino, exponenſque illa verba Exod. 3. *Vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus,* ait ſic: *Si ergo vilem illam arbuſculam, ita Deus inſederit, vt eum illi ſplendorem, eam gloriam, eam mirandam integritatem induxerit: qua (quæſo) ratione Virginem noſtram inſederit, aut potiùs poſſederit? Quem illi nitorem, quam puritatem, quam lucem intulerit, quando ita illam ab omni peccati affectione immunem præſtitit?* Ecce miraculum in ventre SS. Annæ.

S. Birgitt. 555 Verum ſi ad privatas Revelationes, alijs DD. authoritatibus omiſsis, tranſeamus, adeſt S. Birgitta lib. 1. cap. 9. fol. 18. col. 1. vbi agens de SS. Parentibus Joachim & Anna, ſic ei loquitur Sacratiſsima Virgo Maria: *Ego volo tibi dicere, quam dulcitèr ipſe dilexit corpus meum, & quam dulcitèr animam meam. Ipſe Filius meus conjugium Patris mei & Matris meæ, tanta caſtitate conjunxit, vt tunc non inveniretur caſtius conjugium, & nunquam convenire vellent, niſi juxta legem ſolummodo cauſa ſuſcitandi prolem. Et cum ſibi nuntiatum fuiſſet ab Angelo, quod Virginem parerent, vnde ſalus mundi procederet, magis voluiſſent mori, quam carnali amore convenire, & voluptas in eis mortua erat. Tamen pro certo dico tibi, quod ex charitate divina, & ex Verbo Angeli nuntiantis convenerunt carne, non ex concupiſcentia aliqua voluptatis, ſed contra voluptatem ſuam ex divina dilectione, & ſic ex ſemine eorum per divinam charitatem caro mea compaginata eſt.* Nota concordiam cum Myſtica Civitate Dei.

S. Birgitt. tom. 2. 556 Et tom. 2. lib. 6. cap. 55. fol. 112. col. 1. in fine, Regina Cœli loquitur ſic: *Quando Pater meus, & Mater mea matrimonialitèr convenerunt, plus fecit obedientia, quam voluntas, & plus operata eſt ibi charitas divina, quam voluptas carnis. Nam ho-*

ra in qua ego concepta fui, bene poteſt vocari aurea hora, & precioſa, quia alij conjuges conveniunt ex voluptate carnali, mei vero parentes convenerunt ex obedientia, & præcepto Dei. His conſonant ſupradicta, in Libris Myſticæ Civitatis Dei reperta.

557 In duplicem finem authoritates relatæ, tùm Scripturæ Sacræ, tùm DD. tùm & aliarum privatarum Revelationum diriguntur. Primum, vt intelligas, nihil diſſonum rationi vel authoritati in Numeris confixis inveniri. Secundum, vt ex combinatione hujus §. 2. cum antecedenti liquidò comprobetur, nullam propoſitionem in Numeris confixis repertam, eſſe caſtarum aurium offenſivam, quinimò, vt viri doctiſsimi conveniũt, non alijs vocibus purioribus, nec caſtioribus, & decentioribus terminis, materiam ſubjectam pertractari valuiſſe. *Advert.*

§. III.

CENSVRARVM VITIA NOTANtur, & Authores vtriuſque Libelli redarguuntur.

558 IN ſolito & vltra conſuetudinem veſtram in hiſce Libellis expreſſam, Cenſuram veſtram intuliſtis, ò Sorbonici, Notam conſcribentes circa propoſitiones ignotas, vel non ſic in Libellis veſtris notificatas & conſcriptas, vt legi potuiſſent propoſitiones, dum in eas veſtra legeretur Cenſura. Quid intelliget, rogamus, qui Libellum, vel Libellos veſtros legerit, dum ibi conſpiciat: *In hiſce paginis Myſticæ Civitatis Dei continẽtur propoſitiones caſtarum aurium offenſivæ?* Si inibi tranſcriptæ forent paginæ, earumque propoſitiones, quilibet judicare valeret, ſi propoſitionibus aut paginis cõſonaret illata Cenſura veſtra: propoſitionibus autem in ſilentio relictis, ad libitum cujuſcumque relinquitur, de Venerabili Abbatiſſa, vt ei placuerit, judicare, niſi, vt oporteret, potiùs eligat judicium abſtrahere.

559 Dicetis vtique, in Verſione Gallica, quam legiſtis, reperiri voces caſtarum aurium offenſivas. Hoc ſit ſic; quid Venerabili Authori cum Verſione Gallica? Compertum eſt, Tra- *Evaſio.*

duc-

duㄷtorem in paginis relatis impropriè Verſionem efformaſſe, imò & Numerum 211. non caluiſſe, nec legitimum ſenſum attigiſſe. Verum ſi inter vos circa Hiſpanicum idioma valdè periti inveniantur non pauci: cur, vel Cenſuram veſtram non omiſiſtis, vel collationem facilem inter Uerſionem Gallicam & Exemplar Hiſpanicum non præmiſiſtis? Eſt Venerabilis Maria à Iesv de Agreda, quam certè non cognoviſtis. Ejus fama Sanctitatis emortua nō eſt cum fine vitæ mortalis, quin potiùs in dies, divinis beneficijs conteſtantibus, ejus meritis Fidelibus collatis, vt piè credimus, mirabiliter adaugetur. Hæc eſt mulier illa percelebris, de qua vel parum à num. 44. Certaminis noſtri memoriam fecimus. Quomodo ergo ludibrio hominum exposſuiſtis Cenſura veſtra, Caſtiſsimam Sponſam Chriſti Domini?

Redarg.

560 Si forsàn, vt alibi, dixeritis, nihil V. Authori cum Cenſura veſtra, quæ ſolummodo in Verſionem dirigitur, & in Librum, prout Gallicè vobis traditus eſt? Hic dolor noſter, hic & labor! Verſionem Gallicam damnaſtis, & Venerabilem Abbatiſſam, quæ certè Verſionis Gallicæ Author non eſt, vltraquam oportet, inhonoraſtis. Mementote verborum illorum, quibus in Præfatione dixiſtis: *Mirum enim eſt, quantum in prædicto Libro exceſſerit & aberraverit mulier illa, quæ hiſtoriam texuit vitæ BB. Virginis, tàm abſonam certè, quàm inauditam, &c. vbi fabulas, nugas, commenta, & errores pro Myſterijs divinitùs revelatis obtrudit, &c.* Hæc contra Verſionis Authorem, vel contra Venerabilem Abbatiſſam dicta ſunt? Nunc revertamur ad punctum. Quiſquis audierit, vel legerit: *In hiſce paginis Myſticæ Civitatis Dei continentur propoſitiones caſtarum aurium offenſivæ*, non ibi expreſsis & tranſcriptis propoſitionibus, quid ſuſpicabitur, niſi quod Venerabilis Author, eſt mulier deperdita, obſcena, impudica, turpiſsima, & ſeducta Moliniſta? Debuiſtis ergo, vel calamum deprimere, vel primum Verſionem Gallicam cum Hiſpanicis Libris conferre, in quibus caſtiſsima & limpidiſsima verba, vti ſuperno lumine cœlitus inventa, & Angelica, vt opinor, directione diſpoſita, relatis Numeris inveniuntur.

Evaſ. alt

Sup. n. 34. & ſequēt.

561 Præterea, quanquam ſemper de Uerſionis vitio ſuper hoc punсto conquæramini, non ſat vobis excuſatio Verbis alloquar Authoris ſupra citati num. 396. benè intelligentis lin-

guam

guam veſtram Gallicam, quæ nec ſunt: *Revera interpres nonnulla adjecit textui Hiſpanico, quæ aliquantulum malè ſonant Gallicè: ſed nec illa verba*, inquit, *tanti ſunt momenti, nec adeo gravia auribus caſtis, vt Cenſuræ celeberrimæ Facultatis ſubjici meruerint Cæterum, cum lingua Gallica*, proſequitur, *præ alijs omnibus caſta ſit, debuerat proinde Traductor his maximè in locis ad Verſionis caſtitatem proſpicere: Attamen*, concludit, *propter quatuor aut quinque verba minùs pudica, ſed non impudica ſanè, quæ & plerique intento pio videntur accommoda & neceſſaria, haud debuerant Author ſimul & Interpres prænotata Cenſura denigrari.* Appenſis inſuper authoritatibus relatis §. antecedenti, alijſque non paucis omiſſis, vobis autem Cenſoribus non ignotis, ſplendet mirificè V. Authoris caſtimonia, pudicitia & puritas, vltra quam vel materia ſubjecta, vel natura noſtra, non lumine Cœleſti ditata, ſed communi intelligentia, vſuque verborum regulari prædita, ferre conſueſcit. *Auth Cēſ. ſup. Cēſur.*

ARTIC. IX.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

562 **P**Ag. 238. num. 220. *Propter hoc Myſterium glorioſiſſimæ Mariæ, Spiritus Sanctus ordinavit, quod Eccleſia dicaret Virgini diem Sabbati.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

563 **H**Æc *propoſitio falſa eſt, & temeraria.*

CENSVRA SVPPOSITITIA.

564 **I**N Libello Suppoſititiæ Cenſuræ inſerta eſt propoſitio hic Notata, in Articulo 14. qui vltimus eſt ipſius Libelli, cujus Cenſuram ſupra retulimus num. 489.

CONCERT. X.

SVPER PROPOSITIONEM CONFIXAM in hoc Articulo 9.

565 NOTATA propoſitio, prout jacet in Articulo Cenſuræ, non valdè diſcordat ab Originali. Etenim littera textus ſic eſt: *Por eſte Miſterio de la Concepcion de Maria Santiſsima, ha ordenado el Eſpiritu Santo, que el dia de el Sabado fueſſe conſagrado à la Virgen en la Santa Igleſia.* Verſio litteralis in latinum, ſic: *Propter hoc Myſterium Conceptionis Sanctiſsimæ Mariæ Virginis, Spiritus Sanctus ordinavit, quod in Eccleſia Sancta conſecraretur Virgini dies Sabbati.* Verſio autem ex Gallico in latinum, prout invenitur in Articulo, ait ſic: *Propter hoc Myſterium glorioſiſsimæ Mariæ, Spiritus Sanctus ordinavit, quod Eccleſia dicaret Virgini diem Sabbati..* Pro verbo, *conſecraret*, vertit, *dicaret*; & Eccleſia, quæ in textu Originali ſumitur in obliquo, ibi: *In Eccleſia Sancta*, ab Interprete ponitur in recto, ibi: *Quod Eccleſia dicaret, &c.* Diſcordia autem quoad ſubſtantiam non videtur. Hoc ſic de diſcordia, vel potiùs hic de concordia, inter Verſionem Gallicam, & Exemplar Hiſpanicum, veniamus ad rem. In propoſitione confixa dicuntur tria. 1. In Eccleſia Catholica conſecratum eſſe Sacratiſsimæ Virgini diem Sabbati. 2. Hoc ſic eſſe, ordinatione Spiritus Sancti. 3. Spiritum Sanctum ſic id ordinaſſe, propter Myſterium Immaculatæ Conceptionis Reginæ Cœleſtis. Hoc totum examinabimus duobus §§. ſequentibus, poſtmodumquè Cenſores redarguentur in tertio.

Textus Orig. *Verſio in Latinum.* *Verſio Gallica.* *Diſcordia.*

§. I.

PRIMVM ET SECVNDVM CONFIXÆ propoſitionis aſſertū varijs authoritatibus fulcitur.

566 DIEM Sabbati Legis gratiæ, Sacratiſsimæ Virgini Mariæ conſecratum inveniri, multis convincimur.

mur. Adeſt in primis Eccleſiæ Catholicæ diſpoſitio, conſecratis Almæ Parenti Officium Sanctæ Mariæ in Sabbato, prout in Breviario Romano expreſſus titulus invenitur. Adeſt inſuper & in Rubricis generalibus Romani Miſſalis, ea quæ de Miſsis votivis Sanctæ Mariæ, quæ ſic eſt: *In Sabbatis non impeditis Feſto duplici, ſemiduplici, Octava, Vigilia, Feria Quadrageſimæ, vel Quatuor Temporum, vel Officio alicujus Dominicæ quæ ſuperſit, in præcedens Sabbatum tranſlatum, dicitur Miſſa de Sancta Maria ſecundum varietatem temporum, vt in fine Miſſalis ponitur.* Et paulò poſt: *In Adventu autem, licèt Officium non fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Miſſa principalis de ea, &c.* Conſecrata eſt igitur, juxta ritum Eccleſiæ Catholicæ, Sacratiſsimæ Virgini dies Sabbati. Nec diſonat conſuetudo Fidelium, in honorem ejuſdem Reginæ Matris, Sabbatis jejunantium. *Rubr. Miſſal.*

567 R. & V. P. Auguſtinus Vvichmans, Antuerpienſis, Canonicus Nobertinus S. Mariæ de Turgelo, Monachus Præmonſtratenſis, celeberrimum edidit Tractatum, cui titulus: *Sabbatiſmus Marianus*, in quo Origo, vtilitas, & modus colendi hebdomatim Sabbatum in honorem Sanctiſsimæ Deiparæ, mirabili calamo refertur; inveniturque Tractatus iſte ſingularis per extenſum in Bibliotheca Virginali tom. 3. à fol 381. vſque ad fol. 445. continet 64. paginas in folio patenti, ex quo ſelectiora deducam. Ad ſex ſupra decem capita protenditur Opuſculum æſtimabile, Prologo dulciſsimo & doctiſsimo præmiſſo, omnibus Marianis cultoribus, & Parthenijs Amatoribus, Virgineis conſodalibus, & Magnæ Matris electis Filijs directû; vbi tùm proſſa, tùm & elegantiſsimis verſibus ad amorem Sacratiſsimæ Virginis Mariæ, ad cultûque Sabbati Mariani excitat animas, animumque legentis devotis affectibus exhilarat. *Auguſt. Vvichmás* *Biblioth. Virg. to. 3*

568 In capite primo agit de Sabbato, & quomodo dies iſta in veneratione fuit ab origine mundi. Refert itidem nimiam Hebræorum obſervantiam, à Chriſto Domino reprehenſam, caſſumque Judæi illius, qui in foveam Sabbato decidens, & ob Sabbati reverentiam extrahi recuſans, à Chriſtiano Judice coactus eſt, & Dominica die in eadem fovea remanere. Etenim cum Judæus diceret: *Sabbata Sancta colo, de ſtercore ſurgere nolo*: Reſpondit Iudex, vti referunt Annales Anglici: *Sabbata noſtra quidem, Salomon celebrabis ibidem.* *Sabbat. Iudaic.*

569 In capite 2. agit de prima Origine, & de Inſtitutione Sabbati Mariani, Abrogatum quidem eſt, inquit, Sabbatum illud Judaicum, quia vmbra erat futurorum; verum ſuccesſit illi Marianum Sabbatum, ſanè *delicatum, & Sanctum Domini glorioſſum*. Ibi adfert inviolatam Ordinis Præmonſtratenſis cõſuetudinem, aliarumque Religionum, pſalendi ſingulis Sabbati diebus ſalutationem Virginis: *Salve Regina, &c.* Et Apoſtolica Decreta Leonis X. Pauli V. & Gregorij VII. quibus Indulgentiæ conceduntur omnibus Chriſti Fidelibus, eidem Cantico *Salve Regina*, diebus Sabbatinis poſt Completorium aſsiſtentibus, ſingularemque ſuper hoc Cherubicæ Religionis S. P. N. Dominici refert excellentiam.

Iſai. 58. v. 13.

Decret. Pontif.

570 In 3. capite de cauſis agit, ob quas Marianum Sabbatum fuit primitùs inſtitutum. In 4 ratio fundamentalis inſtituti Sabbati Mariani ex Authoris mente refertur. In 5. cœleſtibus ſignis dicitur frequentèr oſtenſum, SS. Virginem ſibi delegiſſe Sabbatinum diem. In 6. Fons Sabbaticus Divæ Virgini appropriatus elucidatur. In 7. Eminentiores aliquot Mariani Sabbati Cultores recenſentur, inter quos Summus Pontifex Vrbanus II. ſanctitate vitæ admodum commendabilis: Sabbatum Marianum plurimum ſolemnizavit, & affectum ſuum in Deiparam oſtendit maximum. Ab hoc Pontifice exiſtimant non pauci DD. quod conſecratio Sabbati in honorem Deiparæ ſumpſit initium; alij autem obſervant, quod à tempore Apoſtolorum, vt videri poteſt apud Cancellotum in Annalibus Marianis ad annum Virg. 82. num. 4. S. Petrus Damianus, Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis, ſingularis erga Deiparam ejuſque Sabbatum promotor, qui author extitit apud ſuos, vt dies Sabbatinus Mariani cultui peculiaritèr dedicaretur. S. Carolus Borromeus, Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis, magnæ Dei Matris Cultor & amator: hic ſingulis Sabbatis in ejuſdem Virginis honorem, pane nudo, & aqua cruda conſuevit jejunare, vt Vitæ ejus Scriptores teſtantur. Eminentiſsimus Robertus, Cardinalis Bellarminus, virtutum & ſcientiæ meritis vniverſo Orbi Chriſtiano maximè notus: hic ſimilitèr ſingulis Sabbatis in honorem Virg. Mariæ jejunare ſolitus erat. S. Thomas Cantuarienſis, in Anglia Archiepiſcopus, & pro libertate Eccleſiaſtica tuenda Martyr purpuratus, diebus Sabbatinis in

Fons Sabbaticus.

Cultores Sabbati Mariani

Bellarminus.

honorem Sanctiſsimæ Deiparæ duriſsimum geſtabat cilicium, prout ſcribit Cantipratanus lib. 2. cap. 29. in append. S. Antoninus quæſt. 1. tit. 15. cap. 2. part. 2. alijque permulti. S. Gerardus, Epiſcopus Canarienſis in Hungaria, magnum in illis Provincijs Sabbato Mariano dedit incrementum: ſingulis quidem Sabbatis cum novem Lectionibus devotionis ſuæ Officiũ ibidem explebat, de quo videatur Surius die 24. Septemb. S. Nicolaus Tolentinus in honorem Beatiſsimæ Virginis Mariæ ſingulis Sabbatis ſemel tantum reficiebatur, ſolo pane & aqua contentus, de quo etiam videatur Surius die 10. Septemb. S. Didacus Complutenſis, vulgò de Alcalà, ſimili jejunio omnia Sabbata tanquam Virgini conſecrata venerabatur, prout refert Henricus Sedulius in vita ejus. Alios Inſigniſsimos Sabbati Mariani Cultores invenies capite citato. *Cantipratan.* *S. Gerardus.* *S. Nicol. Tolent.* *S. Didac.*

571 In cap. 8. Regna aliquot, & Provinciæ numerantur, in quibus obſervantia ſingulari Sabbatinus dies tanquam Uirgini Mariæ conſecratus reveretur. In cap. 9. beneficia quamplura, tùm ſpiritualia, tùm & temporalia, a Beatiſsima Uirgine, colentibus ejus Sabbatum exhibita, recenſentur. In cap. 10. propoſitum argumentum ſingularibus exemplis proſequitur. In cap. 11. nonnulla pietatis opera, ſingulis Sabbatis, in honorem Deiparæ exercenda regulantur. In cap. 12. confutantur Hæretici venerationem Mariani Sabbati deridentes. In cap. 13. tanquam ſpeciale prædeſtinationis ſignum, filialis affectus erga Deiparam, ejuſque per annum Sabbatum authoritatibus comprobatur. In cap. 14. particularia quædam Sacroſanctum Mariani Sabbati Sacrificium concòmitantia notantur. In cap. 15. in diſputationem vertitur, an licita ſit ea conſuetudo plurimorum Belgarum, qui in memoriam puerperij Mariani, Sabbatis intra Natalem Domini & Purificationem B. Virginis occurrentibus, carnibus veſcuntur. In cap. 16. & vltimo tractatus hujuſce, Apoſtrophe continetur Authoris ad B. Virginem Mariam. Comprobatum eſt igitur, in Eccleſia Sancta diem Sabbati conſecratum fore Puriſsimæ Mariæ Virgini. *Regn. Sabbat. Marian. colent.* *Conſuet. Belgar.*

572 Nec minori dexteritate R. & Doctiſsimus P. Baptiſta Cancellottus, è Societate Iesv, in Annalibus Marianis, quibus Hiſtoria SS. Virginis Mariæ Deigenitricis in ſingulos annos diſtribuitur, & oppoſitis ſubinde rerum humanarum ſucceſsi- *P. Cancellottus.*

bus illuſtratur, punctum pertractat: Etenim anno Virg 1.n.5. Sabbatici fluvij in Judęa prodigium ad Deiparæ laudem detortum oſtendit. Anno itidem Virginis 82. à num. 2. Sabbati Mariani originem adfert, & ab Apoſtolis derivatum inſinuat; reſolvitque, cur in Oriente, & Occidente Sabbatum diverſimodè coleretur, & qua ratione addictum ſit Deiparæ. Eodem inſuper anno Virginis 82. nu. 3. Sabbati obſervantiæ principium, & progreſſus ſingulis ſæculis declarat. Eodem poſtmodum anno Virginis 82. num. 4. & ſeqq. Sabbati obſervantiam miraculis confirmatam ſimilitèr oſtendit, ſicut præcitatus Vvichmanus in ſuo Sabbatiſmo Mariano cap. 9. & 10. ſupra relatis.

573 Inter Sanctorum authoritates aſſumptum comprobantes, vna pro omnibus ſufficiat, & hæc ſit Dulciſsimi Bernardi, Abbatis Claravalenſis lib de Paſsione Domini cap. 2. vbi ait: *Aptiſsimè tota Eccleſia in laudem & gloriam ejuſdem Virginis, diem Sabbati per totius anni circulum celebrare conſuevit, &c.* vbi maximè notanda ſunt verba illa, *tota Eccleſia*, & alia vltima, *celebrare conſuevit*, vt Mariani Sabbati in laudem Virginis conſecratio antiquiſsima profiteatur, *in Eccleſia Vniverſali*. Conſonat & Author vitæ S. Noberti, qui cap. 13. hunc Virum Sanctum, Sabbato Miſſam de S. Maria celebraſſe, *prout illo die*, inquit, *fieri ſolet*, expreſsè refert.

S. Bernardus.

S. Nobertus.

574 Nec ſilentio prætermittendum, Statutum illum celeberrimum totius Seraphicæ Religionis Noſtræ in Capitulo Storearum, *vulgò de las Esteras*, vbi quinque mille Fratres convenere, præſidente in eo Seraphico Patriarcha pauperum, præſente inſuper Cherubico Patriarcha P. N. Dominico, vbi Inſtitutum eſt, vt in omnibus Conventibus totius Ordinis Fratrum Minorum, ſingulis Sabbatis, Feſto duplici non impeditis, in honorem Immaculatæ Virginis Mariæ diceretur Miſſa Solemnis, cunctis aſsiſtentibus Fratribus, quod vſque in præſentem diem inviolabilitèr obſervatur. Et dignè quidem notandum, quod in Capitulo illo venerando, & nunquam ſatis celebrato, ſolummodo tria diſpoſita inveniuntur Statuta Generalia, quorũ vnum hoc eſt, de ſic laudanda Puriſsima Virgine ſingulis annorum & Hebdomadarum Sabbatis.

Statutum Generale Seraphic. Religionis.

575 Comperto igitur, in Eccleſia Catholica conſecratum eſſe Reginæ Cœleſti diem Sabbati, aſſertum ſecundum propoſitio-

tionis confixæ liquidò patet. Etenim, quidquid in Eccleſia Sacra ritè diſponitur, ordinatione Spiritus Sancti fieri profitemur. Ad id quippè promiſſum intelligimus Spiritum Sanctum à Chriſto Domino, eaque proptèr eundem Spiritum tanquam Eccleſiæ Magiſtrum veneramur, juxta ſupra relata num. 220. ad idque facit Oratio illa: *Mentibus noſtris, quæſumus Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde: cujus & Sapientia conditi ſumus, & providentia gubernamur*: quæ alteri conſonat num. 194. videndæ. *Orat. Eccleſiæ.*

§. II.

TERTIUM, QUOD PRINCIPALIUS, confixæ propoſitionis Aſſertum, ex nullo capite repugnare, eſſeque piè credibile demonſtratur.

576 ABundantèr oſtenſo, diem Sabbati conſecratum fore Sanctiſsimæ Virgini Mariæ; hocque diſpoſitum eſſe ordinatione Spiritus Sancti ſuperno Magiſterio dirigentis Eccleſiam Dei, jam ſtabilito: reſtat ſolum inveſtigare, ſi poſsibile ſit, vel ex aliquo capite repugnet, ordinationem hujuſmodi propter Immaculatam Reginæ Cœleſtis Conceptionem poſſe eſſe diſpoſitam? Et inſuper ſemel probato, idipſum ex nullo capite repugnare, ſit U. Author piè credibilis, dum aſſerit, propter Myſterium Conceptionis Immaculatæ Deiparæ Virginis ordinaſſe Spiritum Sanctum, diem Sabbati fore conſecratum in Eccleſia Catholica eidem Puriſsimæ Reginæ. *Rub præcip.*

577 Dicendum 1. poſsibile nobis eſſe, ex nulloque capite repugnare, conceptionem Immaculatam SS. Virginis eſſe factam die Sabbati, conſequentèrque nec repugnare, directione ſuperna Spiritus Sancti, propter hoc Myſterium conſecratum revereri diem Sabbati eidem Immaculatæ Virgini Mariæ. Propoſitam non repugnantiam examinemus per ſingulas partes. In primis non apparet ex quo repugnet, conceptam eſſe Puriſsimã Virginem Mariam die Sabbati, dum ex parte diei nulla ſit repugnantia, & deinde nec ex Sacra Pagina, nec ex SS. PP. indici- *Aſſert.* 1.

ci-

citur contrarium. Imò ſi conſulamus inſignem Choronologum D. D. Ioannem de Leyba, cujus memoriam fecimus ſupra num. 15 demonſtratum inveniemus aſſumptum. Cum igitur ſuper hoc eodem puncto conſultus eſſet inſigniſsimus iſte Chronologus, reſponſum æſtimabile præbuit, prout ſequitur.

D. D. Ioannes à Leyba, Chronolog. inſig.

578 Confiteor tibi Pater, (Reſpondet conſulenti) quod in vigilijs pro *Vniverſali Chronologia eviſceranda*, atque in concordia Verſionum Latinæ, Vulgatæ, & Græcæ LXX. Interpretum demonſtranda, plura de annis, menſibus, hebdomadis, diebus, & horis Scriptorum de *Myſtica Civitate Dei* habeo, mathematicis demonſtrationibus computata. Hæc ſi in Proclamatione juridica, prout in mente habeo, etiam cum brevitate oſtendero, arbitror convincens argumentum eſſe, vt ipſi Theologi Pariſienſes agnoſcant, ſe perſequi vmbras, & quod in re ſummè difficili, & quæ ne dicam mulieris captum ſuperanti, quinimò & ſapientiſsimorum facultates excedenti, & ſolum divina luce cognoſcibili; cognita irrefragabili conſequentia in chronologijs ab ipſa Venerabili Abbatiſſa obſervatis, maximè ſequendo Græcam verſionem capitum 5. & 11. Geneſis, manus daturos arbitror, & convicti faſſuros, quod digitus Dei, vel etiam manus Domini fuit ad calamum ejus. Sed quia adhuc ad ſingularum propoſitionum Cenſuras, quæ plures ſunt, non perfici allegationes, & ad iſtam de conſecratione Sabbati in honorem Puriſsimæ Conceptionis nondum acceſsi, Paternitate veſtra flagitante de hac re demonſtrationem computationis, Epiſtolæ brevitate ſatisfaciam.

Regul. Chronolog

579 Plura, vt dixi, argumenta demonſtrativa ſunt in controverſia de *Vniverſali chronologia* ad hoc aſſumptum, & quidem altioris indaginis ex varijs deſumpta regulis, verbi gratia, ingenioſiſsima illa ex hypotheſi, quæ annos Iulianos cum tribus ſuis cyclis, quadam mathematica, ad ipſa Mundi exordia decurriſſe ponit, artificialis quoque epocha ex tribus ipſis cyclis in ſe multiplicatis conflata, recentioribus chronographis valdè placens; ipſa conſtat ſolari cyclo in lunarem ducto, ſivè numero 28. per 19. multiplicato, à quo magnus cyclus Paſchalis prodit annorum 532. eoque rurſus per 15. indictionis numerum multiplicato, & emergit annorum 7980. Peryodus maxima Iuliana à Roberto Lotharingo Herefordenſi, in Britania Epiſcopo, pri-

primo inventa, & poſt 500. annos a Ioſeph Scaligero, & à Dionyſio Petavio, chronologicis vſibus aptata; ex quibus regulis, hebdomadæ, & dies ſingillatim demonſtrabiles ſunt, & apud prædictos Authores, ſequentes chronologias vulgatæ Latinæ, facilè poterit quiſquam ſe illi labori accingere, quo poſsit Sacros Expoſitores Latini Textus Sacri arcana tractantes, vel intelligere; vel noſtri temporis aliquos corrigere; at vero cum chronologiæ Librorum de *Civitate Dei Myſtica* ſint ad Sacri Textus Græci accomodatæ, altiori, vt dixi, ſpeculatione opus eſt, & longum illum de *Chronologia vniverſali* tractatum magnâ cum mentis applicatione perlegere; leviori vero hac epiſtolâ, & faciliori vtemur demonſtratione, ex præmiſsis ipſius Divinæ Hiſtoriæ de *Myſtica Civitate Dei*, tanquam ex claro fonte, laticibus ductis, vt apertiſſimè inter ipſas propoſitiones ſuæ chronologiæ appareat conſequentia.

580 Supponendum eſt primo, quod quando venit plenitudo temporis, vt Verbum Divinum caro fieret, & quando miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Virginem Sanctiſsimam Dominam noſtram *erat ipſa* (ſic ad litteram lib. 3. cap. 10. num. 114. de Civitate Myſtica) *ætatis quatuordecim annorum, ſex menſium, & ſeptemdecim dierum, quia complevit annos ad octo dies Septembris, & ſex menſes, & ſeptemdecim dies currebant ab illo vſque ad iſtum* (Martium) *in quo operatum eſt majus myſteriorum, quæ Deus operatus eſt in Mundo.* *Supp.* 1.

581 Secundo ſupponendum eſt, quod Mundi curſus à creatione ejus, vſque ad Verbi Incarnationem, ſtabat in anno Mundi quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono, qui, vt Iulianus, impletur vltima die Decembris anni Incarnationis, & vt emergens impletur vigeſima die Martij ejuſdem anni. De anni Iuliani impletione conſtat apud ejuſdem Hiſtoriæ chronologiam, lib. 4 cap. 10. num. 476. quoad ſecundum de anni emergentis chronologia, conſtat eadem Hiſtoria, lib 6. cap. 21. n. 1359. ibi: *Iuxta hunc computum creatio mundi fuit in Martio, & à die, quo creatus fuit Adam vſque ad Incarnationem Verbi tranſierunt quinque mille centum, & nonaginta novem anni*: ecce anni Mundi emergentis in Martio adimpletio. Et in dicto lib. 4. cap. 10. num. 476. habes hæc verba: *Protulit Mundo eminentiſsima Domina vnigenitum Patris, & ſuum, Deum, & hominem verum, ad* *Supp.* 2.

ho-

horam mediæ noctis, die Dominica, & anno a creatione Mundi, quem Eccleſia Romana docet, 5199. hic eſt annus Iulianus continens ſeptem minus dies à 25. die Decembris, vſque ad finem Decembris.

Supp. 3. 582 Tandem ſupponendum eſt, ad quæſitum accedendo, quod poſt corporalem Conceptionem Virginis Sacratiſsimæ, docet prædicta Hiſtoria, lib. 1. cap. 15. num. 219. quod ſeptimo die poſt corporalem conceptionem, quæ fuit die Dominica (ibidem numero 218.) ait: *Sabbato ſequenti, & proximo ad primam conceptionem, facta eſt ſecunda, Altiſsimo creante animam ſuæ Matris, & infundente in corpore ſuo.* Et ob claritatem, omitto alias chronologias, à quibus, tanquam ab iſtis dependentibus, nexus, & conſequentia cuilibet facilè erit demonſtrabilis: viam ſternamus de certitudine *Sabbati* hujus.

THESIS EX HIS PRÆMISSIS.

Theſ. quæſit. 583 CVrrente anno Mundi Iuliano 5199. quo natus eſt Dominus, juxta computum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in pervigilio ejuſdem Natalis, quem ſequitur Venerabilis Abbatiſſa, Sanctiſsima Virgo Domina noſtra Maria, juxta primum ſuppoſitum, implebat in menſe Septembri ejuſdem anni Iuliani 5199. annos quindecim; ipſe eſt annus emergens Mũdi 5200. quia in menſe Martio ejuſdem anni 5199. Iuliani manet impletus idem 5199. emergens, & fuit à 25. die Martij Iuliani vſque ad diem Natalis in menſe Septembri ejuſdem Sanctiſsimæ Virginis annus quintuſdecimus: & junctis novem menſibus ante ejuſdem Natalem, fiunt anni ejuſdem Dominæ noſtræ à ſua Immaculata Conceptione anni 15 & 9. menſes: ergo currente anno Iuliano 5199. emergit Mundi annus 5200. à Martij Juliani die 20. vſque ad Septembrem ejuſdem anni, de vita Sanctiſsimæ Virginis poſt Incarnationem Verbi (in qua habebat 14. annos cum dimidio, & 17. dies) quinque menſes, & 13. dies; quibus complentur de vita ejus, intra annum Mundi emergentem 5200. cum 9. menſibus a ſua Conceptione, prædicti 15 anni & novem menſes; ipſis detractis 15. & 9. menſibus, ſiſtit puriſsima ejus Conceptio in anno Mundi emergenti 5184. & tribus menſibus, quibus tribus menſibus, cum annus Iulianus

Mun-

Mundi impleatur tardius, quam emergens, ſiſtitur in anno Mũdi 5184. Iuliano, qui impletur in anno emergenti Mundi 5185.

584 Qua theſi ex ſuppoſitis deducta, tanquam prima præmiſſa, & propoſitione majori, habemus ex Hiſtoria ipſa: pro minori præmiſſa ſyllogiſmi, lib. 1. cap. 21. num. 325. quod nata eſt Maria Sanctiſsima *Octava die menſis Septembris novem menſibus integris poſt Conceptionem animæ ſuæ*: quibus præmiſsis, in optima conſequentia, & ad chronologiæ regulas accommodata, in qua per annos Iulianos fit computatio, infertur, Immaculatam Sanctiſsimæ Dominæ noſtræ Conceptionem in die Sabbati cõtigiſſe: & vtendo verbis Hiſtoriæ ipſius, corporis Conceptio puriſsimi fuit die Dominica, & animæ Conceptio Sabbato, qui eſt punctus criticus hujus quæſiti, demonſtrandus mathematicè, ad quod videatur apud chronologos omnes & computiſtas, trivialis hęc regula in cyclo Solis, qui lucem exhibet his tenebris,



585 In vaſtiſsima ſæculorum rota, & annorum chronologiæ, quam ſequitur V. Abbatiſſa in ſuis libris, deſumpta ex Græca verſione Bibliorum, & a Sancta Eccleſia in Martyrologio approbata, invenitur in noſtra *univerſali chronologia* regula cõpendiaria, qua, vt inveniatur dies chronologicus hebdomadæ,

pro millenis quibuſque annorum, pro ſingulis ponatur *denarium vnum*; & pro centenarijs ſingulis vna vnitas: de quibus reſultat, quod duæ primæ litteræ, etiam maximæ ſummæ ſeparatæ maneant, quæ partiantur per 4. & ſi ſuperſit *nihil*, incipiat ordo decenariorum, & vnitatum ſummæ maximæ, per A. & B. quæ ſunt ſimul vna ſuper alteram, biſſextilis computatio. Si partitioni ſuperſit *vnum*, incipiat decenariorum, & vnitatum per C. & D. biſſextilis computatio; ſi ſuperſint *duo* ab E. & F. biſſextilis incipiat decenariorum, & vnitatum computatio. Si demque ſuperſint *tres* (quod non poteſt eſſe amplius, quia damus in annum intercallarem) incipiat denariorum, & vnitatum a G. & A. computatio: & vbi in omni eventu finierint denariorum, & vnitatum, à manu ſiniſtra in dexteram facta calculatione, ea littera erit illius anni Dominicalis, & in cyclo Solis hebdomadæ initium, in Kalendario annorum Julianorum, quod eſt Romanum vſus vulgaris.

586 Schema poſitum incipit à G. & A. biſſextilli, eo quod chronologia Hiſtoriæ Civitatis Myſticæ, non excedit quinque milliaria annorum, & ad Nativitatẽ Domini ſolum habet vnũ centenarium, nàm ſunt 5199. & duæ litteræ 5. & 1. quæ ſunt de millenarijs quinque, & vno centenario, partitæ ad 4 exhibent ſingulis 12. & ſuperſunt 3. & ſchema incipere debet à G. & A. ideò ✠ ſignatur vt ſupra.

587 Quo ſuppoſito, ſumma annorum Julianorum, quæ eſt in anno Mundi 5184. in quibus concepta fuit Virgo Immaculata Dei Genitrix, & Domina noſtra, incipit à G. & A. vt patet in ſchemate; proſequere poſt enumerata millenaria quinque, & vnum centenarium, de duabus prioribus litteris, & ibidem in G. & A. dic 5100. in ſequenti celula, quæ eſt F. dic *vnus*; & ſequenti *duo*, & ſic percurres ad dexteram manum, vſque ad aliarum duarum litterarum 84. computationem, & invenies finire in ipſa G. & A.

588 Ex quo evidentiſsimè, & mathematicè demonſtratur, quod fuit annus ille intercallaris in cyclo Solis, à creatione Mundi currente, & eo ipſo anno in menſe Decembri, & Septembri (poſt 24. diem Februarij finita litterra A.) currebat littera G de cujus ſchemate in Conceptione Dominæ noſtræ in octo prioribus diebus Decembris habemus in Kalendario Romano figuram ſequentem.

F,

Anni Mũdi 5184. fuit prima dies Dominica in creatione Mundi

F.---- 1. menſis----Sabbato incipit menſis.
G.---- 2.----Solis dies, & cycli Solaris littera currens poſt Februarium.
A.---- 3.----Lunæ ſexta dies ante Conceptionem animæ Sanctiſsimæ Virginis.
B.---- 4.----Martis quinta dies ante Conceptionem.
C.---- 5.----Mercurij quarta dies ante Conceptionem,
D.---- 6.----Iovis tertia dies ante Cõnceptionem.
E.---- 7.----Veneris ſecunda dies.
F.---- 8.----Sabbati ✠ ſequenti eſt dies Dominica litt. G. illius anni, & F. ſequentis anni.

589 Simile omninò ſchema formatur ad demõſtrationem diei Nativitatis Sanctiſsimæ Virginis Mariæ in menſe Septembri, quia in his duobus menſibus tantùm prima dies menſis incipit littera F. & nullus alter menſis illa incipit, quia his vexillum fidei noſtræ candidum, & pacis æternæ in Nativitatis, & Conceptionis Uirginalis, diebus iſtis locatum fuit: ea vero differentia eſt, quod concepta Sanctiſsima Uirgine anno 5184 littera G. quæ ſubſequitur ad F. eo anno, eſt pro prima die hebdomadæ, id eſt, Dominica, & F. inferior eſt Sabbati: & anno 5185. qui eſt annus Nativitatis ejuſdem Sanctiſsimæ Virginis, F. eſt Dominica, id eſt, prima dies menſis Septembris, & E. eſt in die Sabbati; eſt autem eo anno Nativitatis, 8. dies Septembris, Dominica dies, in qua nata eſt Sanctiſsima Virgo juxta verba hujus Hiſtoriæ divinæ de Civitate Dei. Ex quibus veſtræ R. Paternitati credo eſſe ſatisfactum, vt opto, & vt jubet. Valeat V. R. Paternitas. Granatæ 3. Idus Iunij 1697. *Doct. Ioannes à Leyba.*

Quoniam hic autem claritatis amator, vti demonſtrationibus in ſuis Chronologijs Vniverſalibus conſuevit, ad formales præmiſſas reducens, quidquid priùs latiori calamo pertractavit; ſimiliter in præſenti diſponit, totam Epiſtolam ſuam, duobus ſylogiſmis, tanquam in poſtdatum reſolvens, vt ſequenti pagina videtur.

DEMONSTRATIO DE SABbato in die Conceptionis puriſsimæ Virginis Mariæ.

PRIMA DEMONSTRATIO.

Maior. Ea dies eſt Sabbatum in anno Conceptionis, quo currit littera G. pro Dominica, & prima die hebdomadæ, in qua fuit Conceptio.

Minor. Sed anno, quo concepta eſt Beatiſsima V. Maria, erat littera G. pro Dominica. *Conſequentia*: ergo anno, quo concepta fuit Virgo Maria (nempè 8. Decembris) incipit hebdomada in Sabbato.

Atqui. Concepta fuit Beatiſſima Virgo anno Mundi 5184. currente littera G. menſe Decembri, vt patet in ſchemate hujus Epiſtolæ, ergo Conceptio Immaculata Virginis incidit in Sabbato.

DEMONSTRATIO DE SABbato ante Nativitatem Sanctiſsimæ Virginis Mariæ.

SECVNDA DEMONSTRATIO.

Maior. Ea dies eſt Sabbatum in anno Nativitatis, quo currit littera F. pro Dominica, & prima die hebdomadæ, in qua fuit Nativitas.

Minor. Sed anno, quo nata eſt Sāctiſsima Virgo Maria, erat littera F. pro Dominica. *Conſequentia*: ergo anno, quo nata eſt Uirgo immaculata (nempè 8. die Septembris) Sabbatū fuit ante primam diem hebdomadę.

Atqui: Nata fuit Sacratiſsima Virgo Maria anno Mundi 5185. currente littera F. menſe Septembri, vt patet in ſchemate ſuprà in hac Epiſtola: ergo Nativitas Beatiſsimæ Virginis Mariæ fuit die Dominica.

Anno 5184. *Mundi à Creatione.*				*Anno Mundi à Creatione* 5185.		
December.	F.	1.	Sabbati.	F.	Dominica 1.	dies Solis.
Dominica ✠	G.	2.	Solis.	G.	2.	Lunæ.
	A.	3.	Lunæ.	A.	3.	Martis.
	B.	4.	Martis.	B.	4.	Mercur.
	C.	5.	Mercur.	C.	5.	Iovis.
	D.	6.	Iovis.	D.	6.	Vener.
	E.	7.	Vener.	E.	7.	Sabbatum.
	F.	8.	Sabbatum.	F.	8.	Dominica.

Hu-

590 Hucuſque Doctiſsimus Leyba, valdè mihi charus, ex Operibus notus, cui debitor ſum: vidi quippè, legique quam ab ipſo recepi chronologiam ejus vniverſalem M. S. ab Orbe condito vſque ad Chriſtum natum, in obſequium totius Eccleſiæ Catholicæ, in gratiamque & munimen V. Authoris, immenſis pennè laboribus & vigilijs conſummatam. Quanquã vero ſic mira dexteritate punctum non foret poſsitiva ratione convictum, ſat nobis erat aſſertum propoſitum confixæ propoſitionis non repugnare, vt ex parte materiæ convinci nequiret fallitatis V. Author, de quo jam ſupra à num. 227.

591 Dicendum 2. Nec repugnare conſecrationem Sabbati proptèr Myſteriorum Immaculatæ Conceptionis Puriſsimæ Virginis Mariæ, ex directione Spiritus Sancti procedere. Hoc patet, nam ſemel datò, non repugnare, Conceptionem Immaculatam Reginę Cœleſtis in die Sabbati fuiſſe factam, cum alias Myſterium hoc Sacrum, veneratione & obſervatione fidelium ſit digniſsimum, nec repugnabit, Spiritum Sanctum inviſibili Eccleſiæ directione corda Chriſtianorum excitare, vt ſingulis Sabbatis veneretur, Sic fit in Religione noſtra Seraphica, vbi ex antiquiſsima Conſtitutione Generali, ſingulis diebus Sabbati, duplici Feſto non impeditis, in honorem Conceptionis Immaculatæ Reginæ noſtræ ſolemne Sacrum decantatur primò diluculo. *Aſſert. 2.* *Statut. Seraph.*

592 Dicendum 3. V. Abbatiſſam aſſerentem, propter Myſterium Conceptionis Dominæ noſtræ Spiritum Sanctum ordinaſſe, diem Sabbati Sacratum fore Puriſsimæ Virgini in Eccleſia Sancta Dei, eſſe piè credibilem. Conſtat hactenùs non repugnantia rei revelatæ, & ex parte materiæ. Nunc reſtat examinare, dato quod aſſertum ex parte objecti nullam contradictionem nec repugnantiam involvat, vtrum V. Author id aſſerés ſit piè credibilis? Quoniam autem punctum hoc, omnibus percurſis piæ credibilitatis ſignis & fundamentis ex parte ſubjecti, privatas revelationes recipientis, latiſsimo calamo eſt ſupra tractatum, majori brevitati conſulentes in poſterum, nihil hic ſuperaddendum decrevimus. Vid. ſup. Concert. 4. §. 8. à n. 241. *Aſſert. 3.* *Supr. à num. 241.*

§. III.

§. III.

DISCERPTATIO CVM DD. DEPVTATIS ſuper eorum Cenſuræ Notas.

593 CONFIXA propoſitio ſic eſt: *Propter Myſterium Conceptionis Glorioſiſsimæ Virginis Mariæ Spiritus Sanctus ordinavit, vt in Eccleſia Sancta dies Sabbati conſecraretur Virgini.* Cenſura autem veſtra, ô Pariſienſes, ſic. *Hæc Propoſitio falſa eſt, & temeraria.* Quid eſt falſum? vel quod dies Sabbati Sacratus ſit Virgini? Vel quod Spiritus Sanctus id ordinaverit in Eccleſia? Vel quod hæc ordinatio Spiritus Sancti facta ſit propter Myſteriorum Conceptionis Sacratiſsimæ Virginis? Primum, vt vidimus, ſtabilitum & comprobatum eſt validiſsimis authoritatibus, quibus etiam Durandus in Rationali Divinorum Officiorum lib. 4. cap. 1. & Pelbartus lib. 1. part. 4. cap. 2. adſtipulantur, & conſecratum fatentur Reginæ Cœleſti diem Sabbati ante ann. 617. vt videri poteſt in Bibliotheca Virginali tom. 3. fol. 388. col. 2. Secundum autem, ſuppoſito primo, liquidò patet, præterquam quod & ſupra devictum obtulimus. Tertium itidem non repugnare comperimus: nullum ergo prædictorum eſt falſum.

Durandus
Pelbartus

594 Nec novum appareat, hebdomatim dies ſingularibus conſecratas eſſe Myſterijs. Etenim Magnus Aurelius Serm. 136. de temp. ait ſic: *Rem novam dico, ſed quæ ſcripturarum vocibus comprobatur. Hæc dies vna de ſeptem eſt, hæc dies, quæ appellatur Octava. Vnde, & in quibuſdam Pſalmorum titulis ſuperſcribitur;* Pro Octava: *Hæc eſt, in qua Sinagoga finitur, & Eccleſia naſcitur. Et quid mihi neceſsè eſt, infinita replicare? Dies me deficiet, ſi voluero omne diei iſtius exponere Sacramentum; hoc tantum dico, quod vniverſa Sabbati gratia, & antiqua illa feſtivitas populi Iudæorum, diei iſtius ſolemnitate mutata eſt.* Conſimilitèr Hugo Cardinalis cap. 1. in Luc. *Lucas idem tempus determinans Conceptionis, quod & paſsionis, ſcilicèt in Martio, in eodem die, ſcilicèt in ſexta feria conceptus eſt, & paſſus Dominus, & forte in eadem hora, quod innuens Lucas ait, in menſe autem ſexto, &c.* Expreſsius ad finem noſ-

S. Auguſt.
Hugo Car.

noſtrum Albertus Magnus ſup. Miſſus eſt cap. 202 *Prima bene dictio eſt illa, qua benedixit Deus diei ſeptimo, in qua requievit ab omni opere quod patrarat. Eſt autem iſta benedictio operum conſummatio; a peccatis vocatio; æternæ requiei præfiguratio. In Beatiſſima autem Virgine fuit perfecta operum conſummatio: quia omnia creata in vno homine, vniuntur cum creatore, & primum fit vltimũ, & vltimũ primum* Hæc valdè conſonant V. Authori Myſticæ Civitatis Dei, quæ opera ſex dierum Virgineæ formationi coaptat, & in ſeptima ait, requievit Dominus in Virgine, &c. *Albert. Magn. Geneſ. 2. Myſt. Civ. Dei.*

595 Ratione autem ſimul & authoritate idipſum de operibus ſex dierum ſubtili narratione proſequitur Inſignis Doct. Auguſtinus Vvichmans in Bibliotheca Virginali tom. 3. fol. 391. col. 1. ſub lit. A vbi ait: *Inter myſticas autem rationes, principem locum tenet illa, quod quemadmodum Geneſ. 2. ſex diebus Mundum creaverit, compleuitque die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requievit die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat, benedixitque diei ſeptimo: ita etiam idem perfectiſſimam & abſolutam condidit Virginem: ac proinde, ſi puras creaturas ſpectemus, cum nihil ſit ea præſtantius, dici poteſt, Deum in ea compleviſſe, ſeù perfeciſſe opus ſuum, in eaque abſque vlla contradictione perfectiſſime requieviſſe, tùm in vtero, tùm etiam in anima, in qua per gratiam copioſiſſimam, perpetuam ſuam manſionem fecit. Cui etiam inſtar Sabbati multimodis benedixit, adeo vt ipſa ſit benedicta ſuper omnes mulieres, ſicuti Sabbatum ſuper dies vniverſos* Hæc ſcripta ſunt circà annum 1620. obſervandaque veniunt verba illa, *Tùm in vtero,* quod ad conceptionem Verbi refertur. Et illa, *Tùm in anima,* quod ad conceptionem paſsivam Deiparæ Virginis referibile indicatur ex contextu, valdèque conſonat propoſitioni confixę, vt notari poteſt, cum circumſtantia reflexionis Myſterij Conceptionis Deiparæ in die Sabbati. Verum ſi etiam de aliorum hebdomadis conſecratione dierum, non deſpicabiles quæſieris doctrinas, in relato Sabbatiſmo Mariano, Alcuini & Pelbarti decoratas authoritatibus, invenies cap. 2. & in Biblioth. Virginali tom. 3. à fol 386. vbi feria ſexta Paſsioni Redemptoris, Sabbatum Martyrio Virginis, &c. adaptantur. *Vvichmãs Geneſ. 2. Biblioth. Virg. to. 3 fol. 381.*

596 Habemus igitur comprobatum, ò Sorbonici, nihil novitatis indici, dum aliquẽ ex ſingulis hebdomadæ diebus ſingu-

la-

laribus Myſterijs legimus conſecratum: nihil igitur falſitatis aut temeritatis ex hac parte Authori V. decet imponi.

597 Si dixeritis, id eſſe falſum, idque temerarium, ſcilicèt, Eccleſiam Catholicam propter Myſterium Conceptionis conſecraſſe Puriſsimæ Virgini diem Sabbati: manifeſtam reperio in intelligentia veſtra falſitatem & equivocationem notabilem, juxta nudam & puram litteram ipſius textus Myſticæ Civitatis Dei. Propoſitio itaque litteralis non ait: *Eccleſiam Sanctã propter Myſterium Conceptionis conſecraſſe Virgini diem Sabbati*, ſed litteralitèr dicit, *Spiritum Sanctum propter Myſterium Conceptionis ordinaſſe, vt in Eccleſia Sancta conſecraretur Virgini dies Sabbati*. Motivum igitur non adſtruitur Eccleſiæ, ſed Spiritui Sancto, quod vtique valdè diverſum eſt. Uidemus certè, conſecratum Virgini diem Sabbati, juxta relatas DD. Authoritates, antequam Eccleſia Catholica Officium ſolemne decerneret de Immaculata Conceptione Puriſsimæ Virginis: hoc auté nihil obeſt, vt inviſibili directione Spiritus Sancti, propter Myſterium Conceptionis, tunc hominibus ignotum, conſecraretur Virgini dies Sabbati, ita vt conſecratio diei in memoriam & venerationem Sacratiſsimæ Reginæ Cœleſtis nota eſſet Fidelibus, imò & motivum illud de recolendo Martyrio ipſius Almæ Parentis; motivum autem aliud Spiritus Sancti de Myſterio Conceptionis maneret occultum, ſicut & ipſum Myſterium. Quid inde? ſi alitèr propoſitionem confixam intellexiſtis, non bene quidem intellexiſtis, & equivocatio veſtra nunc ſatis apparet, ex levi, quæ tunc videvatur, diſcordia, quando propoſitionem veſtram cum originali contulimus ſupra num. 565. Textus Originalis nòn ait, quod Eccleſia propter Myſterium Conceptionis dicavit Virgini diem Sabbati, ſed quod Spiritus Sanctus, &c.

Tex. Orig.

Diſcordia

598 Si forsàn durum ſemper videatur vobis, conſecrationem notam diei Sabbati in memoriam dolorum Puriſsimæ Virginis, ad motivum Myſterij Conceptionis etiam referri, quod quidem vſque modo pietati ſolummodo Fidelium commiſſum eſt. Conveniamus inprimis, inſpectis clariſsimis DD. authoritatibus, conſecratum eſſe Reginæ Cœleſti diem Sabbati, & nullatenùs repugnare, Conceptionem Immaculatam Puriſsimæ

Vir-

Virginis incidiſſe die Sabbati. Nam Myſterium hoc Sacratiſsimum, dignum non eſt, vt in honorem ipſius dies aliqua conſecretur? Si dixeritis, quod non credam, jam deſtinatam diem, imò & octavam integram eidem Myſterio, & hoc ſat. Gratias agamus, quod dies & Octava conſecrata ſunt Myſterio: ſed quare hoc ſat? Nihil magis abhorrebat Lutherus maledictus quam ſolemnitates Corporis Chriſti, & Conceptionis B. Mariæ Virginis: Verba ejus tenebroſa apud Salazar in dedicat. ſic ſunt: *Nullum Feſtum magis odit anima mea, quam Feſtum Corporis Chriſti, & Conceptionis B. Virginis.* In deteſtationem igitur tam odioſi Hæreſiarchæ, & in honorem Dominæ noſtræ, quæ Mater eſt Sapientiæ, dignum exiſtimemus, vt omnes Catholici DD. & Magiſtri mentem erigant, & de tanto Myſterio nihil detrahamus, piè cogitemus, fervidè loquamur, oreque, lingua, mente, ſenſibus, potētijs & obſequioſis cordibus ejuſdē glorias proſequamur. Non ſat putemus conſecrare vnicum diem, cui omnia famulantur; & dies annorum noſtrorum ipſi debentur, cui Mater eſt vitæ; & omnia per ipſam, dum ſine ipſa factum eſt nihil, vt ait Albertus Magnus in Bibliotheca Virginali tom. 1. fol. 514. col. 2. in fine. *Salazar.* *Albert. Magn.*

599 Nec dicatis, diem Sabbati in venerationem martyrij Sacratiſsimæ Virginis, ex relatis authoritatibus eſſe conſecratum: non ergo propter Myſterium Conceptionis. Vim faceret argumentum, ſi ſolummodo propter vnicum Myſterium vnicus poſſet conſecrari dies, ſtat vero in contrarium expreſſum Eccleſiæ teſtimonium propter tria miracula vel Myſteria conſecrantis vnicum diem: *Tribus miraculis ornatum diem Sanctum colimus; hodie Stella Magos duxit ad præſepium; hodie in Iordane, &c.* Eſt igitur propter duplex & amplius Myſterium vnica dies conſecrabilis: non ergo repugnat, propter Myſterium Conceptionis conſecratum fore diem Sabbati Puriſsimæ Virgini, ex eo quod authoritate S. Bernardi in honorem dolorum, ſolitudinis, & martyrij ipſius Reginæ Cœleſtis conſecratus inveniatur. Cæterùm & Incarnationis Decretum propter duplex motivum factū, probabile nobis, &c. ex quibus vnum non ſemper extitit hominibus manifeſtum, verum nec ex hoc abſolutè negatur. *Eccleſia.*

600 Quoniam autem fatemur, propoſitionem V. Authôris, de conſecratione Sabbati propter Myſterium Conceptionis, nō

eſſe communem, Doctorum pietati relinquimus exponere, ſi Notatæ propoſitioni quoad hanc vltimam partem duo proſi.t ſequentia teſtimonia. Ezech. 46. v. 1. *Porta Atrij interioris, quod reſpicit ad Orientem, erit clauſa ſex diebus, in quibus opus ſit, die autem Sabbati aperietur.* Sex diebus, juxta doctrinam V. Abbatiſſæ, compaginatum eſt corpus Virginale, die autem ſeptimo ſivè Sabbati animata & nobis aperta eſt hæc porta Cœleſtis, &c.

Ezech.46

Præterea, verba illa Pſalm. 91. *Et adhuc multiplicabuntur in Senecta vberi, & bene patientes erunt, vt anuntient,* loquuntur juxta expoſitionem Caſsiodori de Virgineis Myſterijs currentibus fidei ſæculis multiplicandis, & exponente Lyrenſi, titulus Pſalmi ſic eſt: *Pſalmus cantici in die Sabbati.* Proderit expoſitioni deſiderabili Doctiſsimus Quirós inRoſario Imminaculato, 2. part. cap. 7. fol. 48. col. 4.

Pſalm.91

Quirós.

ARTIC. X.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

601 PAg. 277. num. 251. *Deſcendit ornata & ditata propter Deum, qui quidem dedit illi quidquid voluit, & qui voluit dare illi quidquid potuit, & potuit illi dare, quidquid non eſt ipſum Dei eſſe.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

602 C*Vm ea dona Deus Beatiſsimæ Virgini contulerit, quæ ſecundum ordinem ſapientiæ illi conferre decebat, & in Evangelio manifeſtum ſit, non omnia ei contuliſſe, quæ conferre potuit: Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, & Evangelicæ Doctrinæ contraria.*

CENSVRA SVPPOSITITIA.

603 SVppoſititia Cenſura ſuper relatam in hoc Articulo 10. propoſitionem, nihil minuit nec ſuperaddit, ſed adhuc in terminis conſonat Deputatorum Cenſuræ. In Libello autem ſuppoſititio hic eſt Articulus 6.

CONCERT. XI.

SUPER PROPOSITIONEM CONFIxam in hoc Articulo 10.

604 IN examen vocantur. 1. Diſcordia inter Verſionem Gallicam & Exemplar Matritenſe. 2. Mens legitima V. Abbatiſſæ in propoſitione confixa. 3. Conſonantia propoſitionis confixæ, prout ad Originale reſtitutæ, alijs Sanctorum PP. & DD. aliarumque privatarum Revelationum doctrinis. 4. Vitia Cenſuræ. Ad ſingula tranſeuntes, ſit.

§. I.

OSTENDITUR DISCORDIA INTER Verſionem Gallicam & exemplar Hiſpanicum; menſque V. Authoris ex ipſius Operis contextu comprobatur.

605 TExtus Originalis: *Baxò adornada, y preparada para Dios, que la diò todo lo que quiſo, y quiſo darla todo lo que pudo, y pudo darla, todo lo que no era ſer Dios.* Uerſio fidelis ex Hiſpano in latinum: *Deſcendit ornata, & præparata Deo, qui dedit illi quidquid voluit, & voluit illi dare quidquid potuit, & potuit illi dare quidquid nō foret eſſe Dei, vel eſſe Deū.* Verſio ex Gallico in latinū, prout jacet in Cenſura: *Deſcendit ornata, & ditata propter Deum, qui quidē dedit illi quidquid voluit, & qui voluit dare illi quidquid potuit, & potuit illi dare quidquid non eſt ipſum Dei eſſe.* Diſcordia. In primis Originale dicit, *præparata Deo*, & Verſio Gallica, *ditata propter Deum*: Ex terminis autem conſtat, hoc ab alio fore diverſum. *Præparata Deo*, conſonat vocibus illis: *Vidi Civitatem Sanctam Jeruſalem deſcendentem de Cælo à Deo paratam, tanquam Sponſam ornatam viro ſuo*: eſſe autem *ornatam & ditatam propter Deum*, haud idipſum ex terminis ſtrictè ſigni- *Tex Orig.* *Verſio in latinum.* *Verſio Gallica.* *Diſcordia*

nificare videtur. Præterea, inſpectis his vocibus Hiſpanicis, *baxò adornada, y preparada para Dios*, litteralius ſignificatum attingitur per hæc alia verba, *deſcendit ornata & præparata Deo*, Deo poſito in caſu dandi, non autem in caſu auferendi, vel acuſandi. De reliquo, diſcordia in alijs propoſitionis partibus, leviſsima, vel nulla eſt.

606 Ad legitimum ſenſum, genuinamque mentem V. Authoris devenientes, conſulendus eſt numerus 39. tertiæ partis Myſticæ Civitatis Dei, à lin. 14. vbi ait, nullum favorem aut beneficium, eo quod grande ſit, negandum eſſe cui vnica & ſingularis extitit, dummodo veritati catholicæ diſonum non inveniatur. Hiſpana verba ſunt hæc: *Ningun favor, ò beneficio, por grande que ſea, ſe le ha de negar à la que fue vnica, y ſingular, como no diſuene de la verdad Catholica.* Et 2. part. num. 1515. in fine, poſtponitur Sacratiſsima Uirgo SS. humanitati Chriſti Domini, etiam dum ei beneficia omnia poſsibilia ab Altiſsimo collata recitantur: *La regla general es, que ningun favor, ò beneficio le negò el Altiſsimo, de quantos pudo hazer con ella, que redũdaſſe en ſu gloria, y Santidad, deſpues de la de ſu Humanidad Santiſsima.* Et num. 781. ejuſdem 2. partis, mirabilitèr explicat, quomodo, quanquam divini favores, Cœleſti Reginę collati, ſemper videbantur ſupremi, augeri tamen poterant acreſcente capacitate in ipſa Sacratiſsima Virgine. Textus ait ſic: *Y aunque todos los beneficios eran tan encumbrados, y ſin exemplo, ni otro ſimil en las demàs criaturas; y por eſto cada vno parecia el ſupremo, y que ſeñalava el* Non plus vltra*: Pero en la participacion de las Divinas perfecciones no ay limitacion de ſu parte, ſino falta la capacidad de la criatura. Y como eſta era grande, y crecia mas en la Reyna del Cielo con los miſmos favores, diſponiaſe con vnos grandes para otros mayores, &c.*

Myſt. Civ. Dei. 3. p.

Ibid. 2. p.

Ibid.

607 Colligitur ex dictis, propoſitionem illam, vbi dicitur: *Deum contuliſſe Sacratiſsimæ Virgini quidquid potuit*, triplici reſtrictione eſſe intelligendam, prima ſcilicèt, ita vt favor, aut beneficium affirmatum de Virgine, diſonum non ſit veritati catholicæ, *como no diſuene à la verdad catholica*; ſecunda, ita vt ſemper Regina Mater inferior Chriſto Filio ſuo profiteatur, *deſpues de ſu Humanidad Santiſsima*; tertia, ita vt illud, *quidquid potuit*, coarctatum ſit ex parte recipientis, & juxta capacitatem

Mens legitima V. Authoris.

pu-

puræ creaturæ, quamvis Supremæ, y *como la capacidad era grãde, y creciam s en la Reyna del Cielo, &c* Liquet igitur ex Operis contextu intelligentia legitima V. Abbatiſſæ in propoſitione confixa: *Contulit Mariæ Deus quidquid voluit*, quia opera ad extra libera ſunt Deo, & omnia quecunque voluit fecit; *Et voluit illi conferre quidquid potuit*, hoc eſt quidquid potuit ipſa recipere vt pura creatura, non diuinum veritati catholicæ, nec Pſal.
æquale humanitati Deificatæ: *Et potuit illi conferre quidquid non foret eſſe Dei*, nec ita proprium hominis Dei, vt puræ creaturę repugnet, vel Virgini non collatum ex veritate revelata ſit manifeſtum. Et hæc de genuina mente V. Authoris.

608 Obſervandum præterea, integram clauſulam textus Originalis in propoſitione confixa non terminari, ſed amplius progredi ſic: *Baxò adornada, y preparada para Dios, que la diò todo lo que quiſo, y quiſo darla todo lo que pudo, y pudo darla, todo lo que no era ſer Dios; pero lo mas inmediato à ſu Divinidad, y lo mas lexos del pecado, que pudo caber en pura criatura.* In latinum autem verſa integra clauſula ait ſic: *Deſcendit ornata, & præparata Deo, qui ei contulit quidquid voluit, & voluit ei conferre quidquid potuit, & potuit ei conferre quidquid non erat eſſe Deũ, ſed immediatius divinitati, & longinquius à peccato, quod potuit reperiri in pura creatura.* Hæc vltima verba omiſſa ſunt à Cenſoribus, & reverà, [illegible], difficultatem propoſitionis evacuant: etenim immediatius Divinitati in pura creatura eſt Divina Maternitas, vt authoritatibus Sanctorum PP. comprobabitur; & diſtantius à peccato in pura creatura eſt juſtitia originalis, eidem SS. Virgini in primo ſuæ animationis inſtanti collata. In hoc ergo ſenſu contulit Deiparæ Dñs *quidquid potuit, & potuit ei conferre quidquid non erat eſſe Deum, ſed immediatius Divinitati & longinquius à peccato, quod reperiri potuit in pura creatura.* Tranſeamus igitur ad concordiam inveſtigandam inter propoſitionem confixam, & alias SS. Patrum, & DD. aliarumque particularium Revelationum doctrinas.

(*†*)

§. II.

§. II.

CONSONANTIA MYSTICÆ CIVITATIS Dei in propoſitione confixa, alijs SS. PP. & DD. privatarumque Revelationum doctrinis.

609 ASSERIT Notata Propoſitio: *Deum contuliſſe Reginæ Matri quidquid voluit; & ei voluiſſe conferre quidquid potuit; eique potuiſſe conferre quidquid non foret eſſe Deum, ſed proximius Deo, & longinquius à peccato in pura creatura.* Nunc autem ſuper hoc Sanctorum PP. ſententias conſulamus.

S. Auguſt. 610 S. Auguſtinus Serm. 20. ad Fratres in Eremo: *Maria Mater electa eſt, & ſuper omnes creaturas prælecta, omnibus gratijs fæcundata, omni virtute & ſanctitate in vtero repleta. Vt ſicut in Cælo Filius habuit Patrem immortalem & Æternum, ſic & in terra haberet Matrem omni corruptione carentem. Igitur in Cælo qualis eſt Pater, talis eſt Filius; & in terra qualis eſt Mater, talis eſt ſecundum carnem Filius. In Cælo Filius imago Patris apparet, & in terra Mariæ Filius oſtenditur, &c.*

Idem. 611 Idem Serm. de Aſſumpt. ait ad Virginem: *Si Cælum te vocem, altior es; ſi Matrem gentium, præcellis; ſi formam Dei te appellem, digna exiſtis.* In forma Dei repræſentatur Deus, & quantus ſit Deus in Maria Uirgine conſpicitur, de quo infra.

Idem. 612 Idem in Blibiotheca Virginali tom. 2. fol. 44. col. 2. in fine ſub lit. D. Ad ſtabilienda ſingularia dona & Privilegia Sacratiſsimæ Virginis Mariæ, ait: *Si Deus potuit hoc privilegiũ Matri ſuæ dare: ergo etiam dedit, &c.*

Idem. 613 Idem Epiſt. 3. ad Volus: *Hic ſi ratio quæratur, non erit mirabile; ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus, Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe: in talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.*

S. Hieronym. 614 S. Hieronymus Epiſt. 10. tom. 9. *Mariam ſi diligentius aſpicias, nihil virtutis eſt, nihil ſpecioſitatis, nihil candoris & gloriæ, quod in ea non reſplendeat.*

Idem. 615 Idem Serm. Aſſumpt. *In Mariam vero ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ, & in eam totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit, quanquam alitèr.*

S.

616 S. Anſelmus in Biblioth. Virgin. to. 2. fol. 401. col. 2. ſub lit. B. *Exiſtimet hoc, & argumentis ſuis probet, qui vult: Ego donec oſtendat mihi Deus aliquid dignius excellentia Dominæ noſtræ poſſe dici; quæ dixi, dico; quæ ſcripſi, non muto; cæterum me, & intentionem meam, Filio ejus, & illi committo. Quod ſupra Mariam eſt, ſolus Deus eſt, &c.* *S. Anſelmus.*

617 Idem lib. de Conceptu Virginali cap. 9. *Decuit, ut illius hominis, ſcilicèt Ieſu Chriſti, Conceptio de Matre Puriſsima fieret, quæ ea puritate niteret, qua major ſub Cælo nequiret intelligi;* ſed major ſub Deo poſſet intelligi, ſi ipſa valuiſſet amplius recipere, quod non contulerit ei Dominus: Ergo, &c. *Idem.*

618 Idem lib. de excellen. Virg. cap. 2. *Hoc ſolum de Sancta Virgine prædicari, quod Dei Mater eſt, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici, vel cogitari poteſt;* ſed ſemper fuit Mater juxta illud Sancti Petri Chryſologi: *Et quando non Mater?* Ergo, &c. *Idem.*

619 Idem ibid. *Nemo novit Matrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare, ſicut Chriſtus dixit de Patre.* *Idem.*

620 Idem lib. de Excell. Virg. cap. 4. *Oſtendet ergo ipſe Deus prius amorem, quem habeat erga Matrem Virginem, & amorem quo nullum putamus eſſe poſſe majorem: Matrem ſuam fecit illā. Erigite obſecro, fratres mei, erigite aciem mentis veſtræ, ad contēplandam tàm ineffabilem, & ſtupendam omni ſæculo hujus Mulieris gratiam & exaltationem, &c.* *Idem.*

621 Idem ibid. *Rogamus te Domina per ipſam gratiam qua te pius & Omnipotens Deus ſic exaltavit, & omnia tibi ſecum poſſibilia eſſe donavit, &c.* *Idem.*

622 S. Epiphanius Serm. 2. de laud. Virg. *Gratia Sanctæ Virginis eſt immenſa, &c. Quid dico? Et quid proloquor? Quo Beatam pacto prædicabo gloriæ radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis, ò Maria: natura formoſior es ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, &c.* *S. Epiphā.*

623 S. Bernardus in Biblioth. Virg. to. 2. fol. 325. col. 2. in fine: *Sicut enim punctum in medio figitur, à quo linea inchoata in longum protenditur: Sic Maria, &c. Ad ipſum enim ſicut ad mediū, ſicut ad arcana Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt, & qui in Cælo habitant, & qui in inferno, &* *S. Bernardus.*

qui

qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab ipſis, &c.

Idem. 624 Idem vocat Sacratiſſimam Virginem: *Negotium ſæculorum*, quod explicat Stanislaus Phœnitius, *fol.* 81. *Quia Rex ſæculorum in adornanda quam maximè Vnigeniti Filij ſui Matre ab Æterno quodammodo ſolicitus, vt circa principale & primarium poſt Chriſti humanitatem creationis ſuæ objectum, & quaſi circa quandam metham ac terminum Omnipotentiæ ſuæ, per ſæcula occupabatur.*

S. Ioann. Damaſcenus. 625 S. Joannes Damaſcenus Orat. 1. Nativit. B. Mariæ: *O viva, & Divina Imago Dei, ad quam Deus ipſe inventus eſt Artifex*: cui addenda ſententia S. Bernardi & Angelici Doctoris opuſc. de Charitate: *Hanc, Domine, feciſti Imaginem bonitatis tuæ, infinitam Imaginem.*

Idem. 626 Idem ibid. *Illam*, inquit, *SS. Mariam, Miraculorũ abyſſum, vniverſo Orbi medicinam afferentem fontem, &c.*

Angelic. Doctor. 627 Angelicus Doctor 1. part. quæſt. 25. art. 6. ad 4. *Beata Virgo ex hoc quod eſt Mater Dei, habet quandam Dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt eſſe melius.* In hac ergo ſaltem contulit ei Dominus quidquid potuit, &c.

Idem. 628 Idem 3. part. quæſt. 27. art. 1. *Rationabilitèr creditur, quod illa quæ genuit Vnigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus alijs majora Privilegia gratiæ recepit.*

Idem. 629 Idem in 4. ſent. diſt. 30. quæſt. 2. art. 1. *In Beata Virgine debuit apparere omne illud, quod perfectionis fuit.* Omne nihil excludit.

Seraphic. Doctor. 630 Seraphicus Doctor in Spec. lect. 5. *Immenſa certè fuit gratia qua Maria fuit plena. Immenſum enim vas non poteſt eſſe plenum, niſi immenſum ſit illud, quo eſt plenum. Maria autem, vas immenſiſſimum fuit, ex quo illum qui cælo major eſt, continere potuit. Si ergo Maria tam capaciſſima fuit ventre, quanto magis mente? Si capacitas tàm immenſa, fuit gratia plena; oportuit vtique, quod gratia illa, quæ tantam potuit implere capacitatem, eſſet immenſa.*

Idem. 631 Idem Serm. 3. de Virg. Deip. *Beata Virgo Maria in tantum Deo proxima fuit, tantaque ſanctitate reſplenduit, & ſic*

bo-

honorum omnium culmen obtinuit, vt creatura aliqua non vnita Verbo capax majoris boni non ſit. Nam ſi majoris boni creatura aliqua capax fuiſſet, quod Anſelmus dicit verum non eſſet, ſcilicet, quod Virgo Beata tanta puritate fulxiſſet, qua major ſub Deo nequiret intelligi.

632 S. Petrus Damianus Serm. 1. Nativit. Virg. *Et nota* S. Petrus
cum quanto Sacramento tranſitum Virginis Scriptura comparat ro- Damia.
tunditati. 3. Regum 20. In rotundo nec principium nec finem poteris invenire: ita & gloria quæ eam de hoc mundo tranſeuntem excepit, principium ignorat, neſcit finem: de qua nihil aliud poſſumus dicere, niſi quia glorioſa dicta ſunt de te, &c.

633 Idem ibid. *Aurum omnibus methallis pretioſius, intelli-* Idem.
ge divinitatem Dei, omni præeminentem mundo, omnia gubernantem. Hac veſtita eſt Mater Altiſsimi, totamque Virginem, tota illa inviſibilis natura largiori gratia ſuperfudit.

634 S. Gregorius Niſſenus Orat. 2. in Cant. circa finem: S. Gregor.
Animadverte, quantum ſupra creata cætera rerum Opifex tibi de- Niſſen.
tulerit, ô Maria. Non Cælum factum eſt ſimulachrum Dei, non Luna, non Sol, non ſiderum pulchritudo, non aliud quiddam eorum, quæ in rebus creatis cernuntur. Tu ſola Maria, Naturæ illius, quæ mentem omnem ſuperat, imago facta es, ſimilitudo pulchritudinis, interitui nulli ſubjecta, veræ divinitatis ſimulachrum, veræ lucis expreſsè imago, ad quam reſpiciens, fieri debes id, quod ipſe eſt, imitando illum, qui in te lucet per ſplendorem à puritate tua relucentem. Hac ratione nihil eorum, quæ magna ſunt, tuæ cum magnitudinis menſura conferri poteſt.

635 S. Petrus Chryſologus Serm. 140. *Quantus ſit Deus ſa-* S. Petrus
tis ignorat ille, qui hujus Virginis mentem non ſtupet, animum non Chryſolog.
miratur.

636 S. Methodius Serm. Purif. *Qui enim dixit:* Honora Pa- S. Metho-
trem tuum, & Matrem tuam; *longè præ cæteris in hoc ipſo probari* dius.
volens, divino quodam decore Matrem glorificavit.

637 Idem in Hipop. Domini: *Quam magna eſt domus Dei* Idem.
(id eſt Mater Domini) & ingens locus poſſeſsionis ejus! Magnus eſt & non habet finem, excelſus & immenſus.

638 Idem ibid. *Qui dixit:* Honora Patrem tuum & Matrem Idem.
tuam, *vt is decretum à ſe promulgatum obſervaret, atque adeo in*

hac parte alios excelleret, omnem Matri & gratiam, & honorem impendit.

S. Baſilius Seleuc.

639 S. Baſsilius Seleuc. in Orat. Annunt. *O ter Sacroſancta Virgo, de qua, qui omnia illuſtria & glorioſſa dixerit, nunquam is quidem à veritatis ſcopo aberrabit; attamen dignitatis magnitudinem nulla vnquam ratione exæquabit.*

S. Ephren.

640 S. Ephrem de laud. Virg. *Nulla comparatione omnibus ſuperis excellentibus glorioſior, praſtantiſsimum Orbis terrarum miraculum, omnium Sanctorum Corona ob ſulgorem inacceſſa.*

S. Laur. Juſtin.

641 S. Laurentius Juſtinianus Serm. de Aſſumpt. Virg. *Tanto dignitate cæteris effecta eſt excellentior, quanto propinquior erat Verbo.*

Idem.

642 Idem lib. de Caſto Conub. cap. 9. *Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiæ, quidquid gloriæ, totum fuit in Maria.*

S. Antoninus.

643 S. Antoninus de Florentia 4. part. tit. 15. cap. 16 *Deus infundit ſuam bonitatem vnicuique ſecundum propriam virtutem & capacitatem, vt patet de Domino, qui tradidit ſervis ſuis bona ſua, vnicuique ſecundum propriam virtutem: ergo quæcunque creatura, quæ eſt capax omnis gratiæ, cujus eſt capax pura creatura, illa erit plena omni gratia; talis autem creatura fuit Beatiſsima Virgo Maria: ergo ipſa eſt plena omni gratia, cujus particeps poteſt eſſe pura creatura: ſua igitur gratia tanta fuit, quod pura creatura majoris gratiæ capax non fuit.*

S. Ildephõ.

644 S. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus lib. de Virg. Maria cap. 11 affirmat: *Conceptionis & generationis modum in Maria, omni miraculo mirabiliorem, omni opere potentiorem, omni ſigno anguſtiorem, &c.*

S. Thom. à Villanova.

645 S. Thomas à Villanova Serm. de Viſitat. Virg fol. 154. col. 1. *Sileant omnes Muſæ. Sileant Gentilium celebratæ Camœnæ. Sileat Sybilla furens. Sileat laſciviosa Poëſis. Sileat Syrena dulcis. Garrula etiam Philomena conticeat. Sileat omnis hominum, aviumque harmonica laus. Cythara Regis ſonat. Deipara Virgo canit. Sed jam ipſam Virginem canentem audiamus: Magnificat anima mea Dominum, &c.* Vbi magnifica ſunt videnda Deiparæ Privilegia, quibus Deus fecit potentiam in brachio ſuo, quaſi Potentiam potentiæ ſuperaddens.

S.

646 S. Andreas Archiepiſcopus Cretenſis (Sancti nomine inſignitus in Bibliotheca Virginali tom. 2. fol. 784. col. 2.) Hom. 2. de Aſſumpt. B. Uirginis, ibi loquens de Nativitate Dominæ, inquit: *Hæc eſt declaratio occultorũ, & profundiorum divinæ incomprehenſibilitatis. Hic eſt ſcopus, qui excogitatus fuit ante ſæcula. Hæc eſt ſumma divinorũ Oraculorum. Hoc eſt ineffabile, & quod planè cognoſci non poteſt, ejus, qui eſt ante principium, cunrationis hominum conſilium. Hæ ſunt primitiæ communionis, & conjunctionis omnium Genitoris Dei cum ſuo figmento. Hæc eſt divinarũ reconciliationum, quæ pignore dato, fideijuſſio, eximia pulchritudo, à Deo ſculpta ſtatua, rectè deſcripta divini Archetipi imago. Per hanc fuere nobis data pignora ſalutis, &c.* S. Andr. Cret.

647 S. Bernardinus Senenſis tom. 4. Serm. 5. de Nativ. Virg. *Nec in perſonis Divinis, nec in perſonis creatis invenitur hæc incogitabilis dignitas, ſcilicèt, quod habeat Deum Filium, niſi in vna Perſona Divina, quæ eſt Pater, & in vna Perſona humana, quæ eſt Mater.* Inde cogita ſingularia Mariæ privilegia. S. Bernardin. Senẽſ.

648 Idem tom. 1. Serm. 61. art. 2. cap. 6. *Igitur hujus Maternitatis, atque maternæ dignitatis ordo eſt ſuper totalem integritatem primi ordinis Vniverſi.* Ex hoc probat, Mariam per ſe ſolam facere Hyerarchiam ſuperiorem omnibus creaturis. Idem.

649 Idem ibid. cap. 12. *Quod fœmina conciperet, & pareret Deum, eſt & fuit Miraculum miraculorum: oportuit autem (vt ſic dicam) fœminam elevari ad quandam æqualitatem divinam, vel quãdam quaſi infinitatem perfectionum & gratiarum, &c.* Idem.

650 Idem Serm. 5. de Nativ. Virg. cap. 7. *Ex his omnibus apparet, quod Mater Ieſu-Chriſti Maria, hæreditario jure in omnia, quæ ſunt infra Deum, habet regale Dominium, & inclytum obtinet principatum.* Idem.

651 Idem tom. 4. Serm. 13. cap. 4. exponens illa Prophetæ Regis verba: *Elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos Deus,* inquit: *Magnificentia enim Dei dicta eſt V. Maria. Nam ſicut in prima conditione rerum magnificatus eſt Deus, quia de nihilo tam ſublime vniverſum condidit: ſic quoque, &c* Idem.

652 Idem Serm. 6. de glor. B. Virg. *Adverte, quod hæc benedicta puella tantam perfectionem attulit Vniverſo, quod vlterioris perfectionis non eſt capax, nec Deus poteſt ordinaria poteſtate ipſum perficere vlteriori perfectione.* Idem.

Idem. 653 Idem Serm. 12. Aſſumpt. art. 2. cap. 2. *O ſtupendum prodigium & inauditæ altitudinis faſtigium, vt à muliere Dei Filius quodammodo recognoſcere videatur ſuum eſſe humanum! Quid non debuit Virgini concedere, quam tantum voluit honorare?*

S. Birgitta 654 S. Birgitta lib. 1. cap. 42. fol. 91. col. 1. *Deitas concluſit me in ſe* (ait Regina Cœleſtis) *cum anima & corpore, & implevit me omni virtute, vt non ſit virtus in Deo, quæ non ſplendeat in me, quamvis ipſe Deus ſit & Pater, & dator omnium virtutum.*

Eadem lib. 3. 655 Et lib. 3. earundem revelationum cap. 30. fol. 295. col. 2. *Maria flos eſt florum, flos, qui crevit in valle, & ſuper omnes montes ſe dilatavit. Hic flos ſuper omnia habuit altitudinem quia benedicta Regina Cæli ſuper omnem creaturam excedit dignitate & poteſtate.*

Eadem lib. 5. 656 Et lib. 5. revelat. 12. q. 4. fol. 619. col. 1. circa fin. *Tertio fuit Maria vas vacuum, & non vacuũ; vacuũ ab omni voluntate & peccato; non vacuum, ſed plenum Cæleſti dulcedine, & omni bonitate*; ſed non foret Maria plena omni bonitate, ſi aliquam bonitatem poſſet habere, quam ei Deus non contulerit: Ergo, &c.

In Extravag. 657 Et in Revelat. Extravag. cap. 50. tom. 2 fol. 441. col. 1. *Tu fuiſti ſic munda,* ait Sponſa ad Reginam Virginum, *quemadmodum domus mundiſsima, cum odore virtutum odorifera, & omni pulchritudine ornata, &c.* Ex quo ſimilitèr formatur argumentum ſicut in antecedenti, *ex omni pulchritudine.*

S. Pazzis. 658 S. Maria Magdalena de Pazzis lib. 1. Divinarum Intelligentiarum cap. 4. ait: *O dilectæ Sorores, meus Iesvs aliud non eſt, niſi Amor: imò Amore inſanus.* Si ergo amore inſanus eſt Iesvs erga alias animas, quid erga Matrem?

Ead. lib. 4 659 Et lib. 4. cap. 5. fol. 89. col. 2. init. ait: *Vt tali actu,* Ecce ancilla Domini, *dignior tanta gloria & magnitudine redderetur, quam nec ipſa, nec vllus beatus ſpiritus, aut pura creatura valeat comprehendere, cum dignitas Matris ſit infinita.* Nihil igitur eſſe valet proximius Deo.

Albert. Magn. 660 Albertus Magnus de laudibus Virginis cap. 190. in Bibliotheca Uirginali tom. 1. fol. 410. validiſsimis rationibus oſtendit, Sacratiſsimam Uirginem ſuper omnem creaturam in quarta hyerarchia fore exaltatam: ex quo nihil eſſe proximius Deo quaſi à priori demonſtratur. Præterea exponens verba illa

Ie-

Jerem. 30. *Ædificabitur à Domino civitas in excelſo*, de Maria loqui Prophetam authoritate confirmat; additque illud Matth. 8. *Non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſsita, &c.*

661 Alexander Alenſis in Gloſſa ſuper Miſſus eſt, & ſuper Canticum Uirginis, apud Biblioth. Virginalé to. 1. fol. 175. col. 1. ſub lit. B. ait ſic: *Fecit mihi magna qui potens eſt, & qui facit magna & inſcrutabilia Job 9. Fecit eum habere Deum Filium, &c. Præterea fecit mihi magna qui potens eſt, quia alius non potuiſſet talia facere, ſed ipſe fecit qui potens eſt: Omnipotens nomen ejus, & hoc eſt quod ſupra dixerat, quia non erat impoſsibile, apud Deum omne Verbum:* Privilegia ergo Deiparę, ex omnipotentia Divina menſurantur. *Alexand. Alenſ.*

662 Arnoldus Carnotenſis lib. de laud. Virginis: *Vna eſt Mariæ & Chriſti caro, vnus ſpiritus, vna charitas: vnitas diviſionem non recipit, nec ſecatur in partes; & licèt ex duobus factum ſit vnum, illud tamen vltra ſcindi non poteſt, atque adeò Filij gloriam cum Matre, non tàm communem dico, quàm eandem.* *Arnoldus*

663 Gerſon ſuper Magnif. *Juxta Hyerarchicam Dyoniſij legem, continet Maria eminenter omnem perfectionem creaturarum, tanquam inferiorum, vt jure dicatur Regina mundi, & Domina.* *Gerſon.*

664 Phœnitius de venerat. Uirginis fol. 54. *In Maria enim quantus eſt Deus, tantus invenitur; & ita quoddammodo magnitudo illius veluti in idea, & imagine ſui expreſſa reſplendet.* *Phœnitius*

665 Guarricus Abbas Serm. 1. de Aſſumpt. *Mariam dico exaltatam ſuper Choros Angelorum, vt nihil contempletur ſuper ſe Mater, niſi ſolum Filium; nihil miretur ſuper ſe Regina, niſi Regem ſolum; nihil miretur ſuper ſe Mediatrix, niſi Mediatorem ſolum.* *Guarricus*

666 Subtilis Doctor Marianus Scotus in 3. ſentent. diſt. 3. quæſt. 1. num. 10. *Si authoritati Eccleſiæ, vel authoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius eſt tribuere Mariæ.* Aliam vide Authoritatem in fine Concertationis. *Scotus.*

667 Eminentiſsimus Cayetanus *ſuper Miſſus eſt*, in illa verba: *Non erit impoſsibile apud Deum omne Verbum*, inquit: *Intendit Angelus ex hoc teſtimonio ſenſibili, inſtruere, quod omne poſſibile eſt apud Deum; & dixit,* omne verbum, *vbi nihil excipitur, niſi quod implicat contradictoria.* Conſonat Myſtica Civitas Dei num. *Cayetanus*

Hu-

Hugo. 668 Hugo de Sancto Victore, exponens illa Virginis verba *fecit mihi magna qui potens eſt*, inquit: *Propterea non ait, hoc, vel hoc poteſt, ſed potens eſt, vt omnipotentem intelligas, qui abſolutè potens dicitur. Et ideo inquit*: Fecit mihi magna qui potens eſt, *& ſingularitèr magna, quia ſingularitèr potens*: Nunc adverte: *Eant ergo nunc, & de ſuo ſenſu glorientur, qui opera Divina in privilegijs Deiparæ, ratione ſe putant diſcutere, & Dei potentiam ſub menſura conſtare. Cum enim dicunt huc vſque poteſt, & nõ amplius; quid hoc eſt aliud, quam ejus potentiam, quæ infinita eſt, concludere & reſtringere ad menſuram?*

Ricardus. 669 Ricardus à S. Laurentio in ſuo 1. Prologo: *Hanc enim gloriam ſibi retinuit ſupernus artifex, cujus Virgo Mater opus eſt ſpeciale. Quare de Maria per Prophetam dicit: ſecretum meum mihi, &c.* Iſaiæ 24.

Idem. 670 Idem lib. 6. de laud. Virg. *Deus Mariam elegit, & in ſua comparatione omnia ſua contulit, & quaſi pro ipſa habenda, expendit omnia ſua propria, id eſt divina; de quibus dicit Ioann. 16 Omnia quæcunque habet Pater mea ſunt.*

Idem. 671 Idem lib. 11. de laud. Virg. *In hoc enim conſiſtit novitas miraculi indicibilis, & hæc ſunt glorioſa quæ dicuntur de Civitate Dei, ſcilicèt, quod Altiſsimus in quantum Deus fundavit eam prius, & poſt ejus fundationem natus eſt in ea in quantum homo.*

Idem. 672 Idem ibid. *Et nota, quia Ioannes flebat multum, quia nullus inventus eſt dignus ſolvere ſignacula libri, niſi ſolus Agnus, quia nemo novit Matrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare, ſicut Chriſtus dixit de Patre.*

Idem. 673 Idem lib. 1. de laud. Uirg. cap. 4. *Ipſa autem ſic vndequaque gratia plena fuit, quod majorem gratiam habere non poſſet, niſi ipſa divinitate vniretur, hoc eſt niſi ipſa eſſet Deus*: Quid amplius?

Spiera. 674 Ambroſius Spiera Serm. Sab. 2. Quadrag. concluſ 3. quæ ſic eſt: *Singulari admiratione creavit Deus Virginem glorioſam magis, quam Angelos & totum Orbem*, ſicut habetur in Bibliot. Virginali tom. 2. fol. 121. col. 2. ſub lit. C. ait ſic: *Quod autem de potentia ſua abſoluta id Deus fecerit, patet, quia ſi non fecit, aut hoc, quia non potuit, aut quia illud repugnans habuit, &c.* Idque mirabilitèr proſequitur circa ſingularia privilegia Reginæ Cœleſtis, vt videri poteſt loco citato. Biblioth. Virg.

Car-

675 Cartagena lib. 2. hom. 6. *Quoniam vero ſolam Virginem Dominus conſtituit Reginam Cœli & terræ, tam Angelorũ, quam hominum, atque dedit ei poteſtatem dominandi à mari vſque ad mare, & vſque ad extremos fines orbis terræ, imò & ſuper Cardines Cœli, ipſa ſola eſt, quæ per antbonomaſiam ab omnibus, Domina vocari meretur.* *Cartagen.*

676 Cornelius à Lapide in Luc. cap. 1. *Maternitas Dei eſt dignitas incomprehenſibilis (ſicut & Deus ipſe eſt incomprehenſibilis) & abyſſus gratiarum omnium, &c.* *Cornel. à Lapide.*

677 P. Chriſtophorus de Vega in ſua Theologia Mariana à fol. 933. *Privilegia Mariana non ſunt ad Reliquorum Sanctorum normam dimetienda, ſed ſola divina Omnipotentia menſuranda.* *Vega.*

678 Omiſi ſuper quamlibet ex relatis Authoritatibus in confirmationem propoſitionis confixæ argumentum eformare; tùm quoniam idem ſæpeſæpiùs neceſsè eſſet repetere; tùm etiã, quoniam inter Sapientes & Theologos verſamur, quibus ex præmiſsis in ſingulis authoritatibus repertis, concluſionem legitimam per illationem rectam extrahere non erit dificile. Unum fateor, & in hoc me ipſum judico; abſque neceſsitate, ſcilicet, SS. PP. & DD. multiplicatas eſſe ſententias, cum earum aliquę ſatis eſſent; verum quod neceſsitati non ſerviat, proderit devotioni; & quod puncto ſuperſit, in gloriam Reginæ Cœleſtis accipiatur. Sat nobis, ex earum plurimis convinci, Deum contuliſſe SS. Virgini quidquid potuit, ſalva ſuperioritate Filij, & retenta puræ creaturæ ratione; eique contuliſſe quod in pura creatura proximius Deo, in divina Maternitate; & quod diſtantiùs à peccato, in Conceptione ſine culpa originali. *Nota.*

§. III.

VTRIVSQVE CENSVRÆ VITIA DEteguntur, & impugnantur.

679 CONfixa propoſitio ſic eſt: *Contulit Virgini Dominus quidquid voluit, & voluit illi conferre quidquid potuit, potuitque ipſi conferre quidquid non eſt eſſe Deum, ſed proximius Deo, & longinquius à peccato in pura creatura.* Cenſura au-

autem veſtra, ò Sorbonici, ait ſic: *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, & Evangelicæ doctrinæ contraria, cum in Evangelio manifeſtum ſit, non omnia Virgini Dominum contuliſſe, quæ ei conferre potuit.* Vt igitur Notas Cenſuræ veſtræ ſingilatim examinemus, confixa propoſitio in tres propoſitiones ſecanda videtur. Prima: *Contulit Mariæ Dominus quidquid voluit.* Secunda: *Voluit Dominus Virgini conferre quidquid potuit.* Tertia: *Potuit Dominus conferre Virgini quidquid non eſt eſſe Deũ, ſed proximius Deo, &c.* Dicite mihi, qualis ex ijs tribus eſt propoſitio falſa, temeraria & Evangelicæ doctrinæ contraria? Certè non prima, cum nec ſoli Virgini Mariæ, quinimò & cuilibet creaturæ contulerit Dominus quidquid voluit. Pſal. 134. v 6. *Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in Cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.* In hoc non amplius immoremur.

Partitio prop. confixæ.

Pſal. 134.

680 Si dixeritis, propoſitionem falſam, temerariam, & Evangelicæ doctrinæ contrariam, eam fore, qua dicitur: *Dominus voluit conferre Virgini quidquid potuit*; ad rationem veniamus. Hæc propoſitio generalis eſt; ſed propoſitiones generales adhuc in Scriptura Sacra cum reſtrictione videntur intelligendæ: Ergo, &c. Minorem latiſsimè probat Caniſsius de Maria Deipara lib. 1. cap. 6. fol. 30. col. 2. & cap. 7. ejuſdem libri, fol. 35. col. 1. ante med. cujus prima authoritas ſic eſt: *Conſtantèr dicimus, in ſcripturis multas propoſitiones, vt vocant, vniverſales adferri, quæ commodam interpretationem, ſæpè & certam exceptionem requirant, ſicut Scripturarum periti omnes agnoſcunt, & res ipſa fateri cogit. Etenim ad omnes non pertinet, licèt de omnibus tradi videantur hæ ſententiæ.* Geneſ. 6. *Omnis caro corruperat viã ſuam ſuper terram.* Jerem. 6. *A minimo vſque ad maximum omnes avaritiam ſequuntur* Philip. 2. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, nõ quæ Ieſu-Chriſti.* Ioann. 12. *Omnia traham ad me ipſum*, & aliæ hujuſmodi ibi videndæ.

Caniſsius.

Geneſ. 6.

Philip. 2.

681 Secunda Caniſsij authoritas ſic eſt: *Nec enim in ſcripturis eſt infrequens, vt quod generatim & abſolutè aſſirmatur, ſtrictim certaque ratione dumtaxat accipi debeat. Vt* Math. 19. Nemo bonus niſi ſolus Deus, *non bonitatis ac virtutis laudem Sanctis adimit, ſed ad omnem hominem ſecundum naturam ſuam, & ſecluſa Dei gratia conſideratum ſpectat*, ibique proſequitur aſſumptum authoritatibus & rationibus roboratum. Non igitur debuiſtis,

Docti Cenſores, propoſitionem confixam ſecundum partem aſſumptam in tali ac tanta vniverſalitate judicare. Si enim in ipſomet Opere reſtrictiones propoſitionis inveniuntur, vt vidimus ſupra nu. 607. cur propoſitionem ſine reſtrictione accipere tentaſtis? Si juxta regulam Canonicam ſupra tranſcriptam num. 63. ea quæ in principio, ad finem vel ad medium; & ea quæ in fine, ad medium vel ad principium; & ea quæ in medio, ad principium vel ad finem, vel ad eorum alterum ſunt referéda; quare ſi in eodem Opere Myſticæ Civitatis Dei haud ſemel confixa propoſitio catholicis reſtrictionibus explicatur, voluiſtis ſine reſtrictione judicari? *Sup.n 63.*

682 Præterea, ſi in rigore terminorum loquamur, propoſitio illa: *Voluit Dominus conferre Virgini quidquid potuit*, ex nulla parte falſa videtur. *Vult Dominus omnes homines ſalvos fieri*; nunquid ex eo quod non omnes homines ſalventur, illa propoſitio generalis falſa eſt, vel temeraria? Abſit, cum in Scriptura Sacra reperta: quanquam igitur Sacratiſsima Virgo Maria, quidquid Dominus voluit illi conferre, non recepiſſet, taxatione poſita ex ratione puræ creaturæ, vel, quod impoſsibile, ex alia ratione culpabili, propoſitio illa: *Voluit Dominus Mariæ cōferre quidquid potuit*, falſa non foret ex vi ſignificati, nec temeraria. *Vult ſimilitèr Dominus quod peccator convertatur & vivat*: Nunquid hoc falſum eſt, aut temerarium, quoniam aliquis peccator nec convertitur, nec vivit? *1.ad Thimot 2.v.4*

683 Nullum quidem obſtaculum, præter rationem puræ creaturæ finitæ, repertum eſt in Puriſsima Virgine; verum demus falsò, quod in ipſa daretur obex: quid hoc veritati relatæ propoſitionis? *Eſtà Dios diſpueſto* (inquit V. Author 1. part. nu. 37. à lin. 10) *para ſantificar, juſtificar, y llenar de dones, y perfecciones à todas los criaturas juntas, y à cada vna de por ſi, dando à cada vna, mas que tienen todos los Santos Angeles, y Serafines juntos, aunque las gotas del mar, y ſus arenas, las Eſtrellas, plātas, Elementos, y todas las criaturas irracionales fueran capaces de razon, y de ſus dones; como de ſu parte ſe diſpuſieran, y no tuvieran obice, que lo impidiera, &c.* Num doctrina hæc falſa eſt, quoniam creaturæ ſe offerunt incapaces ad talia & tanta dona recipienda? Illa ſumma bonitas communicari deſiderat, inclinatione quaſi infinita, vt etiam mirabilitèr explicatur in Myſtica Ci- *Myſt.Civ. Dei.*

Myſt. Civ. Dei, loco hic cit. vitate Dei 1. part. num. 35. 38. 186. 187. Et 2. part. nũ. 7. 11. 31. 35. 36. 84. 918. 956. 1529. Et 3. part. nu. 240. 241. 243. 273. 625. Divina itidem potentia ex parte ſui non habet terminum, vt etiam dicitur 2. part. num. 38. à lin. 8. his Hiſpanicis verbis: *En el poder Divino no ay limite, ſolamente ſe le pone nueſtra voluntad con ſus obras, ò con la corta capacidad que tiene, como criatura finita, &c.* Ne autem cogitemus, SS. Virginem habuiſſe primam incapacitatem ex parte operum, neque caruiſſe ſecũdâ ex parte creaturæ finitæ, ſtatim ſubjunxit: *En Maria Santiſſima no hallò el poder divino, impedimento por parte de las obras,* nunc attende, *ſolo por ſer pura criatura, pudo hallar el brazo del Señor alguna taſſa, &c.*

684 Ex hijs autem omnibus aſſumptam formalitatem proſequentes, duo principalitèr colliguntur. Primum, quod propoſitio hæc: *Vult Dominus creaturæ conferre quidquid poteſt*, non falſificatur quanquam ex parte creaturæ, limitantis Divinam potentiam, non recipiatur quidquid aliâs recipere poſſet: ex parte quidem creaturæ ponitur menſura, & coarctatur bonitas ſine menſura, ſicut oleum Eliſæi defectu vaſis. Secundum, Dominum contuliſſe SS. Virgini quidquid ipſa recipere potuit; nã quod eſt contrarium Fidei, vel rectæ rationi recipere non valuit: quomodocunque igitur relata propoſitio ſumatur, à falſitatis nota libera procedit quoad hanc partem. *4. Reg. 4. v. 6.*

Tertia Propoſitio

685 Si autem de illa tertia propoſitione, ſcilicèt: *Potuit Dominus Sacratiſſimæ Virgini conferre quidquid non foret eſſe Dei, vel eſſe Deum, ſed proximius Deo*, aſſeratis verificari Cenſuram veſtram. Arguo ſic: Potuit conferre Dominus Reginæ Cœleſti quidquid non arguit implicationem cum ratione puræ creaturæ: ſed quidquid non eſt eſſe Deum, non implicat cum ratione puræ creaturæ: Ergo, &c. Minor liquet, nam quidquid non eſt eſſe Deum, eſt extra Deum; ſed quidquid eſt extra Deũ, vel nihil eſt, vel eſt quid creatum finitum & limitatum, quæ attributa ſunt puræ creaturæ: quidquid ergo non eſt eſſe Deum non implicat cum ratione puræ creaturæ.

Non conceſſa SS. Virgini.

686 Dicetis vtique, quam plurima non pugnare cum ratione puræ creaturæ, & fide conſtat, Reginæ Cœleſti non conceſſa, vti eſſe conceptam abſque conſortio viri, virtute Spiritus Sancti, eſſe conceptam in gloria, quod apertè negat Venerabilis

Au-

Author 1. part. Myſticæ Civitatis Dei num. 225. & expreſsius num. 236 habere permanentem viſionem beatam, quod ſimilitèr Virgini denegat ipſa V. Abbatiſſa, eadem prima part. nu. 312. & a num. 620. Habere gratiam conſumatam aumentationis expertem, quod ſimilitèr SS. Uirgini negatur, 1. part. nu. 533. & alia hujuſmodi, quæ cum ratione creaturæ minimè pugnant ex terminis: Ergo Sacratiſsima Virgo Maria non recepit quidquid recipere valuit vt pura creatara.

687 Fateamur ſic eſſe, omniaque, prout hic referuntur, in Libris Myſticæ Civitatis Dei reperiri. Cum his autem propoſitionem confixam, quoad vltimam partem aſſumptam, regidius examinemus. Potuit Dominus Sacratiſsimæ Virgini conferre quidquid non foret eſſe Deum, ſed proximius Deo; atqui dum divinam Maternitatem Virgini contulit, non contulit Virgini eſſe Deum, & ei contulit quidquid eſt proximius Deo: in rigore igitur propoſitio nec eſt falſa, nec temeraria, nec Evangelicæ doctrinæ contraria. Major eſt ipſa propoſitio confixa. Minor autem negari non valet, nec ratione, nec authoritate præcipuè *Anglic.*
ſi Thomam Angelicum recolamus ſupra citatum num. 627. *Doctor.*

688 Vel alitèr: *Potuit Dominus Sacratiſsimæ Virgini conferre* *Expoſit.*
quidquid non foret eſſe Deum, ſed proximius Deo. Vnde hoc eſt fal- *alt.*
ſum, aut temerarium, vel Evangelicæ Doctrinæ contrarium? Etenim tota propoſitio quoad hanc partem in Divinam potentiam reſolvitur; ſed negari non valet divina potentia: ergo relata propoſitio prout attinet ad Deum, nec eſt falſa, nec temeraria, nec Evangelicæ doctrinæ contraria.

689 Nec dicatis, Deum non contuliſſe Virgini quidquid *Evaſ. re-*
ipſa recipere valuit, vt pura creatura, de quo jam ſupra. Hoc di- *tund.*
cimus ſic eſſe, vis autem totius argumenti noſtri pro nunc ab hoc preſcindit, ſiſtitque in formalitate propoſitionis confixæ, quæ certè quoad hanc vltimam partem & ex vi terminorum non loquitur de his quæ Sacratiſsima Virgo recepit, ſed de his quæ divina potentia potuit ei conferre, & ait ſic: *Potuit Dominus Sacratiſsimæ Virgini conferre quidquid non foret eſſe Deum, ſed proximius Deo*; ſed totum hoc veriſsimum eſt, vt ex terminis & ex ſupradictis patet: propoſitio ergo quoad hanc partem nec eſt falſa, nec temeraria, nec Evangelicæ doctrinæ contraria.

690 Verum ſi ad ſecundam propoſitionem, ſivè ad ſecun- *Reſum. 2.*

dam partem totius propoſitionis confixæ reddere velitis, vt argumentum veſtrum de his quæ Sacratiſsima Virgo Maria recipere valuit, & non recepit, locum habeat, iterum concertemus. Propoſitio ſic erat: *Voluit Dominus conferre Virgini Mariæ quidquid potuit*; Vel hoc refertur ad tertiam propoſitionem immediatè ſubſecutam, vel non? Si primum? Arguo ſic: Id quod voluit Dominus Virgini conferre ex vi propoſitionis ſubſecutæ eſt eſſe proximius Deo, ſed eſſe proximius Deo, eſt eſſe Matrem Dei, vt nuper oſtendimus: ergo collatum eſt Virgini quod Dominus ei voluit conferre, quando voluit ei conferre quidquid potuit. Si autem dicere velitis, quod illa propoſitio ſecunda, ſivè ſecunda pars propoſitionis confixæ, non refertur ad tertiã; hoc difficile probabitur, cum ſub eodem puncto omnes illæ propoſitiones, ſivè tres ejuſdem propoſitionis partes formalitèr contineantur, vt videntur in textu.

Sup n.

691 Præterea, vt aliqua propoſitio ſit vera, ſatis eſt, quod in aliquo ſenſu vera ſit. Hoc ſuadetur. Ut hæc propoſitio ſit vera: *Sacratiſsima Virgo Maria eſt adorabilis*, ſufficit, quod aliqua ſpecie adorationis adorabilis ſit, de quo ſupra à n. 434. Cæterum, vt hæc propoſitio ſit vera: *Impoſsibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte :: & prolapſi ſunt; rurſus renovari ad pœnitentiam, &c.* ſufficit quod aliqua impoſsibilitate idipſum ſit impoſsibile. Similitèr vt illa Chriſti propoſitio de Baptiſta loquentis: *Ipſe eſt Elias*, ſit vera, ſufficit, quod in aliquo ſenſu Joannes ſit Elias, & ſic de alijs ſimilibus propoſitionibus in Scriptura Sacra repertis: vt illa ergo propoſitio: *Voluit Dominus Virgini conferre quidquid potuit, & potuit ei conferre quidquid non foret eſſe Deum, ſed proximius Deo, & diſtantiùs à peccato in pura creatura*, ſit vera, ſufficit quod in aliquo ſenſu vera ſit; ſed in aliquo ſenſu vera eſt, dum Virgini cõtulit Altiſsimus divinam Maternitatem, quæ eſt donum proximius Deo in pura creatura; & eſſe ſine labe originali conceptã, quod eſt donum longinquius à peccato in pura creatura: ergo talis propoſitio quoad vtranque partem vera eſt; & non eſt, vt dicitis, falſa, nec temeraria, nec Evangelicæ Doctrinæ contraria.

Hebr. 6. v. 4.

Math. 11. v. 14.

Reſum. inſtant.

692 Si autem veſtrum ſemper vigeat argumentum de relatis donis, Virgini non conceſsis, & alias compatibilibus cum

ratione puræ creaturæ: ab hoc vltimo præſcindimus, quaſi nobis non neceſſarium. Nec ſic facilè eſt, talia dona compatibilia fore cum ratione puræ creaturæ, vti Cenſores indicant, quibus credimus non latere, quod compatibilitas ſic facilitèr ab ipſis aſſerta, difficultatibus maximis non careat: verum, vt dixi, ab hoc præſcindimus, quoniam ad tuendam propoſitionem confixã, quoad omnes ejus partes, ſufficit, vt de falſitate convici non valeat ex vi ſignificati cujuſcunque partis, modo relato; prætetquam quod ſi exceptiones propoſitionis generalis ab ipſa V. Abbatiſſa poſitæ ſunt locis ſupra citatis, idipſum probat, propoſitionem generalem non ſic accipiendam, ſicuti à Cenſoribus judicatur; etenim quod excipitur a regula generali, non comprehenditur ſub regula generali.

693 Alitèr totam propoſitionem quoad ſingula ejus membra, etſi brevitèr inſpiciamus. *Contulit Mariæ Dominus quidquid voluit*: Hic patet divina libertas. *Voluit Mariæ Dominus conferre quidquid potuit*: Hic liquet divina liberalitas. *Potuit Dominus Virgini conferre quidquid non foret eſſe Deum, ſed proximius Deo, & diſtantiùs à peccato in pura creatura*: Hic ſignantur determinata dona, & privilegia ſingularia, quibus tota dirigitur integralis & hypothetica propoſitio, ſcilicèt divina Maternitas, & Conceptio Immaculata. *Alia prop expoſit.*

694 Poſtmodum, hoc notum ſit nobis & vobis, ô Sorbonici, Axioma illud Doctoris veſtri & noſtri, Subtiliſsimi Scoti decère maximè Doctoribus Chriſtianis: *In laudando Virginem, malo excedere quam deficere à laude ſibi debita, dum per ignorantiam oporteat in alterum incidere.* Documentum inſuper Magni Auguſtini ſolatium ſit: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit*, (de B. Virgine) *ſcias hoc magis feciſſe Deum, quam non feciſſe.* Prætereà, hoc ſciamus, quod quantum de Privilegijs Reginæ Cœleſtis explicemus, quaſi granum minimum eſt ex acervo maximo detractum, ſicut Seraphicus Antonius, illud exponens: *Venter tuus ſicut acervus tritici*, dixit: *Ex hoc acervo non menſurã plenam valemus educere, ſed grana quædam, velvt formicæ ſollicitæ, quæ præparant in hac meſſe cibum ſuum: Vade igitur ad formicam, ò piger, &c.* In hoc laboritio ſancto fœlicitas noſtra, circa quod Ricardus à Sancto Laurentio dicebat, lib. 1. de laud. Virg. *Quod ſi beatificat eam mulier, quæ adhuc carni & ſanguini ejus com-* *Subtiliſ. Scot.* *S. Auguſt.* *S. Antonius Paduan.* *Ricard. à S. Laurent*

mu-

municare non meruit; longè magis à nobis beatificanda, qui de ejus carne & ſanguine reficimur in altari. Surgamus ergo ſtrenuè, &c.

695 Demùm, ſi illud tibi ſemper occurrerit, quod Sacratiſsima Virgo Concepta non fuit virtute Spiritus Sancti: Ad hoc & ad ſupradicta roboranda, audi Sanctum Anſelmum opuſc. de
S. Anſel. B. Maria, cap. 7. in Biblioth. Uirg. tom. 2. fol. 401. col. 2. loquentem cum Domina, & dicentem ſic: *Nihil tibi Domina æquale, nihil comparabile eſt: omne enim, quod eſt, aut ſupra te eſt, aut ſubtus te eſt: quod ſupra te eſt, ſolus Deus eſt; quod infra te, omne quod Deus non eſt. Ad tuam tantam excellentiam quis aſpiciet? Quis attinget? Et certè vt ad hanc excellentiam pervenires, in humilimo loco, id eſt in vtero matris tuæ puriſsima oriebaris* Nunc attende. *Quod ſi tali modo concepta, & ordinata non fuiſſes, ad tantam celſitudinem non ſuccreviſſes* Non igitur decuit Virgini, vt virtute Spiritus Sancti conciperetur.

ARTIC. XI.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM *Pariſienſium.*

696 PAg. 278. num. 252. *Denuntio ſemèl & ſæpiùs, ex vi veritatis & luminis, in quo video Myſteria iſta ineffabilia, omnia Privilegia, Gratias omnes, omnes Prærogativas, & omnia Dona conceſſa puriſsimæ Mariæ, ipsâ Matris Dei Dignitate non exceptâ, pendere, & ducere originem, ſecundum eam, quæ fit mihi manifeſtationem, ab eo quòd fuit immaculata, & plena Gratiâ in Conceptione ſua puriſsimâ; ita vt abſque hoc Privilegio cætera omnia imperfecta viderentur, & veluti magnificum Ædificium abſque fundamento ſolido, & proportionato.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

697 HÆC *Doctrina, quæ dogmata de SS. Virgine ad Fidem Catholicam pertinentia, vt Dei Maternitatem, perpetuam ejus virginitatem, pendere facit à Sententiâ, quæ de Fide Catholica non eſt: Falſa eſt, temeraria, & Fidem in Concilijs ſtabilitam infirmans.*

CENSVRA SVPPOSITITIA.

698 *Quamvis facultas Theologiæ Pariſienſis tenuerit, & teneat SS. Virginem ſuiſſe in ſua Conceptione à labe originalis peccati praſervatam; tamen hæc Doctrina, quæ Dogmata de Sanctiſsima Virgine ad Fidem Catholicam pertinentia, vt Dei Maternitatem, & perpetuam Virginitatem, pendere aſſerit a Sententiâ, quæ de fide Catholica non eſt, & ità pendere, vt alioqui fundamentum ſolidum non haberent: falſa eſt, temeraria, & Fidem in Concilijs ſtabilitam infirmans.* In Libello Cenſuræ Suppoſititiæ hic eſt Articulus 7.

CONCERT. XII.

SVPER DOCTRINAM CONFIxam in hoc Articulo 11.

699 EXaminanda proponuntur. 1. Diſcordia inter Verſionem Gallicam & Exemplar Matritenſe, quod eſt fidelitèr cum Originali textu collatum. 2. Mens legitima V. Abbatiſſæ in doctrina confixa. 3. Vitia notabiliora vtriuſque Cenſuræ ex nonnullis SS. PP. authoritatibus comprobata. Inſpiciamus ſingula.

§. I.

DISCORDIA INTER VERSIONEM Gallicam, & litteram Originalem.

700 LIttera Originalis doctrinæ confixæ. *Con la fuerça de la verdad, y luz, en que veo eſtos inefables Myſterios confieſſo vna, y muchas vezes, que todos los Privilegios, Gracias, Prerrogativas, Favores, y dones de Maria Santiſsima, entrando en ellos el de ſer Madre de Dios ſegũ, y como a mi ſe me dan à entender, todos dependen, y ſe originan de aver ſido inmaculada, y llena de gracia en ſu Concepcion Puriſsima; demanera, que ſin eſte beneficio* *Textus Originalis*

pa-

parecieran todos informes, y mancos, ò como vn ſumptuoſo edificio ſin ſundamento ſolido, y proporcionado.

Verſio in latin. ex Hiſpan.

701 Verſio fidelis ex Hiſpano in latinum: *Ex vi veritatis, & lucis, quibus hæc ineffabilia conſpicio Myſteria, fateor ſemel & ſæpè, quod omnia Privilegia, gratiæ, prærogativæ, ſavores, & dona Sanctiſsimæ Mariæ, in illis incluſo divinæ Maternitatis dono, ſecundum & quomodo mihi manifeſtantur, omnia dependent & originantur ab eo, quod Immaculata fuerit, & gratia plena in ſua Conceptione Puriſsima; talitèr vt ſine hoc beneficio, omnia viderentur informia, & diminuta; aut veluti ſumptuoſſum ædificium abſque ſolido & proportionato fundamento.*

Verſio ex Gallic. in latin.

702 Verſio ex Gallico in latinum, prout in Articulo Cenſuræ: *Denuntio ſemel & ſæpiùs, ex vi veritatis & luminis, in quo video Myſteria iſta ineffabilia, omnia Privilegia, gratias omnes, omnes prærogativas, & omnia dona, conceſſa Puriſsimæ Mariæ, ipſa Matris Dei Dignitate non excepta, pendere, & ducere originem, ſecundum eam, quæ fit mihi, manifeſtationem, ab eo quod fuit Immaculata, & plena Gratia in Conceptione ſua Puriſsima; ita vt abſque hoc Privilegio cætera omnia imperfecta viderentur, & veluti magnificum ædificium abſque fundamento ſolido & proportionato.*

Diſcordia

703 Diſcordiam ſubſtantialem inter Originalem litteram & Verſionem Gallicam, dum fidelis ſit Traductio relata ex Gallico in latinum, nullam invenio; improprietates autem non paucas. In primis termini, *omnes*, & *omnia*, abſque neceſsitate & contra proprietatem litteræ multiplicantur. Etenim bis aut ter in littera textus inveniuntur, in Verſione autem Gallica, prout hic apparet in latinum redacta, quinquies repetuntur. Præterea, vbi Textus Originalis inquit, *ſine hoc beneficio*, vertit Gallus, *ſine hoc privilegio*. Cœterum, loco verborum illorum, *aut veluti ſumptuoſum ædificium*, ponit Traductio Gallica, *& veluti magnificum ædificium* Libellus itidem Suppoſititiæ Cenſuræ dixit, *ſuperbum ædificium*. Cœteras omittimus diſcordias minoris momenti; verum nec propter hoc relatas ſubſtantiales vocamus.

(*†*)

§. II.

§. II.

EX COLLATIONE ALIARUM PROpoſitionum Myſticæ Civitatis Dei, legitimus ſenſus V. Abbatiſſæ in doctrina confixa comprobatur, & enervatur vis vtriuſque Cenſuræ.

704 TEnet firmitèr V. Abbatiſſa, dignitatem ſupremam Divinæ Maternitatis eſſe fundamentum ſingulare in intentione omnium Gratiarum, Donorum, & Privilegiorum, quæ in Regina Cœleſti dignè veneramur & profitemur. Conſtat hoc inprimis ex num. 100. primæ partis Myſticæ Civitatis Dei à lin. 6 vbi dicitur: *Y como eſta dignidad de Madre del Verbo era la mayor, y principio, y fundamento de todas las excelencias de eſta Gran Señora, &c.* Idem conſtat ex ſecunda part. nu 578. à lin. 1 vbi dicitur: *Entre las excelencias mas raras, y beneficios de Maria Puriſsima, el primero es, ſer Madre de Dios, que fue el fundamento de todas. El ſegundo, ſer concebida ſin pecado. El tercero, gozar en eſta vida muchas vezes la Viſion Beatifica de paſſo, &c.* Conſonat eàdem ſecunda parte num. 1508. à lin. 10. vbi ait Sacratiſsima Virgo: *Mis prerogativas eſtavan encerradas en ſer Madre del miſmo Dios, y para eſto ſer llena de gracias, &c.* Idem legitur 3. part. num. 658. a lin. 12. vbi etiam loquitur Cœli Regina, & ait: *En eſta dignidad de hazerme Dios Madre ſuya, ſe contienen todas mis gracias, como en ſu origen, y principio a donde correſponden; por eſto el dia que me conocieron los hombres por Madre de Dios, conocieron implicitamente, y como en ſu cauſa las condiciones, que para tal excelencia me pertenecen, &c.*

Myſt Civ. Dei 1 *p.*

Ibid 2. *p.*

Eadem 2. *part.*

Ibid. 3. *p.*

705 Hoc ſemel ſtabilito, & ſic abundantèr ex eiſdem Libris Myſticæ Civitatis Dei comprobato, ſcilicèt, Divinæ Maternitatis donum ſupremum eſſe fundamentum, originem, & principium Privilegiorũ omnium, gratiarum, donorumque Sacratiſſimæ Uirgini conceſſorum; operæpretium erit, trãſcriptas ſententias cum doctrina in Articulo confixa componere & collationare. Verum nec terret difficultas, imò clariſsimè patet ex

Oo ip-

ipſo contextu, Venerabilem Abbatiſſam, aſſerentem, Deiparæ Privilegia in Divinam Maternitatem tanquam in originem refundi, expreſsè loqui de *ordine intentivo*; dum autem affirmat, Divinam Maternitatem ab Immaculata Conceptione pendère, non loqui de *ordine intentivo*, ſed de *ordine executivo*, ita vt in executione prius ſit eſſe ſine labe Conceptam, quam eſſe de facto & in executione Altiſsimi Matrem.

Ordo intẽtionis & executionis.

706 Doctrina propoſita apertè liquet num. 143. 1. part. Myſticæ Civitatis Dei à lin. 10. vbi dicit Venerabilis Author, *eſſe poſteriora in executione, quæ priora fuerunt in intentione*, eſtque vera & communiſsima Theologia: Hiſpana autem verba ſunt hæc: *Eſte es el orden, y armonia maravilloſa, con que todo lo diſpuſo la Divina Sabiduria, ſiendo poſtrero en la execucion, lo que fue primero en la intencion.*

Myſt. Civ. Dei, 1. p.

707 Idipſum ſuadetur ex ordine decretorum Dei in 1. part. ipſius Myſticę Civitatis expreſſo, num. 40. 41. & 42. vbi dicitur, primum Altiſsimi decretum in vnionem hypoſtaticam fuiſſe directum, deinde in electionem Matris Verbi humanandi, & deinde in condigna dona & Privilegia Almæ Parenti jam electæ conferenda: In intentione igitur non Divina Maternitas à Privilegijs, quinimò Privilegia à Divina Maternitate ducunt originem.

Ordo Decretorum.

708 Præterea, idipſum ab alijs numeris innumeris ejuſdem Myſticæ Civitatis Dei abundantiſsimè conſtare videtur. Legendi offeruntur 1. part. nu. 42. 43. 44. 45. 270. 274. 483. Et 2. part. num. 16. 20. 27. in fin. 140. 150. 151. 161. 162. 169. 413. 770. 781. Et 3. part. num. 655. 657. 658. quibus mirabili concordia ſcribit V. Author, quot dona & Privilegia erat cõſequens vt Altiſsimus conferret, cui elegerat in Matrem: dona ergo & privilegia collata ſunt Virgini propter Divinam Maternitatem, & non è contra, Divina Maternitas propter dona & privilegia, niſi ſolum in executione, vbi priora ſunt quæ poſteriora in intentione.

Myſt. Civ. Dei tribus in part.

709 Si igitur ſic ſunt omnia hæc, certè rogabis quomodo benè intelligendum, id quod aſſeritur in doctrina coniexa, ſcilicèt, omnia Privilegia, gratias, favores, prærogativas, & dona Sanctiſsimæ Mariæ collata, in illis incluſo Divinæ Maternitatis dono, pendère & originari ab eo, quod fuerit Immacula-

lata, & gratia plena in ſua Conceptione Puriſsima? Hoc opus, hic labor eſt, verum ſine moleſta laſsitudine vincendus, quoniã in contextu ejuſdem Operis ſine violentia ſuperatus apparet. Pendet & originatur Divinæ Maternitatis donum ab Immaculata Deiparæ Conceptione, modo quo & ipſi V. Abbatiſſæ fuit manifeſtum, *como à mi ſe me dàn à entender, &c.* Quomodo autem V. Authori manifeſtum eſt? Ipſa paucis lineis interjectis ſatis declarat in fine confixæ doctrinæ, ibi: *De manera que ſin eſte beneficio parecieran todos informes, y mancos, ò como vn ſumptuoſo edificio ſin fundamento ſolido, y proporcionado*; & idiomatè latino: *Talitèr vt ſine hoc beneficio, omnia viderentur informia, aut veluti ſumptuoſum Ædificium abſque ſolido & proportionato fundamento*: Sic igitur pendet Divina Maternitas ab Immaculata Deiparæ Conceptione, ſicut ſumptuoſum Ædificium à proportionato fundamento; ſed nullus dicet, ſumptuoſum Ædificium pendere in intentione, & ſic originari à fundamento, dum non ædificiũ propter fundamentum, ſed fundamentum propter ædificium in intentione decernitur: ergo ſicut ſumptuoſum ædificium ſolum in executione pendet à fundamento proportionato, ſic Divina Maternitas non in intentione ſed in executione poſtulat fundamentum ſolidum & proportionatum Immaculatæ Conceptionis electæ & prælectæ Matris Altiſsimi.

Context. Operis.

Arg à ſim.

710 Præterea, & Fide noſtra conſtantèr profitemur, SS. Virginem Mariam eſſe Matrem Dei, & ex hac veritate catholica diſcurrimus, vel piè rationabilitèr aſſentimur nonnullis revelationibus privatis contextantibus fore ſine labe conceptam; ita vt non profiteamur eſſe Matrem Dei, quoniam ſine labe originali conceptam; ſed potiùs ſic eſſe Immaculatam, quoniam decet Divinæ Maternitati hujuſmodi privilegium. Nec ſic à Divina Hiſtoria Myſticæ Civitatis Dei ſecernimur, & deviamur, vbi perſæpè legimus repetitum, quot dona & privilegia eſſet conſequens vt Altiſsimus conferret, cui elegerat in Matrem; & certè non foret conſequens, ſi in intentione Maternitatis donum ab aliquo privilegio penderet. Hiſpana verba aiunt ſic, 2. part num. 1515. à lin. 12. *Si à ſola Maria Santiſsima ſe diò el Señor à ſi miſmo, con tan eſpecial modo, como hazerſe hijo de ſu ſuſtancia; conſiguiente era en el orden de gracia hazer con ella ſingularmente lo que con ningun otro, ni con todo el linaje humano ſe de-*

Rat. rob.

Myſt Civ. *Dei* 2. *p.*

via hazer, ni convenia, &c. Ubi notanda ſunt verba, *conſiguiente era*, latinè, *conſequens erat*, & certè conſequens non foret, ſi in intentivo decreto, à privilegio Conceptionis Immaculatæ penderet Divina Maternitas. Idipſum alijs & in locis ejuſdem Myſticæ Civitatis Dei, vel eiſdem, vel parum diverſis vocibus continetur, circa quod numeri ſupracitati recollantur.

Legitim. ſenſ. 711 Liquet ex dictis legitimus ſenſus U. Abbatiſſæ in doctrina confixa, & paritèr enervatur Pariſienſium Cenſura, cum juxta ſupra relata, Divina Maternitas non pendeat à ſingulari privilegio Conceptionis Immaculatæ, niſi ordine executionis, & adhuc in ipſo executionis ordine non dicitur abſolutè pendère, niſi ſicut ſumptuoſum ædificium à ſolido & proportionato fundamento. Cæterum, nec abſolutè dicitur, *ſicut ſumptuoſum ædificium à fundamento*, ſed modificativè, *à ſolido & proportionato fundamento.* Etenim quanquam ædificium abſolutè pendeat in executione à fundamento, attamen ſumptuoſum ædificium ſolum quoad modum pendet à proportionato fundamento. Eſt igitur genuina ſimilitudinis accommodatio: ſicut inter ſumptuoſum ædificium & minus ſolidum ſivè improportionatum fundamentum, non foret diſcreta proportio, nec rationalis cõſonantia: ſic inter ſupremam & puriſsimam dignitatem Divinæ Maternitatis, & Conceptionem Maculatam, non videretur rationabilis conſonantia, dum dignitas nitidiſsima in perſona aliquando ſordida reciperetur. Mirabili proprietate punctum attegit S. Anſelmus lib. de Concept. Virg. cap. 6. his verbis: *S. Anſel.* *Adhuc propone tibi Palatium, &c. Pateretur ne vel Artifex, vel Dominus domus in principio Palatij fieri fundamentum invalidum? Si fundamentum illius* (loquitur de SS. Virgine) *ſcilicèt initium, ſeù primordium formationis Beatæ Mariæ, corruptum fuit, ipſi certè ſtructuræ non congruebat, nec cohærebat, &c.* nihil propriùs aſſumpto.

Myſt Civ. Dei, 1. p. 712 Adeſt alia dictorum efficaciſsima confirmatio 1. part. Myſticæ Civitatis Dei num. 192. vbi dicitur: *Justo es, y devido, que la Divinidad de bondad infinita ſe depoſite, y encubra en materia puriſsima, limpia, y nunca manchada con la culpa. El Verbo que ſe ha de humanar, ſiendo Redemptor, y Maeſtro de los hombres ha de fundar la ley perfectiſsima de la gracia, y enſeñar en ella à obedecer, y honrar al padre, y à la madre, como à cauſas ſegundas de ſu*

ſer

ſer natural. Eſta ley ſe ha de executar primero, honrando el Verbo Divino à la que ha elegido por Madre ſuya, honrandola, y dignificandola con brazo poderoſo, y previniendola con lo mas admirable, mas ſanto, mas excelente de todas las gracias, y dones. Y entre ellos ſerà la honrra, y beneficio mas ſingular no ſujetarla à nueſtros enemigos, ni à ſu malicia, (loquuntur Divinæ Perſonæ) *y aſsi ha de ſer libre de la muerte de la culpa.* Conſonat in primis hujuſmodi doctrina S. Methodio, de quo jam ſupra nu. *636.* & *638.* Præterea, notanda ſunt illa verba, *honorans Divinum Verbum, quam elegerat in Matrem, &c.* quæ Hiſpanicè: *Honrando el Verbo Divino à la que ha elegido por Madre ſuya, &c.* Juxta ergo legitimam & pluſquam ſatis V. Abbatiſſæ comprobatam intelligentiam, prius in intentione SS. Virgo Maria electa eſt in Altiſsimi Matrem, quam fuerit decretum ejuſdem Immaculatæ Conceptionis privilegium: donum ergo ſupremum divinæ Maternitatis in intentione, juxta V. Authoris legitimum ſenſum, non pendet à Conceptionis privilegio: quoad hoc igitur evacuata eſt Cenſurarum difficultas. *S. Methodius.*

713 Quoniam autem Cenſorum formalitas in eo apprimè ſita eſt, quod exiſtiment, juxta doctrinam confixam, Myſterium Fidei Divinæ Maternitatis pendère à Myſterio quod non eſt de fide ſcilicèt ab Immaculatæ Conceptionis privilegio, in ſequenti ſuper hoc puncto verſabitur argumentum.

§. III.

NONNULLIS AUTHORITATIBUS, Cenſura redarguitur utriuſque Libelli.

714 Ait V. Abbatiſſa: *Omnia Privilegia, gratias, prærogativas, favores, & dona SS. Mariæ conceſſa, in illis incluſo Divinæ Maternitatis dono, ſecundùm & quomodo ipſi manifeſtata ſunt, omnia pendere & originari ab eo, quod fuerit immaculata, & gratia plena in ſua Conceptione Purìſsima; taliter ut ſine hoc beneficio, omnia viderentur informia, aut veluti ſumptuoſum ædificium abſque proportionato fundamento, &c.* Cenſura autem veſtra, ò Sorbonici, ait ſic: *Hæc Doctrina, quæ dogmata de SS.* *Reſum. Prop. & Cenſ.*

Vir-

Virgine ad Fidem Catholicam pertinentia, pendere facit à Sententiâ, quæ de Fide Catholica non eſt: Falſa eſt, temeraria, & Fidem in Concilijs ſtabilitam infirmans. Tota igitur formalitas Cenſuræ veſtræ ſiſtit in eo, quod Myſterium de fide pendère faciat V. Author à Myſterio quod de Fide non eſt. In primis falſum invenimus, quod V. Author pendère faciat Myſterium Maternitatis à Myſterio Conceptionis in ſenſu abſoluto, niſi ad ſummum ordine executivo, & non quoad eſſentiale, ſed ſolum quoad decentiam, decorem, ornatum, & pulchritudinem. Hoc liquet ex cõtextu, & ex ſimilitudine ibi reperta, de ſumptuoſo ædificio abſque proportionato fundamento. Verum ſi hoc velitis dependendentiam Maternitatis ab Immaculata Conceptione vocari, authoritates ſequentes recolamus.

Eccleſia in Offic. Concep. pro Ord. Minorum.

715 Sit principalitèr authoritas Eccleſiæ Catholicæ, in Officio proprio de Immaculata Uirginis Conceptione, ſic deprecantis: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparaſti, quæſumus, &c.* Ex qua ſic: Per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio Dei habitaculum præparatum eſt: ergo abſque Immaculata Virginis Conceptione, non ſic dignum Filio Dei habitaculum præparatum foret: ergo ſic dignum habitaculum Filij Dei aliqualitèr & in executione ab Immaculata Virginis Conceptione dependet; ſed dignum habitaculum Filij Dei in SS. Uirgine inducit dignitatem Divinæ Maternitatis: ergo ſi habitaculum hoc digne præparatum eſt per Immaculatam Virginis Conceptionem ex Eccleſiæ teſtimonio, abſque hoc ſingulari privilegio non ſic digna foret Sacratiſsima Uirgo tali dono ſupremo Divinæ Maternitatis; ſed hoc idem eſt, quod aſſerit V. Author in doctrina confixa, ad proprium originale reſtituta: Ergo, &c.

S. Anſelmus.

716 S. Anſelmus ſupra relatus num. 695. *Et certè vt ad hanc excellentiam pervenires, in humilimo loco, id eſt, in vtero Matris tuæ Puriſsima orireberis.* Nunc attende. *Quod ſi tali modo concepta, & ordinata non fuiſſes, ad tantam celſitudinem non ſuccreviſſes.* Ex hoc arguitur: Non perveniret SS. Virgo ad tantam celſitudinem Divinæ Maternitatis, (loquor verbis tanti Doctoris) ſi tali modo concepta & ordinata non foret; ſed ex hoc inducitur in executione dependentia celſitudinis Divinæ Maternitatis a tali modo Puriſsimæ Conceptionis: ergo cum non abſolutè, ſed eo-

dem

dem modo loquatur V. Abbatiſſa, quomodo libera maneat à Cenſura Anſelmi ſententia, libera videbitur Authoris doctrina.

717 Angelicus Doctor 3. part. quæſt. 27. art. 4. in corp. ait ſic: *Reſpondeo dicendum, quod illos quos Deus ad aliquid elegit, ita præparat & diſponit, vt ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei.* Et paulò poſt: *Non autem Beata Virgo fuiſſet idonea Mater Dei, ſi peccaſſet aliquando: tùm quia honor parentum redundat in prolem, ſecundum illud Prov. 17. Gloria filiorum, patres eorum: vnde & per oppoſitum ignominia Matris ad Filium redundaſſet, &c.* Ex hac valdè æſtimabili authoritate efformatum conſpicimus argumentum; etenim quidquid Angelicus Magiſter ait de peccato actuali, idipſum ait V. Abbatiſſa de peccato Originali, pro portione ſervata. Digna non foret SS. Virgo vt eſſet Mater Dei ſi aliquando peccaſſet: ergo Divina Maternitas digne recepta, vel digne receptibilis, pendet à carentia peccati actualis juxta mentem expreſſam Angelici Doctoris; ſed etiam per carentiam peccati originalis dignum eſt præparatum habitaculum Filio Dei, de quo ſupra num. 715. Ergo, &c. *Angelic. Doctor.* *Prov. 17.*

718 Conſonat Angelicus Doctor Magno Parenti Auguſtino lib. de Natura & gratia contra Pelagianos cap. 36. vbi ait: *Cum de peccatis agitur, de SS. Virgine Maria, propter honorem domini, nullam prorſus habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Ex quo ſimilitèr efformatur argumentum ſicut ſupra: & notanda ſunt verba, *propter honorem Domini, &c.* *S. Auguſt.*

719 S. Agobardus (ſancti titulo inſignitus in Opere Parthenico de ſupereximia & omnimoda puritate Matris Dei R. P. Ioannis Euſebij Nierembergij cap. 12. fol. 162. col. 1. in fine) Serm de Trinitate, ait: *Miſit Filium ſuum Dominus Verbum, vt caro fieret, id eſt, homo verus, & habitaret in nobis, id eſt, in humanitate perfecta, quam ſumpſit pro nobis, ex nobis, id eſt, ex Sancta Virgine, ad hoc præparata & cuſtodita, &c.* Præparata igitur & cuſtodita fatetur SS. Virgo, vt ex ipſa Verbum caro fieret; ſed hoc ipſum eſt, quod ait V. Abbatiſſa: Ergo, &c. *S. Agobardus.*

720 Præterea, ne ſicut in Concert. antecedenti, pluſquam opus eſt, authoritates Sanctorum PP. multiplicemus, ad relatum Euſebiũ, lectoré mittimus, vbi inveniet prop. iſtã: *Maternitas Dei* *Euſebius Nierẽber. In Op. Parthen. c. 5. fol. 112.*

exi-

exigebat immunitatem ab Originali labe, vt diſpoſitionem præviam, validiſsimis rationibus, & authoritatibus roboratam.

721 Quoniam autem præcipua Cenſorum vis, in eo ſita videtur, quod Myſterium de fide, à Myſterio quod de fide non eſt pendère faciat U. Author, rogamus vt dicant nobis, ſi Doctor Angelicus in hac propoſitione: *Adamo non peccante Verbum caro non fieret*, pendère faciat Myſterium de Fide à propoſitione quæ de fide non eſt? Certè non, ſed tenebuntur affirmare, Myſterium de Fide non pendère ab opinione probabili. Myſterium quippè de fide conſtantèr creditur proptèr authoritatem Dei revelantis; & ſalva Fide Myſterij, ex alia parte inducitur opinio probabilis, non motivo Fidei, ſed alio motivo. Hoc ipſum patet alijs exemplaribus. De Fide eſt, creaturam eſſe liberam: quomodo autem creatura ſit libera? Hoc non attinet ad Fidem, ſed ad diſputationẽ Theologicã: quidã quidem affirmant, creaturam non eſſe liberam ſine phyſica præmotione, alij autẽ id negant, quin ex hoc nec vna, nec altera ſententia pendère faciat Myſterium Fidei ab opinione probabili. Similitèr de Fide eſt, Deũ eſſe liberũ: Pſal. 93. v. 1. *Deus vltionũ Dominus: Deus vltionũ liberè egit*. Per quid autẽ Deus ſit liber: vel per quid formalitèr conſtituatur actus liber Dei? Hoc non ad Fidem, ſed ad Scholas attinet: vnuſquiſque ſuo ſenſu abundat abſque læſione Fidei: nùm ex hoc pendère faciunt ab opinione Myſteriũ Fidei? Abſit hoc. In Myſterio Fidei conveniunt Scholæ Catholicæ; in eo vero quod nõ eſt de Fide, datur locus opinionibus, quin Myſteria Fidei ab opinionibus dependeant. Præterea, credidit conſtantèr V. Abbatiſſa, ſicut & nos catholicè fatemur, SS. Virginẽ eſſe Matrẽ Dei: hoc credidit & credimus ex relato Fidei Catholicæ motivo; hoc tamen poſito, ipſa V. Author potuit ex motivo divinæ revelationis particularis ſibi factæ conſtantèr credere, quod SS. Virgo nõ eſſet de facto & in executione digna Mater Dei, ſi prius nõ foret immaculatè concepta. Dicant nobis periti Cenſores, ex quo capite totũ hoc repugnet? Ipſi quidem non foret opinabile, quod ſibi revelatum, & tanquam a Deo revelatum ſufficientèr ſibi propoſitum, de quo jam ſupra à num. 357. Nobis autem & reſpectu noſtri, quod revelatum eſt V. Abbatiſſæ non eſt de Fide, nec apud nos pendet Myſterium Fidei à propoſitione quæ non eſt de Fide, de quo ſimilitèr egimus ſupra à num.

Angelic. Doctor.

Motivum Fidei.

Sup num. 357.

num. 362. Alijs ſatis validis exemplaribus redargui valent Cenſores, in *Cenſura Cenſuræ*, alibi citata, videndis ſuper hoc Articulo.

722 Cœterum CenſurarumNotas ad memoriam revocantes, reflectamus ſuper illas: ſunt enim ſic: *Hæc doctrina, quæ dogmata fidei de SS. Virgine pendère facit à ſententia quæ de fide catholica non eſt: Falſa eſt, temeraria, & Fidem in Concilijs ſtabilitam infirmans.* Nec falſum eſt, SS. Virginem eſſe Matrem Dei, nec eſſe ſine labe conceptam; ſed V. Author ſolummodo ſuperaddit, Conceptionem ſine labe fuiſſe diſpoſitionem præviam ad Divinam Maternitatem digne recipiendam: ergo ſi hoc falſum non eſt, nihil in propoſitione confixa falſum eſt, nec temerarium, nec fidem Conciliorum infirmans. Conſtabat, SS. Virginem eſſe Matrem Dei; conſtabat itidem nullum habuiſſe peccatum; venit Angelicus Doctor, & vnum ordinavit in aliud: hoc fuit falſum, temerarium, aut fidem Conciliorum infirmans? Conſtat ſimilitèr SS. Virginem eſſe Matrem Dei; piè itidem fatemur eſſe ſine labe conceptam; venit V. Author, & Cœleſti lumine perfuſſa, vt piè credimus, vnum ordinat in aliud. Quid inde? Vbi eſt falſitas? Vbi temeritas? Vbi doctrina Fidem Conciliorum infirmans? *Quos Deus ad aliquid elegit, præparat & diſponit, vt ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei*: Si igitur Puriſsimã Virginem ad ſupremam dignitatem Divinæ Maternitatis elegit: diſpoſuit ergo ipſam, vt ad Divinam Maternitatem recipiendam inveniretur idonea: Contulit ergo ipſi gratiam ſaltem aliquam, vt diſpoſitionem præviam, vt tàm ſingulare donum, ad quod electa erat, digne reciperet: de hac igitur gratia præviè recepta, neceſſario eſt fatendum, ab ipſa in executione pendère Divinam Maternitatem, tanquam ædificium à fundamento proportionato, vel proportionante & diſponente ſubjectum. Nunc ſic: Ergo ſi ſemel fatemur, SS. Virgem eſſe ſine labe cõceptam, quid mirum quod inde fateamur, hoc idem privilegiũ, Reginam creaturarũ ab alijs creaturis ſecernens, fuiſſe diſpoſitionem præviam ad Divinam Maternitatem dignè recipiendam?

Arg. à ſim.

Angel. D. ſupr.

723 Præterea, idipſũ roboratũ videtur ex Cenſorũ ſentẽtia, libentèr profitentium, omnes gratias in SS. Virgine receptas ad Divinam Maternitatem ordinari: nùm quod omnibus Mariæ

Rob. inſt. ex Cenſ.

riæ gratijs conceditur, originali juſtitiæ denegabitur? Ordinabitur ergo juſtitia originalis in Deipara ad Divinam Maternitatem; ſed non alio modo ordinabilem diſcurrimus, niſi quatenùs ex hoc privilegio dignè diſponitur SS. Virgo ad Divinã Maternitatem, & vt Divina Maternitas, tanquam ſumptuoſum ædificium conſonet fundamento, & fundamentum ædificio: ergo, &c. Præterea, quanquam & nos ſola pietate ducti abſque
Aug. arg. revelatione V. Authoris, relatum diſcurrendi modum ſequeremur, ſcilicèt, dato quod SS. Virgo ſit ſine labe concepta, hoc ei conceſum eſſe, vt per Immaculatam ipſius Conceptionem dignum Filio ſuo fieret habitaculum, certè nec falsè, nec temerariè, nec fidem Conciliorum infirmantes idipſum opinaremur: ſi ergo falſum, temetarium, & fidem Conciliorum infirmans non eſt, V. Abbatiſſam dicere, id ſibi eſſe revelatum; quod ex parte rei non repugnat; vbi ſit temeritas, aut falſitas penitùs ignoramus. Valdè inſuper ſcire cupimus, qualis ſit fides in Concilijs ſtabilita, & ex relata doctrina ſic infirmata? Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. Decret. de peccato originali, circa finem ait ſic: *Declarat tamen hæc ipſa Sancta Synodus, non eſſe ſuæ*
Concil. Trident. *intentionis comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat.* Nunquid doctrina hæc Sac. Concilij Tridentini, ex relata V. Abbatiſſæ doctrina gravitèr vel levitèr infirmatur? Vel ex hac Tridentini authoritate, falſa redditur Authoris doctrina?

ARTIC. XII.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

724 PAg. 325. num. 290. *Charitas illa erga Eccleſiam Militantem magis eluxit in nocte, qua perfuſſa eſt Eccleſia Chriſto mortuo, per adminiſtrationem, quam habuit Regina illa initio Legis Evangelicæ, & per affectum ferventem, quo petyt, vt hæc Lex, & Sacramenta ejus ſtabilirentur, cooperans omnibus.*

CEN-

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

725 HÆC *propoſitio falſa eſt, temeraria, & erronea.*

CENSVRA SVPPOSITITIA.

726 HÆc *propoſitio, quæ tribuit Sanctiſsimæ Virgini Regimen Eccleſiæ, falſa eſt, temeraria, & erronea.* Eſt in Libello Cenſuræ Suppoſititiæ Articulus 8.

CONCERT. XIII.

SVPER PROPOSITIONEM CONFIxam in hoc Articulo 12.

727 VIDENDA. 1. Diſcordia inter Verſionem Gallicam & exemplar Hiſpanicum, cum originali textu collatum. 2. Mens legitima V. Abbatiſſæ in propoſitione confixa. 3. Conſonantia mirabilis Myſticæ Civitatis Dei, SS. PP. doctrinis. 4. Principaliora vitia vtriuſque Cenſuræ. Incipiens à primo, ſic. *Examinãda.*

§. I.

EXAMINATVR DISCORDIA INTER Traductionem Gallicam & exemplar Matritenſe cum Originali textu collatum.

728 LIttera textus originalis, juxta relatum exemplar: *Y luziò mas eſte amor de Maria Santiſsima, en la noche, que cubriò la Igleſia con la muerte de ſu Hijo Santiſsimo, y en el Magiſterio, que tuvo eſta Gran Reyna en los principios de la Ley Evangelica, y en el afecto con que pidiò ſu eſtablecimiento, y de ſus Sacramentos; cooperando à todo (como en ſus lugares dirè) con el ardentiſsimo amor, que tuvo à la ſalud humana.* *Text. Orig.*

729 Verſio ex Hiſpano in latinum: *Et magis eluxit amor*

Verſ ex Hiſpan. in latin. *hic in nocte illa, quæ ejuſdem dilectiſsimi Filij ſui morte contexit Eccleſiam, & in Magiſterio, quod in initijs Evangelicæ Legis habuit hæc magna Regina, in affectuque, quo ſtabilitatem ejuſdem Legis Evangelicæ, ejuſque Sacramentorum poſtulavit, cooperans omnibus (prout dicam ſuis in locis) ardentiſsimo amore quem habuit erga ſalutem humanam.*

Verſ. ex Gallic. in lat. 730 Verſio Gallica, prout in Articulo Cenſuræ: *Charitas illa erga Eccleſiam Militantem magis eluxit in nocte, qua perfuſſa eſt Eccleſia Chriſto mortuo, per adminiſtrationem, quam habuit Regina illa initio Legis Evangelicæ, & per affectum ferventem, quo petijt vt hæc lex & Sacramenta ejus ſtabiliretur, cooperans omnibus.*

Diſcordia 731 Diſcordia clareſcit ex faciali comparatione Verſionis Gallicæ cum Hiſpanico textu. In primis, verbum illud Hiſpanicum, *la noche que cubriò la Igleſia*, haud propriori ſignificato vertitur in latinum illis verbis, *in nocte qua perfuſſa eſt Eccl.ſia*; verba ſiquidem ſignificatum proprium attingentia ſunt, *Cooperio, Tego, Obtego, Obduco, Velo,* vt dicitur in Theſauro Hiſpano-latino vtriuſque linguæ, verbo, *Cubrir*, vbi, *cubrirſe el Cielo de nubes,* latinè vertitur, *Cœlum nubibus obduci, obſcurari, &c.* Uerum nec in hoc principalior invenitur diſcordia, quinimò cognoſcimus, ſimili phraſi latinos perilluſtres vti conſueviſſe, v.g. *Nubes luce perſuſſa, &c.* Subſtantialitèr major illa diſcordia videtur, qua loco verbi Hiſpanici: *En el magiſterio que tuvo eſta Reyna en los principios de la Ley Evangelica,* Traductor vice *Magiſterij*, vertit, *Per adminiſtrationem, quam habuit Regina illa initio Legis Evangelicæ.* Aliud quidem eſt *Magiſterium in Eccleſia*, & aliud, *Adminiſtratio in Eccleſia.* Etenim, *Magiſterium* ſalvatur in conſilijs, & in directionibus ſanctis; *Adminiſtratio* autē plus ſignificare videtur, quam *Magiſterium*, vt ex terminis liquet. Prę̨terea, *Magiſterium* ſalvatur in pura doctrina; *Adminiſtratio* verò indicat quaſi diſpoſitionem authoritativam ex munere, & ex Officio, quod certè non obtinuit in Eccleſia Regina Cœleſtis. Subſtantialitèr igitur Interpres his in vocibus abherravit, & punctum ſignificati proprij non attegit. Præterea, in illis vocibus, *per affectum ferventem*, addidit, *ferventem*, in Originali non repertum, quanquam ibi ſubintellectum.

Alia diſcord. 732 Præterea, in illis vltimis vocibus, *cooperans omnibus,* truncatam clauſulam reliquerunt Cenſores, alios terminos omit-

omittentes ſub paienthesi concluſos, ſcilicèt (*como en ſus lugares diré*) latinè (vt dicant ſuis in locis) quibus ad alias propoſitiones, relatam Mariæ cooperationem exponentes, lector dirigitur; & poſtmodum, ſubſequentes immediatè, ſimilitèr omiſerunt, videlicet, *cooperando a todo con el ardentiſsimo amor que tuvo à la ſalud humana*, latinè, *cooperans omnibus ardentiſsimo erga ſalutem humanam amore.* Hæc omnia omiſerunt Cenſores, quæ ad ſolvendas nonnullas difficultates occurrentes prodeſſe poterant.

733 Ne autem audita *cooperationis* voce in SS. Virgine, ſenſuque non percepto, inciperet aliquis dubitare, ſciens Chriſtum ſolummodo fuiſſe Redemptorem; ad alias ejuſdem Operis propoſitiones, vbi modus *cooperationis* expreſsione Catholica demonſtratur, ſe refert V. Abbatiſſa, illis vocibus ſub parenthesi (*como en ſus lugares diré*) Videndæ offeruntur 2. part. num. 151. 956. 957 poſt medium. 991. in fine 1127. circa finem, quibus in locis abſque offenſione Vnici Redemptoris cooperationes SS. Virginis explicantur. Cœterum ſimilitèr abſque læſione Vnici Capitis Eccleſiæ Catholicæ, ejuſdem Virginis cooperationes intelligendæ redduntur ex numeris tranſcribendis §. ſequenti. *Myſt. Civ. Dei.*

§. II.

LEGITIMA V. AVTHORIS EXPETItur intelligentia, & Cenſurarum evertitur præcipua difficultas.

734 SAcratiſsimam Virginem, juxta mentem legitimam V. Abbatiſſæ, non fuiſſe Caput Eccleſiæ, quinimò Principem Apoſtolorum, vt Supremum Caput totius Eccleſiæ Catholicæ, Vicariumque Ieſu Chriſti cognoviſſe, & obſervaſſe; ita certum eſt, & compertum in Libris Myſticæ Civitatis Dei, vt innumera ſint loca in tribus Partibus, ſivè Tomis ejuſdem Operis, quibus idipſum demonſtrari valeat: eorum aliqua referam. Et quidem incipiens: Prima part. num. 545. à lin. 7. ait: *Y aunque Maria Santiſsima obedecia à los Apoſtoles en las coſas* *Myſt. Civ. Dei 1. p.*

par-

particulares; y preguntava, eſpecialmente à San Pedro, como Vicario de Chriſto, y Cabeza; y à San Juan, como à ſu Capellan; pero juntamente la conſultavan, y obedecian ellos, &c.

Ibid. alio num. 735 Et eadem 1. part. num. 560. à lin. 9. *En la reverencia de los Sacerdotes fue admirable Maria Santiſsima, como quien ſola ſupo, y pudo darle el valor à la Dignidad de los Chriſtos del Señor, &c.*

Ibid. 2. p. 736 Et 2. part. num. 1081. à lin. 1. *En eſtos favores, y Sacramentos fueron ſeñalados San Pedro, y San Juan; San Pedro, porque avia de ſer Vicario de Chriſto, y Cabeza de la Igleſia Militante, y por excelencia prevenida del Señor, amava ſu Madre Santiſsima à San Pedro, y le reverenciava con eſpecial reſpeto, &c.*

Part. 2. 737 Et eadem 2. part. num. 1458. à lin. 1 loquens de pœnitentia Divi Petri, inquit: *La Prudentiſsima Virgen, viendo à Pedro poſtrado en tierra, y conſiderandole por vna parte penitente de ſu reciente culpa, y por otra, Cabeza de la Igleſia, elegido por ſu Hijo Santiſsimo, para Vicario ſuyo, no le pareciò conveniente poſtrarſe ella à los Pies del Paſtor, que tan poco antes avia negado à ſu Maeſtro, ni ſufria tampoco ſu humildad dexar de darle la reverencia, que ſe le devia por el Oficio, &c.*

Eadem 2. part. 738 Et eadem 2. part. 1499. à lin. 14. inquit: *Y fuera de eſta peticion general que hizo Maria Santiſsima por todos los mortales, la hizo particular por los Apoſtoles, y entre ellos ſeñaladamente por San Juan, y San Pedro; porque al vno tenia por hijo, y al otro por Cabeza de la Igleſia, &c.*

Part. 3. 739 Et 3. part. num. 50. à lin. 1. *Todos los dias, por la mañana, y tarde, iva Maria Santiſsima à pedir la bendicion â los Apoſtoles. Primero à San Pedro, como Cabeza, luego à San Juan, &c.*

Ead. 3. p. 740 Et eadem 3. part. num. 52. à lin. 15. ait: *Con ſu humilde, y profunda Sabiduria, conociò Maria Santiſsima, què convenia remitir aquella diligencia à San Pedro, para que començaſſe à exercer en la nueva Igleſia el Oficio de Pontifice, y Cabeza, como Vicario de Chriſto, ſu Autor, y Maeſtro, &c.*

Eadem 3. part. 741 Et eadem 3. part. num. 81. à lin. 20. inquit: *Obedeciò Maria Santiſsima a la Cabeza de la Igleſia, y Vicario de Chriſto San Pedro, &c.*

Ead. 3. p. 742 Et eadem 3. part. num. 82. à lin. 4. ait: *Y como aten-*

die-

dieron los nuevos Convertidos la obediencia que tenia Maria Santiſſima à San Pedro, ſe convirtieron à èl, &c.

743 Et eadem 3. part. num 98. in fine, referens orationem SS. Virginis, inquit ſic dixiſſe: *Pero inſpirad, Señor, en el corazon de Pedro, que es vueſtro Vicario, para que ordene lo que vos quereis, &c.* *Ibid.*

744 Et num. 99 ejuſdem 3. part. à lin. 20. inquit: *Entraron todos los Apoſtoles à la preſencia de la Gran Reyna, que los recibiò con la reverencia acoſtumbrada, pueſta de rodillas, y pidiendoles la bendicion: San Pedro, como Cabeza del Apoſtolado ſe la diò.* Et poſt ſeptem lineas ejuſdem numeri, rogante Petro, vt Sacratiſsima Virgo in ordine ad Baptiſmum converſorum quidquid Deo gratius foret ordinaſſet, reſpondit ipſa: *Señor, vos ſois Cabeza de la Igleſia, y Vicario de mi Hijo Santiſsimo en ella; y todo lo que en ſu nombre, por vos fuere ordenado, lo aprovarà ſu voluntad ſantiſsima, &c.* *Ibid.*

745 Et num. 136. ejuſdem 3. partis à lin. 15. orante Sacratiſsima Virgine pro fœlicitate & propagatione Eccleſiæ Catholicæ, inquit Filio: *Governad à vueſtro Vicario Pedro, para que èl governe con acierto las ovejas, que le aveis encomendado, &c.* *Ibid.*

746 Et num. 212. ejuſdem 3. partis, orante ſimilitèr Sacratiſsima Uirgine, ait ad Dominum: *Mirad à los nuevos hijos que tendrà vueſtra Igleſia en los futuros ſiglos; y dad vueſtro Divino Eſpiritu à Pedro vueſtro Vicario, y à los demas Apoſtoles, para que acierten à diſponer en orden conveniente las verdades, en que ha de eſtrivar vueſtra Igleſia, &c.* *Ibid.*

747 Et num. 218 ejuſdem 3. part. à lin. 19. ait: *Para mayor confirmacion, y exemplo de ſus Fieles, ſe puſo de rodillas la Prudentiſsima Maeſtra à los pies de San Pedro, y proteſtò la Santa Fè Catolica, como ſe contiene en el Symbolo, &c. Besò la mano al Vicario de Chriſto, &c.* *Ibid.*

748 Et eadem 3. part. num. 378. à lin. 10 *Y todo lo prevenia la prudentiſsima Señora, pues era tan oficioſa, y atenta al conſuelo, y acierto de los Apoſtoles, y mas de San Pedro, &c.* *Ead. 3 p.*

749 Et num 405. ejuſdem 3 part. à lin 11. orante SS. Virgine pro libertate Petri, ait: *Señor Dios verdadero, y Hijo mio, vos ſabeis la tribulacion de vueſtra Santa Igleſia, y ſus clamores llegaron à vueſtros oidos, y penetran lo intimo de mi afligido* *Ead. 3. p.*

co-

coraçon. A ſu Paſtor, y vueſtro Vicario quieren quitar la vida. Et paucis interpoſitis iterum dicit: *Defended à vueſtro Vicario, &c.*

Ibid. 750 Et num. 459. à lin. 17. ait: *Venerando Maria Santiſsima al Vicario de Chriſto, ſe puſſo de rodillas, y besò la carta, &c.*

Ead. 3. p. 751 Et num. 472. ejuſdem 3. part. à lin. 18 inquit: *Sabìa Maria Santiſsima, como Maeſtra de las virtudes, el orden que ſe ha de guardar en ellas, y aſsi determinò anteponer la obediencia del Vicario de Chriſto à ſu propria devocion, &c.*

Ibid. 752 Et num. 569. ejuſdem 3. part. à lin. 1. ait: *Pero como San Pedro era Vicario de Chriſto, y Cabeza de la Igleſia, procediò con èl diferentemente Maria Santiſsima, y deſcendiò del Trono de Mageſtad, en que iba la Gran Reyna, y le reſpetò como Viadora, y que vivia en la miſma Igleſia en carne mortal, &c.* Ad idem videantur num. 570. per totum. Et num. 574. circa finem; ambo ſunt 3. partis.

753 Habemus igitur ſatis, & pluſquam ſatis comprobatum, SS. Virginem, juxta mentem V. Abbatiſſæ non fuiſſe caput Eccleſiæ, modo authoritativo in ordine ad ejus regimen, quinimò ſemper vixiſſe eidem Supremo Capiti ſubjectam, & Vicario Jeſu-Chriſti Filij ſui reverentem & obſequioſam.

Myſt. Civ. Dei tribus in part. 754 Reſtat ergo ex ipſis Myſticæ Civitatis Dei mirabilibus libris ſimilitèr oſtendere, SS. Virginem in Eccleſia Sancta, præcipuè poſt mortem dilectiſsimi Filij ſui, erga Apoſtolos exercuiſſe Magiſterium. Ad hoc itaque offeruntur videndi ſequentes numeri marginales 1. p. 545. 552. 560. Quibus dicitur, *Nonnunquam Apoſtolos obediſſe Cœleſti Reginæ.* Præterea, eadem 1. part. num. 419. vocatur *Magiſtra ſolidæ virtutis.* Nu. 422. & 463. *Magiſtra omnium creaturarum.* Num. 562. *Magiſtra totius ſanctitatis.* Num. 577. *Magiſtra totius perfectionis.* Num. 795. *Magiſtra divinæ ſapientiæ.* Num. 635. & 510. *Mater & Magiſtra Eccleſiæ Catholicæ.* Et 2. part. ejuſdem Myſticæ Civitatis Dei numer. 1501. Et num. 1524. vocatur, *Mater & Magiſtra Eccleſiæ Sanctæ.* Num. 221. & 868. *Magiſtra divinæ Sapientiæ.* Num. 234. & 430. *Magiſtra Virtutum.* Num. 250. 366. 315. 592. *Magiſtra totius Sanctitatis & perfectionis.* Num. 306. *Magiſtra humilitatis.* Num. 713. *Magiſtra conſummata, & Imago viva totius doctrinæ Jeſu Chriſti.* Num. 722. *Univerſalis Magiſtra creaturarum.* Num. 813. *Magiſtra doctrinæ fidei.* Num. 1028. *Mater & ſpiritualis*

Elogia varia SS. Virg.

Ma-

Magiſtra Diſcipulorum Chriſti Num. 1061. *Apoſtolorum Magiſtra circa virtutem humilitatis*. Num. 1310. *Magiſtra imitatorum Chriſti*. Et 3. part. num. 150. 158 319. 565. 566. 567. 572. vigilantia deſcribitur Sacratiſsimæ Virginis circa Apoſtolos Chriſti Domini, eorumque aſsiſtentiam. Num 151. 209. 3.6 . 565. 567. Conſilia Sacra referuntur, quibus eadem Sanctiſsima Virgo ſolabatur Apoſtolos in laboribus, eoſque dirigebat. Num 20. 47 48. 61 89. 206. Doctrinæ ſimiliter mentionantur, quibus nonnunquam Apoſtolos erudiebat. Præterea, eadem 3. part. num. 39 vocatur *Magiſtra, Protectrix, & Mater Legis Evangelicæ*. Num 366. *Magiſtra obedientiæ, & totius ſanctitatis*. Num 629 *Magiſtra militantis Eccleſiæ*. Cum igitur neutrum dubitari valeat, ſcilicèt, SS. Uirginem juxta mentem V. Abbatiſſæ nunquam authoritativè & ex officio exercuiſſe munus *Capitis Eccleſiæ*, habuiſſe vero docendi munus, & *Magiſterij Cæleſtis* exercitium ex perfecta charitate; reſpectu vtriuſque partis Sanctorum PP. & DD. requiramus conſonas doctrinas,

§. III.

MIRABILIS CONSONANTIA DOCtrinarum, inter V. Authorem & ſcripta SS. PP. & DD.

755 NOtata propoſitio, prout in Originali textu, ſic erat: *Amor Virginis magis eluxit in nocte, quæ obtexit Eccleſiam Dei in morte Sacratiſsimi Filij ſui, & in Magiſterio quod habuit hæc magna Regina initijs Evangelicæ Legis, &c.* Ipſa autem propoſitio, prout in Articulo Cenſuræ, ait ſic: *Charitas illa erga Eccleſiam Militantem magis eluxit in nocte, qua perfuſſa eſt Eccleſia, Chriſto mortuo, per Adminiſtrationem, quam habuit Regina illa initio Legis Evangelicæ, &c.* Vidimus ex Operis contextu, vacuatam fore Cenſorum difficultatem, quoniam loco vocis, *Magiſterij*, vocem, *Adminiſtrationis*, Deputati; Authores verò ſuppoſititiæ Cenſuræ terminum *Regiminis* ſubrogarunt; & ex vtraque voce *Adminiſtrationis* & *Regiminis*, eorum principalis conſurgebat difficultas, vt videri licet in ipſa Cenſura. Cum *Evac diff. Cenſ.*

igitur nec terminus *Adminiſtrationis*, nec vox *Regiminis* inveniatur in textu, inde dixi, evacuatam fore Cenſorum difficultatem; nam deſtructo fundamento, totum corruit Ædificium.

756 Verum, quoniã damnare non licet, quod alias ad catholicum ſenſum reducibile; & ea quæ in SS. Patrum ſcriptis nunc leguntur, ab Eccleſia Catholica indamnata conſpicimus, ideò ſequentibus authoritatibus examinabimus, an relatæ voces *Magiſterij*, *Adminiſtrationis*, & *Regiminis*, in SS. Virgine reſpectu Legis Gratiæ & Eccleſiæ Catholicæ in aliquo verò ſenſu adaptari valeant.

S. Hieronym. Cancellot. 757 Audiamus in primis Doctorum Eccleſiæ Maximum Catalog. Script. Eccleſ. in Luc. apud Cancellot. in Annalibus Marianis, ad annum Virginis 72. num. 32. in fine, vbi ait: *Evangelicam hanc Hiſtoriam in Epiſtolis Paulus non ſemel commemorat, & creditur de illa loqui, cum ſui meminit Evangelij, teſte Hieronymo, quia nimirum Lucas ejus potiſsimum ſuaſu, opus ediderit, tanquam multa edoctus de Chriſto ab ipſamet SS. Virgine Matre, cujus veluti amanuenſis, & à ſecretis fuiſſe merito dicitur. Itaque cum didiciſſet ab hac Magiſtra, pleraque divini Verbi in aſſumpta mortalitate Myſteria, jure nihilo minore quam Paulus poterat Diva Virgo Lucæ Evangelium appellare ſuum, quod nempè magna ex parte Sacro Myſterio communicaſſet, dicenti ſub ipſum operis exordium, ſe ex ordine fideliterque ſcripturum*, ſicut tradiderunt qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. Hanc ſententiam

Idiota. tentiam Sapiens Idiota ſecutus, dixit: *Beatus Lucas, Evangelij ſeriem à Virgine Maria didiciſſe traditur.* Plus hìc invenimus quam requirimus, cum revera SS. Uirgo, non vtcunque Magiſtra, ſed ſuo modo Evangelij Author contexetur.

S. I. Damaſcenus. 758 S. Ioannes Damaſcenus orat. 1. de dormit. Virg. *Mane nobiſcum Domina; mane noſtra in terris conſolatio: ne nos orphanos relinquas, Mater, pro tuo quotidie Filio periclitantes; in te requiem, & ærumnarum reſpirationem habemus.* Hìc liquet primitivorum fidelium, ex SS. Virginis præſentia poſt mortem ejuſdem dilectiſsimi Filij ſui, potentiſsima conſolatio, robur, munimen, & auxilium.

S. Ildephõſus. 759 S. Ildephonſus, Toletanus Antiſtes, Serm. 6. de Aſſumpt. B. Mariæ: *Datum hoc modeſtiæ Virginis, datum humilitati, cujus illa exemplum fuit; vt, quæ plurimum Eccleſiæ primordijs pro-*

profuit, exemplo, conſilio, precibus, & opera præſtita, vix paſſa ſit in Apoſtolorum hiſtoria recenſeri. Hìc multa liquent; primum ſcilicèt, quam plura SS. Virginis opera in Eccleſia primitiva manſiſſe ſub ſilentio, de quo jam ſupra, à num. 174. Secundum, comprobatio Magiſterij Cœleſtis Reginæ in Eccleſia primitiva, quantumque profuerit exemplo, conſilio, precibus, &c.

760 S. Antoninus de Florentia in Opuſc. Marian. & in Biblotheca Virginali tom. 2. fol. 519. col. 1. ſub lit. A. *Nulla enim creatura pura habuit tantam cognitionem de divinis rebus, & de pertinentibus ad ſalutem, ſicut ipſa, quæ Magiſtra ſuit Apoſtolorum & Evangeliſtarum, ad docendum eos de Myſterijs Chriſti, &c.* Liquet Magiſterium Sactatiſsimæ Virginis in Eccleſiæ primordijs, non vtcunque fidelium, quinimò & Apoſtolorum, & Evangeliſtarum. *S. Antoninus.*

761 Idem in eiſdem opuſculis apud Bibliothecam Virginalem, eodem tom. 2. fol. 699. col. 1. ſub lit. C. *Ipſa Virgo Maria cum firmitèr crederet reſurgentem, & ſciret Deum eſſe Omnipotentem, & ſolum in ea fides remanſiſſet, maniſeſtiſsimè, & gaudioſiſsimè ei apparuit. Deinde, quia aſcendente Chriſto remanſit Magiſtra Doctorum Eccleſiæ, Apoſtolorum, & Evangeliſtarum. Vnde dicitur Act.* 1. Hij omnes erant perſeverantes in oratione cum Maria Matre Jesv. *Converſabatur*, inquit Hieronymus, *poſt Filij Aſcenſionem cum Senatoribus Cœli in Schola virtutum, & ipſa de multis Myſterijs informavit Apoſtolos, & Evangeliſtas, &c.* Hic ſimilitèr amplius invenimus quam quæſivimus, dum vltra Magiſterium ſic abundantiſsimè comprobatum, fidem in ſola Virgine remanſiſſe, quod hìc nobis opus non erat, ex calamo tanti Doctoris audivimus. *Idem.* *S. Hieronym.*

762 Seraphicus Doctor, in Spec. B. Mariæ lect. 3. circa finem: *De hac Domina in Pſalmo dicitur.* Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ: *Ancilla Dominæ Mariæ eſt qualibet anima fidelis, imò etiam Eccleſia Vniverſalis: oculi hujus ancillæ in manibus Dominæ ſuæ ſemper debent eſſe.* Aliquo igitur ſenſu non falſo SS. Virgo Maria Domina eſt totius Eccleſiæ. Quod ſi Domina, & aliqualitèr Caput. *Seraphic. Doctor.*

763 S. Thomas à Villanova, Serm. 4. de Aſſumpt. *Erat quoque Eccleſiæ novellæ neceſsitas, quam ſuo Magiſterio ſtatuebat SS. Virgo: erat etiam Sanctorum, & fidelium omnium conſolatio, ad eã* *S. Thom. à Villanov.*

vndique confluentium, quos, veluti pullos ſub alis, ſua præſentia conſovebat. Magiſterium igitur Sacratiſsimæ Virginis Mariæ in primordijs Eccleſiæ, Chriſto mortuo, multimodis comprobatum eſt.

S. Birgitta 764 S Birgitta in ſuis revelationibus tom. 2. in Regul. Salvat. cap. 14 fol. 361. col. 1. circa med. ait ſic: *Abbatiſſa cùm conſilio Epiſcopi eligatur a Conventu, quæ ob reverentiam Beatiſsimæ Virginis Matris meæ* (loquitur Chriſtus) *cui hic Ordo dedicatus eſt, Caput, & Domina eſſe debet, quia ipſa Virgo, aſcendēte me in Cælos, Caput, & Regina extitit Apoſtolorum meorum.* Quanquam igitur dicatur, SS. Virginem, poſt Aſcenſionem dilectiſsimi Filij ſui, fuiſſe Caput, & extetiſſe Reginam Apoſtolorum, & Diſcipulorum Chriſti, id in aliquo vero ſenſu licebit intelligi.

Ead. to. 2. 765 Eadem S. Birgitta tom. 2. Serm. Angelico cap. 18. fol. 398. col 1. in fin. *Moriens denique Dei Filius Cælum apperuit, & amicos ſuos, qui inferno tenebantur, potentèr eripuit. Reviviſcēs autem Virgo, rectam fidem vſque ad Filij reſurrectionem integralitèr ſola ſervabat, multoſque a fide miſerabilitèr deviantes, reducendo ad fidem corrigebat.* Duo patent, ſcilicèt, Sanctiſsimam Virginem in caſu propoſitionis confixæ Magiſterium exercuiſſe, & in ea ſola permanſiſſe fidem in triduo; hoc vero ſecundo non egemus pro nunc.

Ead. Serm Angelic. 766 Eadem, Serm. Angelic. cap. 19. fol. 399. col. 2. init: *Aſcendente verò ſuo Benedicto Filio ad ſuum Regnum glorioſum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum conſortationem, & errantium correctionem remanere permiſſa eſt. Erat enim Magiſtra Apoſtolorum, conſolatrix Martyrum, Doctrix Confeſſorum, Clariſsimum ſpeculum Virginum, Conſolatrix Viduarum, in conjugio viventium ſaluberrima monitrix, atque omnium in Fide Catholica perfectiſsima Roboratrix. Apoſtolis namque ad ſe venientibus, omnia quæ de Filio ſuo perfectè non noverant, revelabat, & rationabilitèr declarabat. Martyres quoque, &c.* Eſt igitur comprobatum SS. Virginis Magiſterium eodem tempore in propoſitione confixa ſignato, non ſolum authoritatibus SS. PP. & DD. ſed etiam his celeberrimis revelationibus privatis, &c.

S. Birgitta tom. 2. 767 Eadem S. Birgitta tom. 2. Oratione 1. revelata; fol. 401. col. 1. init, ait ſic: *Lætare inſuper, Domina mea, Virgo Maria,*

ria; & de tua lætitia totus mundus lætetur; quia poſt Aſcenſionem ſuam, ad amicorum ſuorum conſolationem, & fidei roborationem, indigentium auxilium, & Apoſtolorum ſanum conſilium in hoc mundo Filius tuus multis annis te permanere permiſit: Et tunc per tua verba prudentiſsima, geſtus honeſtiſsimos, & opera virtuoſa innumerabiles Judæos, & Infideles Paganos ad Catholicam Fidem convertit, &c. Aplicatione non eget; etenim expreſsè fatetur Virginis Magiſterium in Eccleſia primitiva, non ſolum reſpectu Fidelium, & Infidelium, ſed etiam Apoſtolorum ad ſanum conſilium, &c.

768 Rupertus Abbas, apud Caniſsium de Maria Deipara cap. 19 fol. 370. col. 1. vocat Mariam verè Fidelem, & veracitèr magnę Fidei Virginem, & Magiſtram Magiſtrorum, id eſt, Apoſtolorum. *Rupertus.*

769 Idem, exponens illam ſententiam Eccleſiaſt. 3. verſ. 8. *Tempus tacendi, & tempus loquendi*, ait de Sanctiſsima Virgine: *Vbi autem gloria & honore coronatus eſt Filius hominis, reſurgendo, & in Cœlum aſcendendo, ex tunc eidem SS. Virgini fuit tempus loquendi, & hoc amicis, id eſt, Sanctis Apoſtolis.* Ex quibus & dicta confirmantur de Magiſterio Virginis in Eccleſia primitiva. *Idem.*

770 Simon Metaphraſte, in orat. de Vita & Dormitione Deiparæ, & alij cum ipſo, apud Caniſsium de Maria Deipar. lib. 5. cap. 1. fol. 433 putant, SS. Virginem Mariam, non ſolum hoc tempore mortis Domini, ſed & poſtea ſemper cum Apoſtolis familiarem, vereque Apoſtolicam egiſſe Vitam, &c. *Sim. Methap.*

771 Eruditiſsimus Nicolaus de Lyra exponens illa verba Cant 8. v. 1. *Quis mihi det te fratrem meum ſuggentem vbera Matris meæ*, ait ſic: *Matris meæ, id eſt, Virginis Mariæ, quæ non ſolum dicitur Mater Chriſti, ſed etiam totius Eccleſiæ.* Competit ergo Magiſterium SS. Virgini, ſicut Matri, &c. *Lyra.*

772 Ricardus à S Laurentio lib. 7. de laudibus Virg. ſuper illa verba: *Fecit Lunam in tempore, Sol cognovit Occaſum ſuũ*, ait: *Luna, Sole recedente, mundum illuminat; quia Sole Iuſtitiæ trãſeunte de mundo ad Patrem per mortem corporalem, fide ſua SS. Virgo totam illuſtravit Eccleſiam in triduo Dominicæ ſepulturæ. Item eodem etiam Sole Iuſtitiæ aſcendente ad Cœlum, dimiſſa eſt in mundo ad tempus, vt novellam illam Eccleſiam primitivam ſuis illuſtraret exemplis, & inſtrueret documentis.* Idenpticè conſonat propoſi- *Ricard. à S. Laurent*

ſitioni confixæ, prout in originali textu repertæ, vbi Magiſterium indicitur SS. Virginis circa primitivos Eccleſiæ Fideles.

Idem. 773 Idem lib. 1. de laud. Virg. ait: *Dæmones provocat ad latratum, & rictum, ſicut canes; nam ipſa Virgo Maria ille fons eſt, qui per aquæductum fluebat in Civitatem Bethuliæ, id eſt, Eccleſiam.* Si per aquæductum Eccleſiæ Petrum intelligas, SS. Uirginem conſiliantem Petrum etiam intellige: & ſic juxta ſententias ſupra relatas Magiſtram Principis Apoſtolorum invenies.

Oſſuna. 774 Erudit. Oſſuna, Serm. 47. part. meridion. inquit: *Interea tamen commiſit Matri, vt omnes, quos triſtes relinquebat, foveret in gremio, collocaret in ſinu. Nec enim vni tantum data eſt nũc Virgo in Matrem, vt quando ſub Cruce data eſt Ioanni: Sed à Chriſto data eſt in Matrem omnium, ſicut Infantem ſuum.* Ecce Matrẽ, ecce Magiſtram, ecce Doctricem SS. Virginem abſente Chriſto.

Raul. 775 Doct. Raulinus Serm. 2. Aſſumpt. *Erat enim SS. Virgo Libraria Chriſti, in qua ſcribebantur omnia ejus arcbana; non erat autem dignum, tantum Collegium, & Eccleſiam eſſe ſine Libraria.* Sicut igitur DD. & Magiſtri ex libris ſcientiam requirunt, Apoſtolos & fideles intellige haud ſemel ſcientiam & conſilium requirentes in Cœleſti Regina, quæ Mater eſt ſapientiæ.

Caniſsius. 776 Inſignis Caniſsius de Maria Deipara lib. 4. cap. 2. fol. 200. col. 2. in fine, ait ſic: *Nec deſſunt qui Mariam, fidei Magiſtram faciant, à qua Lucas, Ioannes, Ignatius & alij non pauca nec levia Myſteria didicerent. Quare nec dubitat Anſelmus, hoc de illa teſtari, quod licèt ipſi Apoſtoli per revelationem Spiritus Sancti edocti in omnem fuerint veritatem, incomparabilitèr tamen eminentiùs ac manifeſtius illius veritatis profunditatem intelligebat SS. Virgo, ac per hoc multa eis per hanc revelabantur.* Ne autem & jam dicta repetam, quæ ſuper nonnullas ex dictis authoritates adnotavimus, hìc etiam dicta teneantur.

Idem. 777 Idem lib. 5. cap. 1. fol. 437. col. 2. circa finem: *Nihil ergo mirum, quod Maria præclaris illis titulis exornetur, vt dicatur Doctorum Doctrix, & Apoſtolorum Magiſtra, vel Illuminatrix, ſicut ſapiens Idiota & S. Antoninus appellant, quibus S. Birgittam adjungo; nam & B. Lucas cui inter cæteros Evangeliſtas deſcriptio Dominicæ Incarnationis attribuitur, Evangelij ſeriem, à te Virgine Maria didiciſſe traditur, vt loquitur Idiota, &c.* His cõfirmatur SS. Virginis propoſitum Magiſterium.

Idem

778 Idem eodem lib. 5. cap. 23. fol. 572. col. 2. fin. inquit: *Eadem de cauſa pictores, ſi quando Feſti Penthecoſtes hiſtoriam exprimunt, Mariam inter Apoſtolos, imò in medio Apoſtolorum, id eſt, honoratiore loco ſtatuunt, quam proculdubio Diſcipuli omnes Domini, non ſolum vt Chriſti & Ioannis, ſed etiam vt ſuam Matrem agnoverunt, & ſingulari ſemper reverentia ſunt proſecuti, &c.* Idipſum quod ſupra roboratur. *Idem.*

779 Ioannes Baptiſta Cancellotus Septempedanus, in Annalibus Marianis, quibus Hiſtoria SS. Uirginis, varijs rerum humanarum ſucceſsibus illuſtratur, ad annum Virginis 53. n. 2. fol. 406. inquit: *Et quidem exemplum afferre licet confugientium idenptidem Apoſtolorum ad Virginis Sapientiſsimæ Magiſterium, ex libro, cui Brabantiæ Marianæ titulum indidit Author Auguſtinus Vvichmans, Ordinis Præmonſtratenſis, &c.* *Cancellot*

780 Idem, ad annum Virginis 54 fol. 409. nu. 1. inquit: *Inſignes ſunt, Apoſtolorum pleriſque, &c. dum è Sionis Monte Virgo Maria, quaſi de ſpecula, ſingulis in auxilium adeſt, tùm per effuſas jugitèr ad Deum preces, tùm per exhibita in tempore ad res agendas conſilia, &c.* Inſpice quot modis Cœleſtis Reginæ Magiſterium comprobatur. *Idem.*

781 Idem, ad annum Virginis 84. num. 3. ait: *Alij quoque ex Apoſtolorum Schola Diſcipuli SS. Virginem tanquam Magiſtram habuerant. Multos facilè recenſere poſſemus, &c.* Ibique nōnulli numerantur Diſcipuli, tanquam ad Deiparam pertinentes. *Idem.*

782 Idem, ad annum Virginis 48. num. 29. fol. 376. *Sanctitas primorum Chriſtianorum eximia, juxta Ildephonſi ſententiam, fructus quidem erat Chriſti Sanguinis, paulò ante fuſi, & ferè adhuc in memoria Iuſtorum ebullientis; ac etiam vivo Deiparæ exemplo referri poteſt; quæ nimirum Virgo ita cunctis præibat, omni virtutum genere, vt Filij jam in Cælo regnantis, quaſi ſpeculum videretur.* Ecce Magiſterium in operę. *Idem.*

783 Idem, ad annum Virginis 75. poſt Aſſumpt. 3. fol. 547. ait: *Oſtenditur SS. Virgo tanquam ſedula nutrix Eccleſiæ, tunc infantis, nec dum virtute Sancti Spiritus confirmatæ; cum Hiſtoricus expreſsè affirmet, reverſo in Cælum Chriſto, numeroſam piorum turbam, Hieroſolymæ in Cænaculo congregatam, & dona Cæleſtia præſtolantem, ſimul precibus fundendis vacaſſe*, cum mulieribus, & *Idem.*

Ma-

Act. 1. *v.* 14. Maria Matre Iesv. *Hac Sacroſancti Cœtus Dux & Magiſtra fuiſſe haud obſcurè his verbis innuitur, quoniam aſsiduum orandi ſtudiũ, cui tunc Apoſtoli in vnum collecti, Sanctæque mulieres inſiſtebant, interventu atque exemplo Deiparæ ponitur frequentatum: vnde quidquid divinæ virtutis ex alto deinceps accepère prima illa Chriſtianæ ſobolis pignora, quidquid vbique terrarum ducendo, agendoque Sacri exhibuère præcones, poſt Chriſtum bonorum omnium Authorem, Divæ Virgini quoque debebant, de qua ſi Lucas deinde tacuit, loquuntur de eadem ſatis ipſa facta Sanctorum, quæ tantam, poſt Deũ, habuère Magiſtram; ejuſdemque ope, ac patrocinio proderunt.*

Cancellot. Ecce quantimodis SS. Virgo Dux & Magiſtra nuncupatur! Ad idem videantur ann. Virginis 48. num. 18. & ann. 72. nu 32.

Guerra. 784 Illuſtriſ. Guerra tom. 2. de Majeſtate Mariana, fracment. 5 fol. 83. authoritatibus S. Auguſtini, S. Antonini, S. *SS. PP.* Ildephonſi, V. Bedæ, Alberti Magni, aliorumque Sanctorum propoſitionibus deffendit, SS. Virginem fuiſſe Magiſtram Apoſtolorum. Et fracment. 6. varijs etiam Authoribus oſtendit, SS. Uirginem præfuiſſe Apoſtolis in 1. Hieroſolymitano Concilio.

Vega. Et P. Uega in Theologia Mariana part. 2. num. 1204. hanc firmat concluſionem: *Virgo Deipara in aliquo ſenſu verè & propriè dici poteſt caput credentium,* quod multis probat rationibus & authoritatibus. Videantur inſuper Novarinus in Vmbra Virgi- *Novarin.* nea, num. 579. & 584. & P. Hieronymus Gracian, tract. de *Gracian.* Excellent. doctrinæ S. Thereſiæ, cap. 2. circa finem. Videantur poſtmodum Nota 2. ſecundæ partis, §. 1. & Nota 7. tertiæ partis, §. 1.

785 Demùm, P. Zelada tract. Append. in Judith. cap. 11. *Zelada.* §. 15. hunc ſtatuit titulum & concluſionem: *Maria eſt Gymnaſiũ divinioris ſapientiæ, & forma, ſeù venuſtas Chriſtianæ diſciplinæ,* & §. 16. à num. 75. *Maria eſt lingua Fidei, & Chriſtianæ Religionis aſſertio.*

786 Sat ſit de Congregatione doctrinarum ad robur propoſitionis confixæ, prout in originali textu repertæ, quod attinet ad nos: verum ex abundantia, etiam quamplura reperta ſunt conſona propoſitioni confixæ, prout à Cenſoribus relatæ; quod & proſequar, §. ſequenti.

§. IV.

§. IV.

REDARGVVNTVR AVTHORES vtriuſque Cenſuræ.

787 Vice vocis *Magiſterij*, in originali textu repertæ, voces *Adminiſtrationis*, & *Regiminis*, ſubrogaſtis, ò Cenſores, vel Interprete Gallico ducti, vel apprehenſione falſa deluſi: primum citius credam. In Libello Deputatorum vtitur voce *Adminiſtrationis*; in Libello autem Cenſuræ Suppoſititiæ, voce *Regiminis* ponitur propoſitio, cum in textu originali, nec reperiatur terminus *Adminiſtrationis*, nec vox *Regiminis*, ſed ſolus terminus *Magiſterij*: Vtique in Interprete vtraque vox *Adminiſtrationis*, & *Regiminis* non invenietur, ſed earum altera; an vero iſta ſit *Adminiſtrationis*, vel *Regiminis*? Traductio ipſa loquatur. Quomodocunque ſit, inſpectis authoritatibus relatis, vtraque vox, tam *Adminiſtrationis*, quàm *Regiminis* ad verum ſenſum abſque læſione ſupremæ authoritatis Principis Apoſtolorum, vnici Capitis Eccleſiæ, reducibiles ſe offerunt. Ad rationem veniamus. Quanquam SS. Uirgo in initio Legis Evangelicæ *Adminiſtrationem* aliquam haberet, hoc fieri poſſet, quin ſuprema læderetur Petri poteſtas: Ergo, &c. Suadetur antecedens: Rigidior videntur illæ voces, quibus Maria vocatur, *Caput Apoſtolorum*, *Doctrix Apoſtolorum*, *&* *Præſidens Congregationibus Apoſtolorum*, quam vox Adminiſtrationis; ſed vltimæ voces juxta ſequentes authoritates abſque leſione vnici Capitis Eccleſiæ & poteſtatis Petro collatę ad verum ſenſum reducuntur: Ergo, &c. Patet minor, ex Ruperto ap. Oſſor. Serm. 2. Aſſumpt. vbi ait: *Propter Mariæ dictum, & authoritatem dixerũt, & ſcripſerunt Apoſtoli*: Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis; *quia hæc Virgo eſt, quæ vniverſam hæreticam pravitatem interimit.* Item patet ex inſigni Caniſio, lib. 5. de Maria Deipara cap. 5. vbi authoritate ipſius Ruperti defendit, SS. Virginem præfuiſſe Congreſsibus, tam publicis, quàm privatis, quibus Apoſtoli graviora negotia Fidei pertractabant: *Maria non tàm interſuit, quàm præſuit privatis & publicis Conventibus, &c.* Ergo, &c.

Rupertus.
Oſſor.
Caniſsius.

788 Præterea, vox *Adminiſtrationis* ex natura vocis indifferens eſt ad Adminiſtrationem poteſtativam, & ad *Adminiſtrationem* poteſtati ſubordinatam: ex natura igitur vocis poteſtatem Petri non lædit. Antecedens liquet etiam in ſæcularibus, vbi Adminiſtrator à Domino valdè ſecernuntur.

789 Nec vox *Regiminis* inducit rationem Capitis quoad poteſtatem. Hoc patet: ſignificatum *Regiminis* exequi valet, non ſolum poteſtativè, ſed etiam directivè, conſilia ſana præbendo habenti poteſtatem; ſed in hoc ſenſu abundantiſsimè probatum eſt, Sanctiſsimam Virginem Conſiliatricem fuiſſe Apoſtolorum, & eorum Principis, quod nec in Libris Myſticæ Civitatis Dei negatur, nec inſpectis SS. PP. doctrinis negari valet: Ergo, &c. Præterea, Miniſtri Regis, ejuſque Conſiliarij aliqualem Regimen obtinent reſpectu Regalium operationum, quod negari non valet ex ipſa practica politici regiminis; ſed hoc non obſtanti compatitur tale regimen abſque læſsione Regiæ Poteſtatis: Ergo, &c.

790 Cœterum, ſuperioritatem dignitatis à ſuperioritate poteſtatis valdè diſtingui, ſuadetur multis, apud Bordonum videndis in Theatro præcedentiæ, num. 166. vbi ait: *Eccleſia Lateranenſis, vti omnium Eccleſiarum Vrbis & Orbis Mater, præfertur omnibus, etiam Eccleſiæ S. Petri in Vaticano.* Et infra nu. 543. relatam explicat prælationem ex Decreto Gregorij II. his verbis: *Intellige quoad honorem, non quoad poteſtatem*: diſtinctum igitur eſt honor a poteſtate: cum ergo dicitur SS. Virgo *Caput Apoſtolorum*, vel etſi diceretur *Caput Eccleſiæ*, ſicut dicitur *Mater Eccleſiæ*, & cætera omnia, quæ in relatis authoritatibus leguntur, intelligenda ſunt quoad honorem, directionem, & Magiſterium, non quoad poteſtatem, ſeu juriſdictionem. Idipſum roboratur amplius: etenim etſi Chriſtus vnicè plantaverit Eccleſiam ſanguine ſuo, hoc non tollit, vt etiam de omnibus Apoſtolis competenti ſignificato dici queat: *Iſti ſunt qui viventes in carne plantaverunt Eccleſiam ſanguine ſuo*: quanquam ergo ſolus Petrus fuerit Caput Eccleſiæ, ipſeque ſolus quoad poteſtatem rexerit Eccleſiam Dei; hoc non obeſt, vt SS. Virgo, non quoad poteſtatem ſed quoad dignitatem & honorem dici queat, *Caput Eccleſiæ*, eamque in Capite poteſtativo conſiliando, vti Mater divinæ ſapientiæ, aliqualitèr & gubernare potuiſſet, præcipuè

Bordonus. Greg. II. Eccleſiaſt. Off. Apoſt.

cum

cum conſilium, & regimen directivum Capiti morali collatum ad totum corpus morale dirigatur.

791 His ſic ad qualificationes Cenſorum reſpectu propoſitionis confixæ reflexionem applicemus: *Hæc propoſitio*, dicitis, ô Cenſores, *quæ tribuit SS. Virgini regimen Eccleſiæ* (alia Cenſura dicit Adminiſtrationem) *falſa eſt, temeraria, & erronea.* Si V. Author tribuerer SS. Virgini Regimen Eccleſiæ, ita vt non Petrus, ſed ipſa Deipara foret quoad poteſtatem Caput Eccleſiæ, & Vicaria Jeſu Chriſti, Cenſura veſtra diminuta procedebat, cum propoſitio, ne dum erronea & temeraria, ſed & hæreticalis foret judicanda: inconſequentes igitur eſtis in qualificatione veſtra, & non ſic judicaſtis propoſitionem ſicut judicari poſtulabat, dum apertè hæreticam eſſe propoſitionem non dixiſtis. Si autem voces *Adminiſtrationis* & *Regiminis* abſque oſtenſione poteſtatis & Officij Principis Apoſtolorum intellexiſtis, abſque modo vel abſque ratione Cenſuram veſtram compaginaſtis dicendo: *Hac propoſitio falſa eſt, temeraria, & erronea.* Cœterum, ſi vtrunque compatibile reperitur, ſcilicèt, Divum Petrum eſſe vnicum Caput Eccleſiæ & Vicarium Jeſu Chriſti, & cui Dominus dixit: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & tu eſt Petrus, &c.* & inſimul SS. Virginem fuiſſe Magiſtram Apoſtolorum, & Divi Petri Doctricem, Directricem, Magiſtram, &c. vbi eſt falſitas? Vbi temeritas? Vbi & error? Nec decet latère Viris doctiſsimis, quales vos rationabilitèr judicamus, doctrinam ſic communem, tot in libris repertam & replicatam, vocitantem Virginem Mariam, *Matrem Eccleſiæ, Magiſtram Apoſtolorum, Doctricem Evangelicæ Legis, Caput Apoſtolorum, & alia hujuſmodi in relatis authoritatibus videnda*; prætterquam quod, vt ſemel & iterum notavimus, V. Author in propoſitione confixa nec tribuit SS. Virgini *Adminiſtrationem*, nec *Regimen Eccleſiæ*, ſed ſolummodo *Magiſterium*, quod innumeris SS.PP. ſententijs comprobatum vidimus. *Redarg.* *Math.*

(*†*)

ARTIC. XIII.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

392 PAg. 337. num. 301. *Cùm Divina illa Regina loquendo de ſe ipſâ dixerit, per me Reges aſſumptos ad thronum, & in illo ſervatos: per me ipſam Principes imperare, potentes Terra adminiſtrare juſtitiam* (& in margine notatur cap. 8. Prov. v. 15. & 16.)

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

393 C*Vm ſolus Spiritus Dei locutus fuerit per Scripturas, hæc propoſitio, quæ inducit SS. Virginem dicentem de ſe, quòd ipſa dixerit Proverbiorum 8. Per me Reges regnant, &c. Falſa eſt, temeraria, & verbo Dei contraria.*

CENSVRA SVPPOSITITIA.

394 C*Vm perſpicuum ſit verba cap. 8. Proverbiorum de ſolâ Sapientiâ increatâ vel Incarnatâ juxta SS. Patrum vnanimem conſenſum ad litteram eſſe intelligenda, & declaraverit Author in Libro pag. 61. Deum ad litteram in eo capite de Verbo incarnato, & SS. ejus Matre locutum fuiſſe: Hæc Propoſitio, quæ inducit SS. Virginem dicentem de ſe, quod ipſa dixerit Proverbiorum 8. per me Reges regnant, &c. falſa eſt, & temeraria.* art. 9.

CONCERT. XIV.

SVPER PROPOSITIONEM CONFIxam in hoc Articulo 13.

395 PRoponuntur Examini. 1. Diſcordia inter Verſioné Gallicam & Exemplar Matritenſe, cum Originali Textu conforme. 2. Legitima V. Authoris intelligentia in propo-

poſitione confixa. 3. Conſonantia Notatæ propoſitiones alijs SS. PP. & DD. doctrinis, ſimilibuſque vel idempticis revelationibus privatis. 4. Vitia Cenſuræ. Circa 1. & 2. ſit.

§. I.

OSTENDITVR DISCORDIA GALLICÆ Traductionis ab Originali Textu; menſque legitima V. Authoris in Propoſitione confixa.

796 TExtus Originalis: *Pues dize de ſi miſma eſta Divina Reyna, y Señora, que por ella reynan los Reyes, y mādan los Principes, y los poderoſos adminiſtran juſticia.* *Textus.*

797 Verſio ex Hiſpano in latinum: *Siquidem ait de ſemetipſa hæc Divina Domina & Regina, quod per eam Reges regnant, & Principes imperant, & Potentes adminiſtrant juſtitiam.* *Verſ. ex Hiſpan. in lat.*

798 Traductio ex Gallico in latinum, prout in articulo Cenſuræ: *Cùm Divina illa Regina, loquendo de ſe ipſa, dixerit, per me Reges aſſumptos ad Thronum, & in illo ſervatos: per me ipſam Principes imperare, potentes terra adminiſtrare juſtitiam.* (& in margine notatur cap. 8. Prover. v. 15. & 16.) *Trad. ex Gallic. in lat.*

799 Diſcordia liquet in multis. Etenim in primis, Textus Originalis non ait, *dixerit*, ſed de præſenti, *dicit*: valdèque diſtat vnū ab alio. Verbum *dixerit* refertur ad revelationem antiquam ſivè præteritam; verbum autem, *dicit*, indifferens eſt vt verificetur, ſivè de revelatione publica Prover. 8. ſivè de revelatione privata, qua V. Abbatiſſæ diceret ipſa SS. Uirgo: *Per me Reges regnant, &c.* Præterea, quanquam ipſa V. Author ſe referret ad dictam revelationem publicam, adhuc ex terminis diſcordant: *Cum ipſa dicat*: ab hoc: *Cum ipſa dixerit*, ſicut diſcordat præſens à præterito. *Diſcordia*

800 Cœterum, originalis littera non ait: *Per me Reges aſſumptos ad Thronum, & in illo ſervatos*, ſed quod Domina dicit, per eam Reges regnare, & Principes imperare: *Que por ella reynan los Reyes, y mandan los Principes*: Quamvis igitur in ſubſtantia non diſcordent, à proprietate Verſionis deviant, in textu- *Alia diſcordia.*

tuque non reperiuntur verba illa, *& in illo ſervatos*; præterquã quod & ibi defecit verbum, *regnant*. Amplius inſuper dicit Verſio quam textus, nam littera Originalis ait, quod *per eam Reges regnant*, & Traductor ſuperaddit, *aſſumptos ad Thronum & in eo ſervatos*.

Alt. diſcordia. 801 Præterea, verba illa propoſitionis Gallicæ in latinum verſæ: *Per me Principes imperare, Potentes terræ adminiſtrare juſtitiam*, vt ſic leguntur, ſenſum legitimum amittunt, vltra id quod non ſic leguntur in Originali, vt videri poteſt. Per me Principes imperare, Potentes terræ adminiſtrare juſtitiam, nullo alio verbo ſuperaddito, ſignificare valet, quod per Virginem imperant Principes, Potentes terræ adminiſtrare juſtitiam, ita vt Imperium ſit Principum erga Potentes, & confunditur ſenſus legitimus. Poſtmodum, id quod ſub parentheſi collocatur, ſcilicèt, (*Et in margine notatur cap. 8. Prover. v. 15. & 16.*) quid ad nos, nec ad V. Abbatiſſam? In Originalibus quidem non inveniuntur citationes marginales, nec his eget littera Notatæ Propoſitionis. Etenim, quamvis nec in Libro Proverbiorum, nec in nullo alio Scripturæ Sacræ Libro inveniretur Notata propoſitio, vera eſſe poſſet. In quo implicat, quod SS. Virgo nunc revelet, & dicat: *Per me Reges regnãt, &c.* dum fieri poteſt, & credimus ſic eſſe, quod Reges regnantes regnant interceſsione Mariæ? Quanquam ergo propoſitio hæc: *Per me Reges regnant, &c.* non inveniretur in Scriptura Sacra, independentèr ab hoc dicere poterat SS. Virgo veritate conſtanti: *Per me Reges regnant, &c.*

Verit. Prop.

Senſ. legit. 802 Circa legitimum ſenſum V. Abbatiſſæ in propoſitione confixa, prout ad originale proprium reſtituta, duplici via poſſumus ambulare, ſcilicèt, vel dicendo, clauſulam illam ſolum fore revelationem privatam, abſque ordine vllo ad illam revelationem publicam Prover. 8. *Per me Reges regnant, &c.* vel dicendo, V. Authorem ad textum Proverbiorum ſe retuliſſe, ſic intelligendo, quod in illis Proverbiorum verbis locuta eſt SS. Virgo, licèt alitèr intelligantur de Regina Cœleſti, ac de ſapientia increata, vel Incarnata. Vtroque modo deffenſabilis offertur propoſitio. Primo modo defenſabilis apparet, latiſsima via non repugnantiæ ex parte dicti, & piæ credibilitatis ex parte dicentis; ſecundo autem modo, doctrinis ſolidis egemus, de quibus in §. ſequenti. Nec

803 Nec repugnat, inquit V. Mater 3. part. num. 14. per totum, eandem Scripturæ Sacræ clauſulam duplicem habere ſenſum litteralem: quod mirabilitèr explicat his Hiſpanicis verbis: *No ay duda que la Divina Sabiduria pudo en vnas miſmas palabras comprehender ajuſtadamente muchos Miſterios, y Sacramentos; y en vna palabra que habla, podemos entender dos coſas, como dize David, que las entendiò ſin equivocacion, ni repugnancia. Y eſta es vna de las cauſas de la dificultad de la Sagrada Eſcritura, y neceſſaria, para que la obſcuridad la hizieſſe mas fecunda, y eſtimable, y llegaſſen los Fieles à tratarla con mayor humildad, atencion, y reverencia. Y el eſtàr tan llena de Sacramentos, y Metaforas fue, porque en eſte eſtilo, y palabras ſe pueden ſignificar mejor muchos Miſterios, ſin violencia de los terminos mas propios.* Non igitur juxta legitimã V. Abbatiſſæ intelligentiam inconſonum erit defenſare, verba illa Prover. 8. *Per me Reges regnant, &c.* litteralitèr intelligi de ſapientia increata vel Incarnata, & inſimul litteralitèr de SS. Virgine Maria. Conſonat etiam num. 545. 1 part. De compatibilitate itidem vtriuſque ſenſus loquemur infra.

Duplex ſenſus litteralis.

Myſt. Civ. Dei, 3. p.

§. II.

NONNVLLÆ SS. PP. & DD. AVTHORITATES, confixæ propoſitioni faventes, brevitèr annotantur.

804 DVplicitèr expoſita, aſbque litteræ violentia, propoſitione confixa; primo, ſcilicèt, ita vt integra clauſula intra terminos privatæ revelationis contineatur, dicente Sacratiſsima Virgine de præſenti: *Per me Reges regnant, per me Principes imperant, &c.* Secundo itidem, ita vt relata propoſitio ad Proverbiorum clauſulam referatur: de primo ſenſu & ſignificatione ex vi terminorum, nec occurrit repugnantia, nec liquet falſitas. De ſecundo autem ſenſu, in quo à Cenſoribus ſumitur propoſitio, & tanquam falſa, temeraria, & verbo Dei contraria calculatur, authoritatibus SS. opus habemus, vt in earum ſplendoribus, veritas aut falſitas Notatæ propoſitionis liqueſiat.

Duplex ſenſ. prop.

Sit

S. Auguſt. 805 Sit in primis S. Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litterã cap. 2. vbi ait: *Quiſquis voluerit omnia quæ dicta ſunt, ſecundum litteram accipere, id eſt, non alitèr intelligere quam littera ſonat, & potuerit evitare blaſphemias, & omnia congruentia Fidei Catholicæ prædicare, non ſolum ei non eſt invidendum, ſed præcipuus multumque laudabilis intellector habendus eſt.* Adverte. *Cum hoc compatitur vt ſub eadem littera & ſenſus litteralis & myſticus ex intẽtione Spiritus S. veniat accipiendus.* Idem alio loc. Idẽ Hom. 4. Aſſumpt. ſic ait: *Quædam autem ſic commendat Spiritus Sanctus, vt paritèr litteram, & Myſterium intellectum inſinuet, vt in tranſitu maris rubri, Manna Cæleſti, & Tabernaculo Dei, &c.* Quanquam igitur verba illa Proverb. 8. *Per me Reges regnant, &c.* de ſapientia increata vel Incarnata litteralitèr loquantur, hoc nihil obeſt, vt etiam de SS. Uirgine Maria quæant intelligi, & tanquam de ipſa dicta ex intentione Spiritus Sancti revelari.

S. Bernardus. 806 S. Bernardus Serm. in Salve: *De hac, & ob hanc, & proptèr hanc omnis Scriptura facta eſt.* S. Bonav. S. Bonaventura in Exam. *Mira dicuntur de Maria in Scripturis. Et quod dicunt aliqui, quare ita pauca dicuntur de B. Virgine? Nihil eſt, quia multa dicuntur de ea, quoniam vbique de ipſa.* S. Ildephõſus. S. Ildephonſus Serm. de Aſſumpt. Virginis: *Ecce ad quam omnia enigmata concurrunt Scripturarum.* S. Germanus. S. Germanus in Nativit. Mariæ: *Salve Veteris, Novique Teſtamenti ſigillum.* Idem Orat. de Præſent. *Maria eſt ſpeculum omnium Prophetarum.* S. Hieronym. S. Hieronymus Serm. de Aſſumpt. *Ecce Mariam à Prophetis prenunciatam; à Patriarchis in enigmatibus præſignatam.* Andreas Cretenſis Orat. de Annunt. *Ecce ſummam de qua clamãt Oracula Prophetarum.* Fulbertus Fulbertus Carnotenſis Serm. de Nativ. Uirg. *Hæc eſt in qua Prophetarum panduntur baticinia.* His inſpectis authoritatibus, alijſque infra videndis, quid mirum quod in Libro Proverbiorum ad litteram, ſeù, quod idem reputo, juxta intentionem Spiritus Sancti loquatur de SS. Virgine, ſi vbique de ipſa, & omnis Scriptura propter ipſam? Nec argumẽtum obijcibile de duplici ſenſu litterali locum habet, de quo §. 3. hujus Concert.

S. Ambr. 807 S. Ambroſius, exponens verba illa Prover. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, ait nomine SS. Virginis: *Dominus creavit me in initio viarum ſuarum.* Hoc applicatione non eget.

S.

808 S. Antoninus, Archiepiſcopus Florent. Serm. 3. de Concept. inquit: *Inter cætera autem, Angeli Sancti aſpicientes in Verbum, revelatum fuit eis Myſterium Incarnationis cum ſuis circũſtantiyſ; & quod Virgo hæc Sanctiſſima Mater ejus eſſet.* Nunc notanda. *Et ſic antequam eſſent abyſſi, id eſt, creaturæ in ſua diſtinctione & vltima perfectione Ego (ſcilicèt, Dei Mater) concepta eram, &c. Vnde* Job 38. *dicitur: Vbi eras, cum me laudarent Aſtra Matutina (id eſt Angeli) & jubilarent omnes Filij Dei?* Ex quo ſic: ſicut verba illa, *Per me Reges regnant, &c.* litteralitèr intelligũtur de ſapientia increata vel Incarnata, ſic & alia ejuſdem capitis, *Nondum erant abyſſi & ego jam concepta eram, &c* ſed juxta relatam S. Atonini ſententiam, verba illa, *Nondum erant abyſſi, &c.* leguntur nomine SS. Virginis: Ergo, &c. *S. Antoninus.* *Iob.* 38.

809 Seraphicus Doctor, Serm. 3. B. Mariæ: *Nam ſicut in capite ſunt omnes ſenſus, ſed in alijs partibus corporis tantum eſt ſenſus tactus: ſic Domina noſtra omnia habuit Dei dona, quæ in Sãctis alijs ſunt diviſſa. Vnde dicitur Eccleſ.* 24. In plenitudine Sãctorum detenctio mea. *Et eſt ſenſus: Totum teneo in plenitudine, quod alij Sancti tenent per partes. Nam (inquit Hieronymus Epiſt.* 10. *de Aſſumpt.) cæteris per partes datur gratia, ſed in Mariam tota ſe infudit plenitudo gratiæ.* Argumentum ſumitur ex illis verbis Eccleſiaſtici, vbi SS. Virgo introducitur loquens & dicens: *In plenitudine Sanctorum detenctio mea*; ſed ſimilitèr in propoſitione confixa introducitur in illis verbis, *Per me Reges regnant, &c.* & aliàs in vtraq; clauſula litteralitèr loquitur de ſapientia increata vel Incarnata: Ergo, &c. *S. Bonaventi.* *S. Hieronym.*

810 S. Andreas Crethenſis, de quo ſup. num. Orat. 2. in Sanctam Deiparæ Nativitatem, in Biblioth. Virginali tom. 2. fol. 788. col. 2. ſub lit. D. ſic ſalutat Cœli Reginam: *Gaude Virga Aaron; Radix Jeſe; Sceptrum David; Regale indumentum; Corona gratiarũ; ſanctitatis bractea; totius prophetiæ perſpicua plenitudo; inſpiratæ à Deo veritatis & ſcripturarum Acroſtichis, &c.* Et paucis interjectis, penę innumera Scripturæ ſacræ teſtimonia de SS. Virgine intellecta recenſet. Sufficit autem nobis vt aſſumpta Notatæ propoſitionis ſententia de SS. Uirgine ſine violentia valeat intelligi. *Acroſtichis* (juxta theſaurum Magnum linguæ latinæ, tom. 1. lit. A.) *idem valet, ac adjunctum ſivè connexum*: dum ergo SS. Virgo *Scripturarum Acroſtichis* vocatur, *Andreas Cretenſ.* *Theſaur. linguæ latinæ.*

 qua-

quaſi connexa vel adjuncta Scripturæ Sacræ deffenditur.

S. Birgitta 811 S. Birgitta tom. 2 Revelat. Serm. Angelico cap. 1. circa finem ait ſic: *O Maria Virgo Puriſsima, & fæcundiſsima Mater, hoc ipſum tu es. Sic namque & talis abæterno Divino aſpectui increata aſtitiſti, ac deinde de ſupradictis tàm puris & claris elementis, materiam tui benedicti corporis habuiſti. Talis vtique coram Deo ante creationem tuam increata aſsiſtebas, qualis poſtmodum effici meruiſti: & ideo à principio omnia creanda in Dei conſpectu ad ejus maximum gaudium plurimum excellebas.* Conſimilitèr loquitur lib. 3. cap. 8. vbi introducitur Cœli Regina hæc dicens: *Ego ſum illa quæ abæterno in Charitate Dei fui, &c.* Hæc conſonare videntur Proverbiorum verbis: *Ab æterno ordinata ſum, &c.* hocque ſemel admiſſo, eadem adeſt difficultas ſicut in propoſitione confixa: vel potiùs: ſicut ibi non eſt difficultas, neque hic.

Ead. lib. 3

S. Magd. de Pazzis 812 S. Maria Magdalena de Pazzis lib. 7. divinarum intelligentiarum cap. 21. num. 2. expreſsius ad intentum ait ſic: *Illa te Domine obtulit, quæ in omni opere tuo ſemper tecum extitit. Nondum erant abyſsi* (loquens Uirgo Maria) *& ego jam concepta erã; quando præparabat Cœlos, aderam: cum eo eram cuncta componens,* (Nunc exponit) *vel in idea tua prius quam in mundo eam creares, &c.* Sed illa verba, *Nondum erant Abyſsi, &c.* litteralitèr intelliguntur de ſapientia increata vel Incarnata, & etiam hic in Perſona Virginis dicta referuntur: quanquam igitur & illa alia: *Per me Reges regnant, &c.* De ſapientia increata vel Incarnata literalitèr intelligantur, etiam Puriſsimæ Reginæ adaptari valebunt, & quaſi ab ea dicta recenſeri.

Nicol. Lyrenſ. 813 Inſignis Sacri textus Expoſitor Nicolaus de Lyra, exponens ſententiam Eccleſiaſtici 24. v. 5. *Ego ex ore Altiſsimi prodivi primogenita ante omnem creaturam;* & v. 14. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum, &c.* tùm de ſapientia increata, tùm & de Eccleſia inſinuat intelligenda: quod ergo de increata ſapientia litteralitèr legatur non impedit, vt etiam in alio ſenſu poſſint exponi, ſicut & de facto S. Bernardinus Senenſis Serm. 51. cap. 4. cui adſtipulatur Andreas Cretenſis de SS Virgine Maria legerunt ſic: *Ante omnem creaturam in mente Dei prædeſtinata fuiſti, vt Deum ipſum hominem procreaſſes, &c.*

Andreas Cretenſ.

Hugo Car. 814 Hugo Cardinalis, exponens verba illa de SS. Virgine: *Et in Hieruſalem poteſtas mea,* ait ſic: *Et nunc demum addit: & in*

Hie-

Hieruſalem poteſtas mea imperandi, & faciendi quod volo, & quos volo introducendi, &c.

815 Pelbartus lib. 1 part. 1. art. 3. cap. 1. inquit: *Beata Virgo Maria ait: Ego ex ore Altiſsimi prodivi, id eſt, per Altiſsimi ſapientiam oriunda ſui primogenita ante omnem creaturam, ſcilicet dignitate. Ego feci, vt oriretur lumen indefficiens, ſcilicèt Gloria cōfirmata, ſcilicèt per fidem Incarnationis ex me faciendæ, &c.* Quid clarius? *Pelbartus*

816 Petrus Galatinus lib. 7. de Arcanis cap. 5. ait: *Propheta enim videns in ſpiritu, Matrem Meſiæ dicturam: Magnificat anima mea Dominum, &c. ante dicta verba in perſona ejus protulit dicens: Gaudens gaudebo in Domino, &c.* Non igitur repugnat, quamplura dixiſſe Prophetas nomine Mariæ; ſed hoc poſito talia dicta litteralitèr de Uirgine Maria intelligenda ſunt ex intentione Spiritus Sancti, & ex mente prophetantis, vt ex ſe patet: Ergo, &c. *Petr. Galatinus.*

817 Oſſuna Minorita, Serm. 55. part. merid. inquit: *Maria vero Sagena fuit totum hoc occupans & amplectens: vnde ait: Girum Cæli circuivi ſola.* Et ante dixerat Ser. 54. ejuſdem part. merid. *Maria figurabatur in prædicta Rachel, quæ cū Jacob, ea ejus obes agens ſic ait: Cum eo eram cuncta componens, &c.* Satis igitur commune eſt, Mariam Virginem loqui dictis Proverbiorum & Sapientiæ clauſulis. *Oſun. Minorit.*

818 Inſignis Caniſsius, de Maria Deipara lib. 1. cap. 2. fol. 9. col. 1. inquit: *Probabilitèr aſſirmat Rupertus, totum Canticorum Librum ſic eſſe conſcriptum, vt præcipua Dei Sponſa Maria, quâ ille nihil habet Charius, ſibique conjunctius, in eo vel maximè ab amatore divino Deoque ipſo depingatur, imò quædam illic ejus eſſe generis, vt ad Eccleſiam & perſonam aliam niſi Mariam, vix poſsint accommodari.* *Caniſsius.*

819 Idem, lib. 1. cap. 10. fol. 58. col 2. ait: *Et ſi enim ſumma & æterna ſapientia Chriſtus eſt, cui verba illa Proverb. 8. Dominus poſſedit me, &c. primum & præcipuè competunt, nihil tamē prohibet, quominus eadem ſecundario ad Matrem Domini referantur.* Et paulò infra: *Quocirca nimium vanus & virulentus fuit Lutherus, cum pro mero mendatio & in Deum blaſphemia deputavit, ſupradictam Epiſtolam, Dominus poſſedit me, &c. quæ Chriſto maximè competit, ad Mariam referri & applicari.* *Idem.*

Idem. 820 Idem, lib. 5. cap. 1. fol. 436. col. 1. in fin. *Verum de his Mariæ affectibus, quos Liber Canticorum ſub Sponſa dilectæ & diligentis ſpecie nobis mirifice conſiderandos proponit, alibi non pauca protulimus, ideo, &c.*

Idem. 821 Idem, eodem lib 5. cap. 6. fol. 468. col. 1. *Agnoſco ſanè querulosos murmuratores, Sectarios ſcilicèt, qui dicunt, multa hoc die legi & cantari publicè in Eccleſia, quæ parum aut nihil ad rem faciant & incommodè ad Deiparam referantur.* Reprehendunt autem peculiaritèr, hoc die Aſſumptionis, nonnulla Deiparæ tribui, & in ejus laude publicè decantari ex Lib. Eccleſiaſtici, quę alioquin de Sapientia æterna dicantur atque intelligātur. Hinc verba cabiloſi Lutheri: Coactè & Epiſtolam huc torſerunt, quę divinæ ſapientiæ tantum competit, ſcilicèt Chriſto. Quod autē Mariæ Deiparæ hæc tribuitur, merum mendatium, & in Deum blaſphemia eſt: *Reſpondemus autem,* ait Caniſius, *ad Sacras Literas rectè tractandas, in primis obſervari oportere, quod in illis vnus ac idem locus, ſenſus diverſos frequentèr admittat, vt loquitur Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 27.*

S. Auguſt.

Albert. Magn. 822 Albertus Magnus in Biblioth. B. Virginis Mariæ, (apud Bibliothecam Uirginalem, tom. 1. fol. 482. col. 1) ad Librum Proverbiorum deveniens, inquit: *Prov. 7. Dixi ſapientiæ, id eſt, Mariæ, ſoror mea es, & prudentiam, &c.* ibique proſequitur, quamplura hujus Libri Proverbiorum referens ad Mariam.

Archāg. Gianus. 823 Archangelus Gianus, omni eruditione, pietate, ac devotione inſignis, ex Sacro Ordine Servorum B. Mariæ Virginis, in Bibliotheca Virginali, tom. 3. fol. 592. exponens de Sanctiſsima Virgine verba illa: *Ab æterno ordinata ſum, &c.* inquit: *Verum iſta non intelliguntur, quod Virgo Maria realitèr fuerit cum Deo, quando præparabat Cœlos, quantum ad corpus & animam, ſicut erat cum Filio in mundo iſto, ſed intelliguntur quando iſta fiebant, quod Virgo Maria erat in mente divina, &c.*

Alanus de Rupis. 824 Alanus Inſulenſis, ſivè de Inſulis, vel de Rupis, natione Teutonicus, qui in Schola Pariſienſi Doctor vniverſalis meruit appellari, inter alios Librum compoſſuit, cui titulus: *De Beata Virgine Maria Cantica Canticorum elucidatio*, & ſic incipit in prologo: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*, id intelli-

ligens de SS. Virgine, cum etiam revera de Divina Sapientia litteralitèr intelligatur, &c.

825 Alphonſus ab Orozco, Auguſtinianus, virtutibus & litteris præclarus, etiam Librum compoſuit ſub hoc titulo: *Incipiunt nonnullæ annotationes in Cantica Canticorum, Deiparæ Mariæ Virginis Feſtibitatibus accommodatæ.* Vid. in Bibliotheca Virginali tom. 1. à fol. 761. *Alphonſ. Orozco.*

826 Ioannes Baptiſta Cancellotus in apparatu ad Annales Marianos, num. 3. ait ſic: *Vetus illud de Sapientia Divina Salomonis elogium, quo eam ex æternitate genitam, ipſique rerum Authori coævam prædicat, merito ad commendandam Virginem Deiparam, ante omnia tempora electam, vſurpare ſolet Eccleſia; quod omnium Molitor Deus, antequam Orbem conderet, Mariam mente conceperit, atque præſentem ſibi ſuit contemplatus inſtar mundi nobilioris, quem teſte Bernardo, Serm. de B. Virgine,* in juſtitia & ſanctitate fundavit; *vt propterea S. Auguſtinus Serm. de Annunt. ejuſdem molitionem appellare non dubitarit,* Opus æterni conſilij, *quo vterus Virginis deſtinabatur jam tunc in Sacrarium Divinitatis.* Ecce quomodo Sacræ propoſitiones de Sapientia increata alias litteralitèr intellectæ, etiam de SS. Uirgine queunt intelligi. *Cancellot. Prov. 8.* *S. Bernar* *S. Auguſt.*

827 Idem in eodem apparatu ad Annales Marianos à n. 18. vſque ad 40. plurimas exponit Scripturæ Sacræ propoſitiones, præcipuè Veteris Teſtamenti, de SS. Virg. loquentes: videantur ibi, ſingularitèr num. 32. vbi Salomonis Oracula juxta mētem SS. PP. de Maria proponuntur intellecta; aliaque ſimilia videnda parantur ad annum Virginis 50. num. 3. fol. 390. *Cancellot.*

828 Idem ad annum Virg. 103. poſt Aſſumpt. ann. 31. n. 2. fol. 640. circa finem: *Præterea, cum Minerva credita ab Ethnicis ſapientiæ Dea, ne committi quid decet, Virginem Matrem verè ſapientum Magiſtram, aut Verbum illud Æternum, quod in principio fuiſſe apud Deum ſcribit Ioannes, diciturque merito* Sapientia Patris; *a Domino, vt ait Salomon Proverb. 8.* Initio viarum ſuarum poſtea *Hoc à Deo ſe ipſum intelligente genitum Verbum, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, orthodoxi credimus & fatemur; atque à Maria ſemper Virgine conceptum, &c.* Et paulò poſt: *Detorquent hæc omnia Sacri DD. ad Deiparam Virginem; cui & per allegoriam accommodant, quocunque ſenſus ad litteram alio eſſe deductos oportuit. Imo Eccleſia cum Virginis votibus, Feſtaſque memorias recolit,* *Idem.*

ſi-

ſivè conceptam, ſivè natam commemoret, eadem in ſacris legendà proponit elogia, quibus Salomon divinam ſapientiam, humanis adumbratam coloribus, nobis ob oculos ponit. Itaque colligere hinc licèt, quantum excellentiæ ad Mariam Deiparam fiat acceſsio, dum Eccleſiæ univerſæ ſuffragio aſciſcit ſibi ſapientiæ laudes, &c. Nihil opus eſt ſuperaddere.

Nota. 829 Vidiſtis igitur, Cenſores, quot SS. PP. & DD. authoritatibus comprobatur, in illis Prov. vocibus, ſub Nota repoſitis, haud ſolum de ſapientia increata vel Incarnata, quin & de SS. Virgine Maria proculdubio & ſæpèſæpiùs ſine violentia litteræ legantur. Ommiſi, ſicut & alibi, ſuper quamlibet authoritatem argumentum præmiſis & conſequentia formalibus cõſtruere, tùm quoniam ſtudeo brevitati; tùm etiam quoniam nec neceſſum judicavi. Nunc ſupereſt, Notas Cenſuræ veſtræ ad examen vocare, quod & in §. ſequenti.

§. III.

VTRIVSQVE CENSVRÆ VITIA MAnifeſtantur, & convelluntur.

Reſum. Prop. cõfixa. 830 CONfixa propoſitio ait ſic: *Cùm Divina illa Regina loquendo de ſeipſa dixerit: Per me Reges regnant, &c.* Vos autem, Deputati Pariſienſes, dicitis, *hanc propoſitionem eſſe falſam, temerariam & verbo Dei contrariam*, quoniam ſolus Spiritus Dei locutus eſt per ſcripturas, & in relata propoſitione introducitur loquens Sanctiſsima Virgo, quaſi ipſa dixerit Prov. 8 *Per me Reges regnant, &c.* Vidimus in textu, Venerabilem Authorem nihil de citatione Proverbiorum adnotaſſe, cum citationes marginales non à V. Abbatiſſa, ſed ab alio ſint poſitæ, & nec in inſcriptis Originalibus invenientur Littera textus ſolũ inquit, Mariã dicere: *Per me Reges regnant*, & hoc quidẽ verum eſt ſicut & eſſe Regum Reginam, quatenùs in SS. Patribus haud ſemel ſic elogiatur. Poſito igitur, clauſulam originalem intra terminos revelationis privatæ contineri, abſque ordine ad revelationem publicam Prov. 8. v 15. Stabilito itidem, ſignificatum relatæ propoſitionis non repugnare, dicente Divo Ber-

nar-

nardo: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret,* ſequitur & Reges regnare per Mariam, &c. & ex hac parte, vt diximus, finita eſt difficultas. S.Bernar.

831 Quoniam verò & ſi SS. Virgo loquens intelligatur in illis Prov. verbis: *Per me Reges regnant, &c.* nihil falſum, nihilvè temerarium, aut Verbo Dei contrarium, inſpectis authoritatibus §. antecedenti tranſcriptis, invenimus, ſuper rationes & qualificationes Cenſuræ veſtræ deſcendamus ad ſingulare certamen.

832 Dicitis, quod ſolus Spiritus Dei locutus eſt per ſcripturas. Hoc & nos dicimus, ſed quid inde? Solus Spiritus Dei locutus eſt per ſcripturas: ergo nulla perſona humana intelligi valet loquens in ſcripturis? Non tenet. Solus Spiritus Dei loquitur in ſcripturis: Ergo in illis verbis, *Magnificat anima mea Dominum,* non poteſt intelligi loquens SS. Virgo Maria? Nullus dicet. Loquitur SS. Virgo Maria, non ex ſe, ſed ex Spiritu Dei. *Non eſtis vos qui loquimini,* dicebat Chriſtus, *ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Nùm ex hoc ſequitur, Apoſtolos & Martyres non eſſe locutos, quoniam Spiritus Dei loquebatur in illis? Loquebantur ipſi, & de ipſis litteralitèr intelligebatur id quod loquebantur, quamvis eorum verba alioqui forent nō ſua, ſed Spiritus Dei, qui loquebatur in eis. Spiritus Dei loquebatur in Sanctis Martyribus arguentibus cum Tyranis, juxta illud: *Cum ſteteritis ante Reges & præſides, nolite cogitare quomodo aut quod loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Hoc ſic eſt; verum ſequetur ex eo, quod non poſſit intelligi loquens S. Laurentius in illis verbis: *Aſſatum eſt jam, verſa & manduca, nam facultates Eccleſiæ, &c.* nec talis propoſitio intelligetur de S. Laurentio, quoniam non ipſe, ſed Spiritus Dei erat qui loquebatur in eo?

Lucæ 1.

Math. 10.

Ibid.

Eccleſia in Off. S. Laurent.

833 Veniamus nunc ad propoſitionem veſtrā, Deputati Cēſores: Dicitis ſic: *Cum ſolus Spiritus Dei locutus fuerit per ſcripturas, hæc propoſitio quæ inducit SS. Virginem dicentem de ſe, quod ipſa dixerit. Prov.* 8. Per me Reges regnant, *falſa eſt, &c.* Si verum foret argumentum veſtrum, dixi jam quod in nulla ſcripturæ clauſula introduci poterat loquens SS Virgo Maria, quia in omnibus ſcripturæ clauſulis loquitur Spiritus Dei. Quomodo autem ſolus Spiritus Dei loquatur, niſi modo nuper relato, Cenſ. Deput.

por-

prorſus ignoramus. Sciebant S. Auguſtinus, S. Hieronymus, S. Bernardus, S. Gregorius, S. Birgitta, S. Magdalena de Pazzis, & alij quos ſupra retulimus, Spiritum Dei loqui in ſcripturis Sanctis; ſed hoc non obſtanti in quamplurimis ſcripturæ clauſulis loquentem intelligebant SS. Virginem ex intentione Spiritus Sancti: argumentum ergo veſtrum non tenet: ſolus Spiritus Dei loquitur in Scripturis: SS. igitur Virgo Maria non valet intelligi loquens in vlla clauſula ſcripturæ. Præterea, ex eo ipſo quod ſolus Spiritus Dei loquatur in ſcripturis, potiùs ſequitur quod clauſulæ ſcripturæ loquantur de SS. Virgine Maria, quæ Sponſa eſt Spiritus Sancti, & nihil mirum quod Sponſus nonnunquam de Sponſa loquatur. Nec obeſt, quod in propoſitione illa, *Per me Reges regnant*, haud expreſsè nominetur SS.
Iſaiæ 63. v. 3. Virgo Maria: Etenim nec in illa Iſaiæ clauſula: *Torcular calcavi ſolus*, expreſsè nominatur Chriſtus, & tamen dubitare non valet, quod in ea loquatur Chriſtus. Ex hoc augetur vis argumenti noſtri: ideo dicitis, Notatam propoſitionem eſſe falſam, quia in illa, prout in Libro Proverb. reperitur, non nominatur Virgo Maria, & ſolus Spiritus Dei loquitur in illa propoſitione; ſed etiam in propoſitione Iſaiæ, *Torcular calcavi ſolus*, prout in Sacra Pagina reperitur, non expreſsè nominatur Chriſtus, & aliàs ſolus Spiritus Dei loquitur in tali propoſitione: ſiquis ergo firmaret, Chriſtum dicere de ſe ipſo, *Torcular calcavi ſolus*, hæc propoſitio falſa eſſet, temeraria, & Verbo Dei contraria? Vos ipſi judicatè, vel imò jam judicatum eſt, conſequentiam non ſequi: quamvis ergo in illa propoſitione: *Per me Reges regnant*, non expreſsè nominetur Virgo Maria, non ideo, &c.

834. Loquamur jam cum Authoribus Suppoſititiæ Cenſuræ; hi enim ſuper propoſitionem confixam alitèr ac Deputati locuti ſunt. Ajunt ſic: *Cùm perſpicuum ſit, verba capitis 8. Pro-*
Cenſ. Sup. poſit. *verbiorum de ſola ſapientia increata, vel Incarnata, juxta SS. Patrum vnanimem conſenſum ad litteram eſſe intelligenda, & declaraverit Author in Libro pag. 61. Deum ad litteram in eo capite de Verbo Incarnato, & SS. ejus Matre locutum fuiſſe: Hæc propoſitio quæ inducit SS. Virginem dicentem de ſe, quod ipſa dixerit Prov. 8. Per me Reges regnant, &c. falſa eſt, &c.* Dicitis, perſpicuum eſſe juxta vnanimem SS. Patrum conſenſum, relata Proverb. verba ſolum ad litterã intelligi de ſapientia increata vel Incarnata.

Vna-

Vnanimis SS Patrum conſenſus ſolum dicit, talia verba litteralitèr intelligi de ſapientia increata vel Incarnata; quod autem de ſola ſapientia increata vel Incarnata litteralitèr intelligantur, neſcimus vbi ſit SS. Patrum conſenſus. Nullum S. Patrem citaſtis, & vnanimem SS. P. conſenſum allegaſtis. Aliud quidem eſt, vnanimem SS PP. conſenſum aſſerere, dicta verba litteralitèr intelligi de Sapientia Divina; & aliud, litteralitèr intelligi de ſola Sapientia Divina: primum, verum eſt; ſecundũ, non ſic. Senſus litteralis ille dicitur, qui immediatè ſignificatur per voces: ſed cum iſtæ duplicitèr poſsint ſignificare, vel illud ad quod ſignificandum primario impoſsitæ ſunt, quod contingit in acceptione propria; vel illud ad quod ſignificandum per quandam translationem aſſumuntur; vt in Parabolis, tropicis locutionibus, & factis propheticis: Inde fit ſenſum litteralem duplicem eſſe, vel proprium, vel figuratum, quem metaphoricum dicunt. Exemplum vtriuſque eſt in hac voce, *Agnus*, quæ propriè ſignificat animal, tranſlatè verò hominem manſuetum & mittem. Ex qua notatione conſurgit prima diviſio ſenſus Sacræ Scripturæ in litteralem proprium, & litteralem metaphoricum, vtrunque ortum ex ſignificatione immediata vocum. Sic inſignis Magiſter Bonaventura Ponz in Academia Cæſarauguſtana Scripturæ Sacræ Moderator, in opuſc. inſtit. concionat. prælud. de ſenſibus Sacræ Paginæ, fol. 5. *Senſ. Scrip Sacr.* *Senſ. litteral.* *M. Ponz.*

835 Senſu litterali ſic intellecto, facilitèr convincimur, vt idem textus ſacer duplicem vel amplius poſsit habere ſenſum litteralem, quod & confirmatum vidimus: nam Deuteron. 25. dicitur: *Non alligabis os bovi trituranti*; vbi ſignificatum vocis eſt ipſum animal: & 1. Chorint. 9. vſurpans Apoſtolus illa verba dicit: *Nomine bovis triturantis ſignificare Prædicatores* Preterea, quod hoc ſit proprium Sacræ Scripturæ, optimè probat Angelicus Doctor dicendo: *Subeſſe Dei poteſtati, non ſolum vti ipſis vocibus ad ſignificandas res, quod etiam homines facere poſſunt; ſed etiam, quod homines non faciunt, creare aliquas res, quæ ex primaria intentione alias ſignificent*: vt clarè patet ex eo, quod Deus duos filios dedit Abrahæ, non ſolum vt filij illius eſſent, ſed etiã vt ſignificarent duos futuros populos, Judaicum ſcilicèt & Gentilem, vel duas congregationes, Synagogam ſcilicèt & Eccleſiã. Ecce mirabilem fœcunditatem Scripturæ Sacræ. Hoc ipſum *Deut. 25.* *Angel. D. ap. Ponz relat.*

alijs exemplaribus Veteris Teſtamenti in Novo reſumptis confirmare poſſemus.

S. Epiphā 836 Coadjubat S. Epiphanius lib. Anchorat. vbi ait: *Conſideremus itaque virtutem ſcripturæ, vt ne fiat nobis littera, mors. Littera enim occidit. Spiritus autem vivificat. Accipiamus Spiritum, vt ex littera vtilitatem accipiamus. Non littera occidit, in littera eſt vita. Occidit autem imprudentèr ad litteram accedentem, & non habentem Spiritum interpretantem, qui litteram aperit, & quod in ipſa eſt, revelat* Non igitur ſic accipienda eſt littera Sacra, vt vnico ſenſu, etſi litterali, tota fœcunditas exhauriatur.

837 Nec ſemper textus ſacer accipitur juxta primarium & principalem ſenſum litteralem, quod bene notavit Eminentiſsimus Cayetanus in Evang. Ioann. cap. 19. vbi ſic ait: *Hinc apparent duo, alterum eſt, quod non ſemper Apoſtoli vtuntur Scriptura Sacra ſecundum ſenſum litteralem, ſed quandoque ſecundum ſenſum myſticum. Alterum eſt, quod aliquis ſenſus myſticus ſpectat ad impletionem Scripturæ ex intentione proculdubio Spiritus Sancti; alioquin nunquam dixiſſet Ioannes,* vt Scriptura impleretur, *loquēs de ſenſu myſtico.* Aſpicite, docti Cenſores, quovſque perveniant ſenſus non violenti Scripturæ Divinæ! Obſervandum inſuper, ſenſum ex intentione Spiritus Sancti comprobatum, juxta nonnullorum intelligentiam vocari litteralem. *Cayetanus*

838 A miſerabili Hæriſiarca Buzero prorſus deviemur, qui, teſte Cartagena tom. 3. Homil. 1. de Aſſumpt. Scandalum paſſus eſt, videns in Eccleſia Catholica, Aſſumptioni SS. Virginis adaptari Evangelium Sacrum quod hodie in eadem Feſtivitate canit Eccleſia, & ſpiritu diabolico indutus, in hæc verba prorrupit: *Bone Deus, quam miſerè torta eſt hæc lectio, vt Aſſumptioni Divæ Virginis Chriſti Matris reſponderet!* Oppoſitum ſequamur. *Deipara eſt objectum, in quod Scriptura Sacra collimat*, vt latiſsimè probat Eruditus P. Vega in Theologia Mariana Paleſtra 32. Certam. 5. per totum, idque roborat multis SS. PP. authoritatibus: Et num. 938. deffendit, *quod omnia ornamenta & attributa, quæ à Scriptura Chriſto Domino conferuntur, etiam Beatæ Virgini adaptantur.* *Cartagen.* *Buzerus hæreſ.* *P. Vega.*

839 Vidiſtis igitur, ò Cenſores, quam longè ſit ab vnanimi conſenſu SS. PP. ea quæ de Chriſto Domino, vel de Sapientia Incarnata litteralitèr dicuntur, non poſſe de Sanctiſsima

Virgine juxta verum ſenſum intelligi & explicari. Sanctorum Patrum authoritatibus locuti ſumus; quapropter vſurpari nobis liceat dictũ Cayetani to. 3. opuſc. trac. 15. vbi ait: *Cur itaque accuſor ſequens Beatiſsimum Hieronymum? Accuſando ſiquidem in iſtis me, accuſant Sanctum Hieronymum, qui eſt principalis Author.* *Cayetanus*

840 Præterea, ſi dixeritis; ſolum id in veſtra Cenſura negari, quod verba illa: *Per me Reges regnant, &c.* de SS. Virgine Maria litteraliter queant intelligi, cum alias de Sapientia increata vel Incarnata litteraliter intelligantur; quapropter nõ de quacunque intelligentia, ſed de intelligentia litterali loquitur Cenſura veſtra. Reſtat in primis vt probetis, V. Abbatiſſam expreſsè dicere, relata Proverbiorum verba de Cœleſti Regina litteraliter loqui. Hoc non dicit in propoſitione confixa, vt de ſe patet, imò V. Author locum Proverbiorum ibi non citavit: vt ex ſe liquet, citationes marginales ab ipſa non poſsitas, non fore ipſi conſcribendas. Deinde neque id affirmat loco à vobis citato, ſcilicèt pag 61. nullibi igitur id affirmare videtur. Suadetur minor, nam pag. 61. correſpondet num. 54. ſed in hoc numero, vt ex littera patet, non loquitur de verſ. 15. cap. 8. Proverb. vbi ſunt illa verba, *Per me Reges regnant, &c.* ſed de alijs ejuſdem capitis verſiculis à verſ. 22. vſque ad 31.: ſi in rigore igitur loquamur, de ſingulari illa propoſitione: *Per me Reges regnant, &c.* nunquam dixit V. Abbatiſſa, de SS. Virgine Maria litteraliter vſurpari. *Arg. elud.* *Prov. 8.*

841 Poſtmodum, quanquã ſic id foret, quod V. Author diceret, quod non dixit, relata Proverbiorum verba de Regina Matre litteraliter intelligi; vbi erat tanta falſitas? Ubi tantus error? Ubi tanta temeritas? Vidimus duplicem eſſe ſenſum litteralem; vidimus itidem, tot tantoſque Doctores illa & alia Scripturæ verba eidem SS. Virgini applicaſſe: ſi igitur in vero ſenſu id fecerunt: non eſt ergo falſum, nec erroneum, nec temerarium, nec Verbo Dei contrarium, quod ipſi dixerunt affirmare. Præterea, & ipſa V. Author efficaci ratione, quam ſupra retulimus n. 803. devictã reddit difficultatem circa duplicem ſenſum litteralem in vnico textu abſque diſcordia compoſitum Proderũt inſuper ad hoc ipſum nonnullæ ex multis ſupra tranſcriptis SS. PP. & DD. authoritatibus a num. 805. & num. 826.

ARTIC. XIV.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

842 PAg. 372. num 330. *Altiſsimi potens brachium cœpit tunc in illâ operari nova Prodigia, vltrà quàm homines cogitare poſſunt. Primum omninò inſolitum iſtud fuit. Demandata eſt Angelorum multitudo præter numerum, qui tollerent in Cœlũ Empireum corpus ſimùl & animam illius, quæ electa fuerat in Matrem Verbi æterni; & Principes Beati illicò obtemperantes ſuſceperunt amabilem hanc Infantem de manibus matris ipſius Annæ; & ſolemnem inſtituerunt procedendi pompam.*

843 Pag. 433. *Sæpè aſſumebatur ſecundum corpus in Cœlum, volente Deo, per Miniſterium Angelorum.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

844 HÆc *propoſitio falſa eſt, temeraria, erronea, & Doctrinæ communi SS. Patrum, & Eccleſiæ contraria.*

CENSVRA SVPPOSITITIA.

845 HÆ *Propoſitiones falſæ ſunt; temerariæ, & contrariæ Verbo Dei.* Joan. cap. 14. v. 2. *Vado parare vobis locum.* Hebr. cap. 6. v. 19. & 20. *Spem habemus incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi Præcurſor pro nobis introivit Ieſus.* c. 10. v. 19. *Habentes Fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam.* In Libello Cenſuræ Suppoſititiæ hic eſt Articulus 10.

CONCERT. XV.

SVPER PROPOSITIONEM CONFIXAM in hoc Articulo 14.

846 EXAMINANDA, ſicut & in alijs Concertationibus. 1 Diſcordia, ſivè convenientia Verſionis Gallicæ cum Exemplari Matritenſi. 2. Intelligentia vera V. Abbatiſſæ in propoſitione Notata. 3. Non repugnantia objecti affirmati in propoſitione confixa, & pia credibilitas V. Abbatiſſę debita, id affirmanti. 4. Duplex alicujus momenti diſolvetur argumentum. 5. Virginem fuiſſe elevatam ad Altiſsimi Thronum, credibile fiet. 6. Redarguentur Cenſores.

§. I.

DISCORDIA VERSIONIS GALLICÆ cum Exemplari Matritenſi, & legitimus ſenſus Notatæ Propoſitionis.

847 TExtus Originalis juxta relatum Exemplar ſic eſt: *El brazo poderoſo del Altiſsimo començò à obrar en ella nuevas maravillas ſobre todo el penſamiento de los hombres; y la primera, y eſtupenda fue embiar inumerables Angeles, para que à la electa para Madre del Verbo Eterno la llevaſſen al Cielo Empireo en alma, y cuerpo, para lo que el Señor diſponia. Cumplieron eſte mandato los Santos Principes, y recibiendo a la Niña Maria de los brazos de ſu Madre Santa Ana, ordenaron vna nueva, y ſolemne proceſsion, &c.* Text. Orig

848 Uerſio ex Hiſpano in latinum: *Potens Altiſsimi brachium cœpit in ea operari,* id eſt in Maria, *mirabilia nova ſuper omnem hominum cogitatum; primum autem & ſtupendum fuit, innumerabiles mittere Angelos, vt electam Matrem Æterni Verbi levarent ad Cœlum Empireum, corpore & anima, ad id quod* Dominus diſponebat. *Executi ſunt Domini mandatum Principes Sancti, ac-* Verſ. ex Hiſpan. in latin.

ci-

cipienteſque puellam Mariam ex brachijs Matris eius Sanctæ Annæ, novam & ſolemnem ordinaverunt procedendi pompam, &c.

Verſ. ex Gallico in latin. 849 Verſio ex Gallico in latinum, prout in Artic. Cenſuræ. *Potens Altiſsimi brachium cœpit tunc in illa operari nova prodigia, vltra quam homines cogitare poſſunt. Primum omnino inſolitum iſtud fuit Demaniata eſt Angelorum multitudo præter numerum, qui tollerent in Cœlum Empireum corpus ſimùl & animam illius, quæ electa fuerat in Matrem Verbi Æterni; & Principes Beati illicò obtemperantes ſuſceperunt amabilem hanc Inſantem de manibus ipſius Matris Annæ; & ſolemnem inſtituerunt procedendi pompam, &c.*

Diſcordia levis. 850 Quoad finem Articuli, ejuſque Cenſuræ, parum aut nihil Textus Originalis & Verſio Gallica diſcordare videntur.

Tex. Orig. 851 Secundæ propoſitionis Textus Hiſpanus: *Muchas vezes por voluntad del Señor, y por manos de ſus Angeles, era llevada corporalmente al Cielo Empireo.*

Verſ. ex Hiſpan. in latin. 852 Verſio ex Hiſpano in latinum: *Multoties per Domini voluntatem, & per manus Angelorum ſuorum portabatur corporalitèr ad Cœlum Empireum, &c.*

Verſ. ex Gallico in latin. 853 Verſio ex Gallico in latinum, prout in Articulo: *Sæpè aſſumebatur ſecundum corpus in Cœlum, volente Deo, per Miniſterium Angelorum, &c.*

Concordia 854 Neque hic apparet ſubſtantialis diſcordia, quoad finem principalem propoſitionis Notatæ. Etenim dicti ſubſtantia in eo ſita eſt, quod SS. Virgo dum in carne mortali viveret, & ante executam Mundi Redemptionem, ſæpè fuit per manus Sanctorum Angelorum in Cœlum elevata.

Legitimus ſenſ. 855 Circa legitimum ſenſum V. Abbatiſſæ in propoſitionibus confixis ſub hoc Articulo, nec dubitare licebit. Fatemur enim, nec alitèr ex littera textus defenſabile, V. Matrem expreſsè dicere, ſibi fuiſſe revelatum, Sacratiſsimam Cœli Reginam in Cœlum fuiſſe elevatam corpore & anima, committantibus Angelis, aut litteralius per manus SS. Angelorum. Quoniam autem Art. 5. egimus, de adoratione Angelorum Cœleſti Reginæ præſtita in Altiſsimi Thono, & de hac vltima circunſtantia, ſcilicèt, de elevatione SS. Virginis Mariæ vſque ad Trhonum Altiſsimi, ad præſentem Articulum diſputationem remiſimus, etiam de hoc SS. PP. ſententijs quid ſenciendum exaginabimus.

Præ-

856 Præterea, quoniam Cenſorum dubitatio ſuper aſſumptum Notatæ propoſitionis, priùs venit in mentem V. Abbatiſſæ, in eodem Opere mirabili Myſticæ Civitatis Dei ſolutio parata eſt Etenim 1. part. num. 336. à lin. 12. quærit à SS. Virgine V. Author, quomodo intelligendum, quod fuerit in Cœlum elevata, dum Cœlum erat clauſum &c? Hiſpana verba: *Si me das licencia, Señora mia, para que hable en vueſtra preſencia, preguntarè vna duda. Y la duda es: Como ſe entenderà, que por mano de los Santos Angeles fuiſteis llevada en cuerpo, haſta el Cielo Empireo? Pues ſegun la Doctrina de la Santa Igleſia, y ſus Doctores, eſtuvo cerrado el Cielo, y como entredicho para los hombres, haſta que vueſtro Hijo Santiſsimo le abriò con ſu vida, y muerte, y como Redemptor, y Cabeza entrò en èl, quando reſucitado ſubiò el dia de ſu admirable Aſcenſion, ſiendo el primero para quien ſe abrieron aquellas puertas eternales, que por el pecado eſtavan cerradas.* Dub. V. Auth.

857 Propoſitæ dubitationi reſpondet Sacratiſsima Virgo, num. 338. ejuſdem primæ Partis, vbi ſic ait: *Cariſsima hija mia, verdad es que la Divina Juſticia cerrò à los mortales el Cielo por el primer pecado* (omittam quæ neceſſaria non ſunt, nec attinent ad ſolutionem dubij) *pero como à mi no me tocò el obice del primer pecado, no tuve el impedimento que los demàs mortales, para entrar por aquellas puertas eternales del Cielo; antes el poderoſo brazo de mi Hijo, hizo conmigo, como con Señora de las Virtudes, y Reyna del Cielo. Y porque de mi carne, y ſangre avia de veſtirlo, y hazerle hombre, quiſo ſu dignacion de antemano prevenirme, y hazerme ſu ſemejante en la pureza, y eſſempcion de la culpa, y en otros dones, y privilegios Divinos. Y como no fuì Eſclava de la culpa, no obrava las Virtudes, como ſugeta à ella, ſino como Señora, ſin contradiccion, y con imperio; no como ſemejante à los hijos de Adan, ſino como ſemejante al Hijo de Dios, que tambien era Hijo mio. Y advierte Cariſsima, que quien hizo la Ley, pudo ſin contradiccion diſpenſar en ella, como lo hizo conmigo el Supremo Señor, y Legiſlador, eſtendiendo la Vara de ſu Clemencia, mas que Aſſuero con Eſter, para que las Leyes comunes de los otros, que miraban à la culpa, no ſe entendieſſen conmigo, que avia de ſer Madre del Autor de la Gracia, &c.* Reſp. Virg

858 Tribus apprimè fundamentis innititur dubij ſolutio in hiſce verbis. 1. Quoniam SS. Virgo Maria non contraxit origi- Subſt. ſolut.

na-

nale peccatum, proptèr quod clauſum eſt Cœlum. 2. Quoniam qui fecit legem, potuit in lege diſpenſare. 3. Quoniam Regina Cœleſtis non fuit ſubjecta legibus communibus, originalem culpam reſpicientibus. Vt igitur conſonantia mirabilis inter U. Abbatiſſam & SS. Patrum ſententias reſplendeat magis, ideo litteram textus Originalis relata prolixitate tranſcripſi.

§. II.

VTRVM REPVGNET EX PARTE rei dictæ, SS. Virginem fuiſſe elevatam in Cœlum in caſu Propoſitionis Confixæ; & an V. Author, id aßerens ſic eveniſſe, & ſibi eſſe revelatum, ſit piè credibilis?

Sup. á numer. 227. 859 Diximus Concertatione 4. §. 7. num. 227. piam credibilitatem circa privatas revelationes ex duplici capite conſurgere, ſcilicèt, ex non repugnantia materiæ revelatæ, & ex parte perſonæ, ſibè ſubjecti revelationes patientis, ita vt ex fama ſanctitatis & ex opinione bene fundata ſolidæ virtutis credibilis fiat, &c. Dum ergo quærimus, vtrum V. Abbatiſſa, aſſerens in propoſitione confixa, SS. Uirginem poſt Nativitatem ſuam fuiſſe elevatam in Cœlum, ſit piè credibilis? Vtrunque perquirimus, ſcilicèt, vtrum hoc repugnet ex parte rei revelatæ, & caſſu quo ex parte materiæ id non repugnet, ſit V. Author prudentèr credibilis, dum aſſerit ſic eveniſſe, ſicque ei fuiſſe revelatum?

860 Dicendum nobis eſt, propoſitionem ex parte materiæ non repugnare. Quoniam autem rationes præcipuæ propoſitæ non repugnantiæ, ab ipſa V. Matre inſinuatæ conſpiciuntur ſup. num. 857. ſequemur eas. Firmatur in eo prima, quod cum propter originale peccatum Cœlum fuerit clauſum, dum SS. Virgo non contraxit originale peccatum, nec ex lege peccati fuit clauſum Cœlum SS. Virgini.

Opin. prob 861 Hoc ipſo nituntur fundamento quicunque piè deffendunt, quod ſi mortua fuiſſet Deipara antequam Chriſtus ad

Cœ-

Cœleſtia Regna conſcenderet, nô expectaret in Lymbo apertio-
nem januę Cœleſtis, ſed ſtatim ad Empireum evolaſſet. Hunc
oppinandi modum non improbant multi Doctores, nec impro-
babile judicat Eximius Suarez to. 2 in 3. part. diſp. 3. ſect. 15. *Suarez.*
licèt in fine ejuſdem ſectionis concludat: *Sapientèr providiſſe
Deum, ne ſimilis eventus accideret, vt omnia incommoda ceſſarent.*

862 Verum nec tàm difficili reſolutione opus habemus,
nec ex ſententia contraria noſtra confunditur reſolutio. Deffen-
ſantes quidem, quod ſi SS. Virgo mortua foret, antequam ad
Cœlum Chriſtus aſcenderet, ipſa ad Empireum tranſiret; effi-
cacitèr oſtendunt, quod ſi ad permanentiã in Cœlo elevari pote-
rat Regina Cœleſtis ante Aſcenſionem Chriſti Domini, multò
meliùs elevari potuiſſet ad breviſsimum tempus. Deffenſantes
autem in hujuſmodi caſſu, quod SS. Virgo non tranſiret in Em-
pireum, ſed quod detineretur Lymbo SS. Patrum, vt oppinantur
Bazquez, Pitigianus, & Caſtillo tom. de Incarnatione, diſp. 2. *Bazquez.*
de immunitate Virg. quæſt. 1. num. 9. vel in Paradyſo Terreſtri *Pitigian.*
cum Enoch, & Elia, vt volunt Gerſon, Robertus Lutius, Ovã- *Caſtillo.*
dus, & Arcones in cap. 2. Iſaiæ expoſit. 6. diſc. 9. in fin. adhuc *Gerſon.*
non probant, reſolutionem noſtram eſſe falſam. Patet à ſimili. *Rob. Lut.*
Quanquam Viſio intuitiva permanens Divinitatis vniverſalitèr *Ovand.*
negetur hominibus in vita mortali, juxta illud: *Non videbit me* *Arcones.*
homo & vivet, non negatur ab omnibus, Viſionem intuitivam
tranſeuntem, & ad breve tempus eſſe aliquibus conceſſam, ſicut
Moyſi, Apoſtolo Paulo, & Vniverſalius SS. Virgini: Quamvis
ergo negetur Reginæ Cœleſti ingreſſus permanens in Regno Cę-
lorum in caſſu relato, ſcilicèt in ſuppoſitione quod mortua fuiſ-
ſet ante Aſcenſionem Chriſti, non inde convincitur, quod ſic
ei denegandus ingreſſus tranſeuntèr & ad breviſsimum tempus
ſicut à U. Abbatiſſa conceditur in propoſitione confixa.

863 Præterea, ne formalitatem hujus probationis ammit-
tamus, ad carentiam originalis culpæ vertamus intuitum. Ca-
ruit SS. Virgo culpa originali; ſed propter originalem culpam
clauſum fuit Cœlum filijs Adam: non ergo clauſum fuit Cęlum
SS. Virgini. Minor eſt Suarij tom. 2. in 3. part. diſp. 42. ſect. 1.
§. 4. vbi ait: *Adam enim peccando omnibus hominibus clauſit Reg-
num Cœlorum*: Ergo, &c. Quoniam igitur, dum non repugnan-
tiam relati favoris inquirimus, abſque dubio ſi repugnantia fo-

ret, ex hac parte non ſtaret; ideo abſciſſa dilatione majori, ad ſecundam rationem tranſeamus. Etenim ſi Deiparæ privilegiũ in propoſitione confixa relatum ex aliqua parte repugnaret, certè non foret ex carentia peccati originalis, ſed ex alia ratione, alias clauſum eſſet Cœlum ex carentia cauſæ vel occaſionis proptèr quam clauſum eſt Cœlum.

864 Secunda ratio, quam ſupra retulimus ex ipſa Myſtica Civitate Dei, ſic erat: *Quoniam Legiſlator diſpenſavit in Lege*: vel vt non repugnantiam ſemper teneamus: *Quoniam Legiſlator qui fecit Legem, potuit ſine contradictione in Lege diſpẽſare ſicut fecit, &c.* Hiſpanicè: *Quien hizo la Ley, pudo ſin contradiccion diſpenſar en ella, como lo hizo conmigo, &c.* Loquitur Cœli Regina. Hic attingitur Divina Omnipotentia, quæ, juxta SS. Patrum conſenſum, regula eſt ad dimetienda Deiparæ Privilegia: Argumentum igitur formabitur ſic: Admiſſa lege communi, vt nullus hominum ingrederetur in Cœlum antequam Chriſtus Dominus, potuit Altiſsimus diſpenſare, vt lex communis non intelligeretur de ſua dilectiſsima Matre; ſed ex eo quod potuit ſic diſpenſare, eſt piè credibile quod ſic diſpenſavit: Ergo, &c. Ad probationem minoris adeſt S. Auguſtinus tom. 9. Homil. de incorrup. corp. SS. Virginis, vbi ait: *Si quis autem refragari his elegerit, cum dicere non vellit, hoc non poſſe Chriſtum, proferat quare non conveniat velle, ac per hoc non eſſe?* Conceſſa igitur Dei potentia ad aliquod privilegium Deiparæ concedendum, qui fateatur Deum poſſe concedere, oſtendat quare Deus noluit, nec decuit, ac per hoc non conceſsit? Argumentum eſt ſicut tanti Doctoris: ſi ergo potuit Dominus SS. Virgini concedere, vt non obſtanti lege communi, ad breve tempus elevaretur in Cœlum, qui dixerit hoc Deum non feciſſe, cum poſſet, oſtendat quare non fecit?

Sec. rat.

Conſenſ. SS. PP.

S. Auguſt.

865 Præterea, dignè perpenſa Divina Omnipotentia nihil manet impoſsibile. S. Baſilius Seleuc. orat. de Annunciat. Virginis: *Accepit Deus quondam pulverem, & fecit hominem: Accepit rurſum ex Virgine pulverem, hoc eſt carnem, & ſibi adjungens factus eſt homo, &c.* Et paulò poſt: *Nihil proinde apud Deum impoſsibile eſſe ſtatuatur. Vbicunque enim ille operatur, ibi omne impoſsibile è medio faceſſat. Sed neque quidquam ex his quoque, quæ humanæ naturæ integritatem abſolvunt, apud prudentes veritatis judices turpe*

S. Baſilius

eſt

eſt, &c Si inſpecta igitur Divina Omnipotentia, nihil eſt impoſsibile: conſiderata ergo non ſolum Divina Omnipotentia, ſed etiam Omnipotentis amore erga digniſsimam Matrẽ Æterni Verbi, nihil erit impoſsibile reſpectivè ad Matrem, dum ei non repugnet ex ratione puræ creaturæ. Nunc conſideremus Omnipotentem, leges ferentem conſonas peccato originali: liberavit Matrem à peccato: potuit ergo liberare Matrem à legibus factis pœna peccati.

866 Rationem tertiam vniverſaliorem, ſuadentem, Reginam Matrem non contineri de facto ſub legibus communibus reſpicientibus peccatum, latiſsimè proſequitur Magnus Aurelius in Bibliotheca Virginali tom. 3. fol. 474. col. 2. vbi reſolvens incorruptibilitatem corporis Reginæ Cœleſtis, hæc ait: *O magnam & inæſtimabilem bonitatem Dei, quæ habere ſuum, ſuos habere vult, vt ſua charitate fruantur. Si igitur eos ſecum habere vult; & hoc poteſt, qui omnia poteſt: quid ſtimandum eſt de Matre, vbi digna ſit haberi, niſi in præſentia Filij?* Et paucis interpoſitis: *Si nihil altius ſentirem de corpore Virginis, quam de proprio, nihil dicerem*; ibique proſequitur ſemper excludendo Deiparam à lege communi. *Rat. 3.* *S. Auguſt.*

867 Si autem dixeritis, Cenſores, de potentia ad actum non ſequi conſequentiam, neque hoc convincere argumentum: *Potuit Deus hoc facere: ergo fecit.* Reſpondeo ſic eſſe, abſolutè loquendo; verum quanquam abſolutè non teneat, reſpectu tamen Privilegiorum Deiparæ vim habet & efficatiam. Ad hoc proderunt nonnullæ ex authoritatibus ſupra tranſcriptis à num. 609. quibus confirmare prætendimus propoſitionem illam confixam: *Contulit Mariæ Dominus quidquid voluit, & voluit ei conferre quidquid potuit, &c.* *Arg. ſolut.*

868 Præterea, inter leges generales nulla communior, quã quæ ſupponitur ad Apoſtoli ſententiam: Omnes in Adam peccaverunt; ſed SS. Virgo Maria excluſa veneratur ab hac lege generali ex diſpenſatione divina: hæc igitur Regina Cœleſtis non eſt comprehenſa ſub regulis generalibus. De hoc amplius infra. *Apoſt.*

(*†*)

§. III.

VARIIS SS. PP. & DD. AUTHORITA-tibus augetur pia credibilitas propoſitionis confixæ.

869 QVoniam ab initio noſtri Certaminis in ſplendoribus Sanctorum decrevimus exhagitare veritatem, ideo ſtabilitam ideam proſequentes, non repugnantia quæſita propoſitionis confixæ, vel ſi mavis, haud ſolum non repugnantia, quinimò & rationabilis aſſerti credibilitas ex SS. PP. ſententijs hic inveſtigabitur.

S. Auguſt. 870 S. Auguſtinus tom.9 Hom. ſup. cit. ait ſic: *Sunt etiam quædam, quæ quamvis commemorari ex toto omiſſa ſint, vera tamen ratione creduntur.* Et in ſpeciali loqués de Myſterio Aſſumptionis Deiparæ, inquit: *Quid ergo de Mariæ morte? Quid de ejus Aſſumptione dicendum eſt? Vnde Divina Scriptura nihil commemorat, niſi quærendum ratione quod conveniat veritati. Fiatque ipſa veritas authoritas, ſine qua neque eſt, neque valet authoritas.* Ex hac regula Magni Auguſtini argumentum inſtat: ſicut nihil expreſſum de Aſſumptione Virginis legebatur in Scripturis Sacris, ſic nihil de hoc ſingulari privilegio elevationis SS. Uirginis in Cœlum ante Aſcenſionem Redemptoris videtur expreſſum in Scripturis; ſed Privilegium illud Aſſumptionis Deiparæ ex ſilentio Scripturæ Sacræ non eſt factum incredibile: Ergo, &c.

S. Gregor. 871 S. Gregorius ſup. cap.1. Reg. ait ſic: *Tunc quippè defendere nova poterit, cum eorum rationem ex veteribus agnoſcit. Apertè igitur Samuel Heli oblatus aſſeritur, quia ſolum ſufficientèr nova prædicat, qui eam rationem, qua intelligenda ſunt vetera non ignorat.* Quamvis igitur novum ſit, SS. Virginem ante Aſcenſionem dilectiſsimi Filij ſui ad breve tempus fuiſſe elevatam in Cœlum, ſi aliàs ratione quâ intelligenda ſunt vetera, hoc novum valet prædicari, in favorem novitatis ſtabit authoritas tanti Doctoris. Quod autem novitati propoſitæ, rationes profsint quibus defenſa ſunt vetera, patet; nam Myſteria Sacra Conceptionis & Aſſumptionis Deiparæ, quæ jam vetera, illa potiſsimum ratio-

tione defenſa videntur, quod talia privilegia poterat Altiſsimus ſuæ Matri conferre, & alias decens erat vt ea de facto contuliſſet; ſed hoc ipſum militat in favorem propoſitionis confixæ: Ergo, &c.

872 Idem, Orat. de Præſent. relatus à Cartag. lib. 3. tom. 1. ſic ait: *Oportebat, non in Sanctis Sanctorum Tabernaculis, ſed in ipſo Cælo Cæli in prima ætate eam Virginem educari, quæ Cælis collata ſit latior, & puritate antecellat.* Nec majori claritate loqui poterat, quamvis in defenſionem Notatæ propoſitionis diſputaſſet, rationem tantæ congruentiæ in contrarium arguentibus opponens: *Oportebat inquit, &c.* *Idem.*

873 S. Ioannes Damaſcenus Orat. 1. de Nativitate Virginis Mariæ: *Sileat Sapientiſsimus Salomon, nec jam nihil ſub Sole novum eſſe affirmet.* Et paulò infra ſic exclamat: *O miraculum omnium miraculorum maximè Novum! Mulier Seraphinis ſublimior effecta eſt, &c.* Quamvis igitur elevatioues SS. Virginis in Cœlum, in propoſitionibus confixis relatæ, vſque modo non fuerint hominibus notæ, non exinde eſſe falſas licebit inferre ex ſola novitatis ratione. *S. Ioann. Damaſc.*

874 S. Andreas Cretenſis in Gloſſ. ait de SS Uirgine Maria: *Conſiderandum autem eſt, an inter miracula inveniendum ſit majus eo, quod admirabilitèr, & præter opinionem in ea factum fuit?* Et aliquibus interpoſitis, proſequitur: *Præterea, quæ olim in ea facta ſunt, à nobis non celebrantur, etiam ſi videamus eſſe vtique admirabilia, & præter opinionem, & longè eſſe remota à naturæ legibus, ſi tamen conſideretur quod naturam ſuperat inexplicabilis ratio Conceptionis. Erat ergo tunc Verbum præſens, & legem facit ceſſare, legem inquam mortis, &c.* Si ergo quæ nunc de SS. Virgine nova dicuntur cum jam dictis de ea conferantur, ex ſola ratione novitatis incredibilia non apparent. Etenim ſi antequam ſic glorioſè Myſterium Conceptionis Immaculatæ non erat illucidatum, elevationes hujuſmodi SS. Virginis in Empireum prædicarentur, certè incredibilia & inconſona judicata forent, nec benè cohærerent, Mariam Virginem eſſe Conceptam in peccato originali, & eſſe elevatam in Cœlum ante redéptioné peccati. Poſtquam verò vniverſalitèr in Eccleſia Catholica piè fatemur, Reginam Cœli eſſe ſine labe Conceptam, & peccato originali carere, proptèr quod clauſum eſt Cœlum, incó- *Andreas Cretenſ.*

ſo-

ſonum non videtur; nec Fidei, nec rationi diſſonum, quod ad breve tempus elevaretur in Cœlum.

S. Thom à Villanov.

875 S. Thomas à Villanova Serm. de Viſit. Virg. loquens de quodam Deiparæ Privilegio, illudque ſuadens, inquit: *Quid vltra quæris? Quid vltra requiris? Sufficit tibi, quod Mater eſt Domini*: Quaſi nihil non impoſsibile repugnet nec indeceat, cui tantum Privilegium Divinæ Maternitatis conceſſum eſt.

Sap. Idiot.

876 Sapiens Idiota de contemplat. Virg. ait ſic: *Fama tui Sanctiſsimi nominis, Clariſsima Virgo Maria, prius clauſa fuit, quãdiù in mundo morata fuiſti; ſed poſt Aſſumptionem tuam in Cœlum divulgata fuit per omnia mundi climata, &c.* Non igitur ex eo quod Deiparæ Privilegia in Evangelio Sacro ſint ſub ſilentio relicta, comprobabitur eſſe falſa.

Paul. Burgenſ.

877 Paulus Burgenſis 2. pars ſcrutin. ſcript. diſt. 2. cap. 9. ſimilitèr agens de alijs Deiparæ Privilegijs, ſuadenſque, incredibilia non fore ex eo quod ſint ab Evangeliſtis ſub ſilentio relicta, ait ſic: *Nec obſtat, quod de hoc nihil in Sacris Evangeliorum Hiſtorijs contineatur. Dictum eſt enim ſupra, quod multa geſta ad dignitatem Virginis glorioſæ pertinentia fuerunt prætermiſſa in Sacris Scripturis propter ipſius ſummam humilitatem, ſecundum quam iſta non placebant publicari.* Quanquam ergo in Sacris Evangeliorum Libris nihil de relatis elevationibus SS. Virginis in Cœlum dictum ſit, non inde ſequitur, eſſe falſum ſic eveniſſe.

Epiphan.

878 Doct. P. Epiphanius, Præsbytèr Conſtantinopolitanus, relatus à Gregorio Gallicano, in Apoſthemata SS. Patrum pro Feſtivitatibus B. Mariæ, inquit: *De Virgine vero cum pauca quædam dixiſſent Apoſtoli, ſtatim præterierunt, ſic Spiritu Sancto diſpenſante, &c.* Ex quo ſimilitèr conflatur argumentum ſicut in authoritate antecedenti.

Alex. à Salò.

SS. PP.

879 Alexius à Salò tract. cui titulus: *Ars piè amandi & collendi Deiparam*, ſtella quinta, in Bibliotheca Virginali tom. 1. fol. 275. col. 1. ſub lit. A. inquit: *Scriptorum multorum Sanctorum & gravium, vt Sancti Antonij, Sancti Bernardi, Sancti Cypriani, Vbertini Caſallenſis Franciſcani, & aliorum pluſculorum opinio eſt, Beatam Virginem, ipſo Incarnationis Ieſu Chriſti articulo, pluries raptam in tertium Cœlum fuiſſe, ibique ad ipſum Divinæ Eſſentiæ clarum conſpectum vſque dignantèr admiſſam, viſumque ipſi Deum, facie ad faciem, & quidem clarius, ac plenius, quam vidiſſet olim*

an-

antea vel Moyſes ipſe, vel poſtea Sanctus Paulus. Idem apud ipſum confirmat, Robertus Abbas, ad illa Cantic. verba: *Oculi tui columbarum*, vbi aſſerit, *Virginem raptam in tertium Cœlum, ibique quædam vidiſſe arcana, quæ non licet homini loqui, apertius quam Sanctus Paulus, &c.* Nihil clarius ad finem noſtrum ex Doctorũ authoritatibus vltra deſiderabile: non igitur ſic novum eſt, SS. Virginem ante Aſcenſionem dilectiſsimi Filij ſui, fuiſſe raptam in Cœlum, vt non ab aliquibus DD. id ipſum dictum ſit. *Robert. Abb.*

880 Eminentiſsimus Cayetanus, exponens verſ. illud Pſal. 86. *Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei*, legit ex Hebręo futurum pro præterito, & addidit: *Perpetua admiratione.* Nec ſingulare eſt futurum pro præterito in Scripturis Sacris accipere, ſicut præſens pro futuro. Circa quod in libris Revelat. S. Birgittæ tom. 1. lib. 3. cap. 19. fol. 269. col. 1. dicitur: *Dominus, in cujus conſpectu ſunt omnia, quandoque loquitur in præſenti quæ ad futura pertinent, & de faciendis tanquam jam ſint facta. Quandoque etiam præteritum futurumque permiſcet, & præterito vtitur pro futuro, vt nullus præſumat diſcutere conſilium imperturbabile Trinitatis.* Si ergo Pœnitentis verba Prophetæ de Maria Deipara loquentis: *Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei*, pro futuro intelligantur: Quid expectamus, niſi de die in diem nova ejus creſcere mirabilia, veteris conſona, vt ſic Omnipotens Paterfamilias proferat de theſauro ſuo nova & vetera? *Cayetanus* *S. Birgitt. lib. 3.*

881 Ambroſius Catherinus, Politius, Archiepiſcopus Cõpſanus, opuſc. de Immaculata Virginis Mariæ Conceptione lib. 3. & in Bibliot. Virginali tom. 2. fol. 44. col. 2. ſub lit. D. & ſub hoc titulo: *Radix omnium rationum, ac perſuaſionum pro hac veritate*, ait ſic: *Poſt hæc vero tanta teſtimonia, ſequuntur multarum rationum momenta, quam validiſsima. Prima ergo & ſumma omnium rationum, quæ eſt omnium perſuaſionum radix & fundamẽtum, hæc eſt: Si Deus potuit hoc Matri ſuæ Privilegium dare: ergo etiam dedit; potuit autem. Ne quis verò me derideat, non meus eſt hic proceſſus, ſed Auguſtini, certè fidelis, & omni acceptione dignus, ſi ſubtilius examinetur, nec protervè excipiatur. Auguſtinus enim excipere volens hanc Beatam Virginem ab ea generali ſententia,* pulvis es, & in pulverem reverteris: *Hoc modo proceſsit: Potuit Deus hoc facere, vt eam ab eo opprobrio præſervaret: ergo etiam fecit: quoniam ad benignitatem ejus id facere attinebat.* Et contra *Ambroſ. Cath.* *S. Auguſt.*

ne-

negantem proceſſum hunc, ita adjecit: *Si confitetur, Chriſtum potuiſſe, proferat rationem quare non fuerit decens, etiam voluiſſe, ac perconſequẽs non feciſſe?* Attende Lector & cape Auguſtini ſententiam, in hac enim materia cum tractatur de gratia Dei, & de Privilegijs erga Matrem, ſatis habuit Auguſtinus vt ſuaderet, collatum fuiſſe illi privilegium ſi non negetur, Deum hoc potuiſſe conferre: Nunc adverte rationem potiſsimam: *Nam conferri etiam decuiſſe quidquid ei conferri potuit, niſi ex adverſo manifeſta probetur indecentia, quaſi ex ſe notum & manifeſtum ſuo jure accepit.* Porrò, quis vllam probare valet indecentiam hujus prærogativæ? Imò quis non decentiſsimè id ei fuiſſe impenſum, vt præſervaretur à tanta labe perſuadeatur? Si modo Virginem illam verè diligat, ac ſecum animo tranquillo plurimas tantæ prærogativæ perſuaſiones evolvat quas dedit nobis ſpiritus conſiderare, & ſpero dabit proferre. *Obſecro, Frater, amator eſto veritatis, & illucebit tibi.* Hucuſque Ingenioſiſsimus Dominicanus, qui potiſsimum floruit tempore Tridentinæ Synodus, in cuius deauratis verbis multa notanda. Primo, ſupradicta confirmari Artic. 10. in propoſitione illa: *Altiſsimus contulit Matris quidquid potuit, &c.* Deinde & confirmãtur relata in Artic. 2. in illis verbis: *Et ſpero dabit proferre, &c.* quaſi alia atque alia nova Virginis Privilegia currentibus ſæculis manifeſtanda. Sed vicinius & in hac concertatione dicta §. 2 potenti ratione roborantur, ex non repugnantia exiſtentiam Privilegij quaſi concludens, ibi: *Attende Lector, &c.* Et poſtmodum ad litteram, pro ſtabiliendo Certaminis noſtri privilegio de elevationibus SS. Virginis in Cœlum, omnia hic relata tanti Doctoris verba mirificè proſſunt, nec aliter ſubtiliori accumine diſponi poterant. Qui enim dixerit, privilegium hoc elevationum SS. Virginis in Empireum haud fuiſſe Deipatæ collatum: cum non repugnet ex Immaculata Conceptione, & carentia peccati originalis, proferat quare non decuit Virgini conferri? Inſtat ergo potentèr tanti Doctoris argumentum.

Doct. Frãciſc. Luc.

882 Inſignis Doct. Franciſcus Lucas, *ſuper Miſſus eſt*, ait ſic: *Solet enim fides, quæ divina nixa authoritate recipit, hæc illa vt vera, mira accipere firmitatis luciſque incrementa, ſi poſt accedant, vel rationes naturales, vel ſenſibilia exempla, conſentanea eis quæ crediderimus, quibus declarentur, non contra, ſed ſupra naturam*

eſſe,

eſſe, &c. Et quamvis minoris miraculi ſit, ſterilem anum concipere; quam Virginem concipere, hoc tamen per illud Angelus rectè confirmat apud credentem, vt fides augeatur, &c. Cum ergo ſupra revelationem privatam nobis propoſitam vt piè credendam, tot ſententiæ totque rationes veriſimiles inveniamus, inde motivum piæ & rationabilis credibilitatis accipit incrementũ. Principalitèr verò ſuppoſito Privilegio, jam ſic vniverſalitèr recepto, de Conceptione ſine labe Reginæ Cœleſtis: hoc ad finem apprimè conducit, cum profiteamur clauſum fuiſſe Cælum pœna peccati.

883 Idem, ibid. *Poſtquam ergo Regina creaturarum intellexit, ſe non Viri, ſed opere Spiritus Sancti concepturam, Deo Omnipotentiam ſuam exerente, nihil vltra interrogat, ſed ſolida fide arripiens promiſſum, quamvis humanam rationem ſuperans, totam ſe Deo incunctantèr offert. Impar exemplum, diſimilisque perſuaſio. Vt Omnipotentiam audivit, nihil vltra interrogavit.* Omnipotentiam conſideremus, dignitatem Matris, decentiam & non repugnantiam Privilegij, ex quibus pia noſtra credibilitas maximè roboratur. *Idem.*

§. IV.

DVPLEX ALICVIVS MOMENTI SOLvitur Argumentum.

884 QVanquam ex relatis SS. PP. & DD. authoritatibus ferè omnia ſint argumenta contraria ſoluta, de duplici tamen objectione ſequenti, extenſius putavi parare ſolutionem. Fundatur primum in ratione Novitatis; ſecundum autem, in Sacræ Scripturæ locis à Cenſoribus adductis.

885 Argues 1. ex D. Auguſtino in Bibliotheca Uirginali tom. 1 fol. 138. col. 1. vbi Novitates maximè deteſtatur, conſulitque tacendas. Præterea, Inſignis Caniſsius de Maria Deipara lib. 1. cap. 7. fol. 36. col. 1. latiſsimè probat, novitates in Religione & Eccleſia ſuſpectas eſſe; ſed quod SS. Virgo fuerit in Cœlum elevata, etiam ad breve tempus, ante Aſcenſionem dilectiſsimi Filij ſui, Novum & inauditum eſt: Ergo, &c. *S. Auguſt.* *Caniſsius.*

886 Reſpondeo 1. negando minorem ex ſupra relatis au- thoritatibus num. 872. legendis. Reſpondeo 2. duplicem eſſe novitatem ex Fulgentio Petrello tom. 1. quæſt. 1. art. 2. nu. 14. vbi ait: *Novitas duplex eſſe poteſt, alia commendabilis, alia deteſtabilis. Deteſtabilis ea eſt, quæ vana, inutilia, falſa, moribus, fidei contraria, pugnantia cum Scripturis Divinis, Sacriſque Patribus pronuntiat. Commendabilis verò novitas eſt, quæ ſeria, vtilia, vera, conſtantia, veris conſona, moribus appoſita fidei, convenientia Sacris Paginis, ac Patribus refert*; ſed novitas, dato quod talis ſit, in elevationibus SS. Virginis ad Cœlum in caſu propoſitionis confixæ, cedit in majorem Deiparæ Gloriam, conſonatque Immaculatæ ſuæ Conceptionis Privilegio, vbi tollitur peccatum propter quod clauſum eſt Cœlum: novitas ergo hæc, dato quod ſit novitas, non eſt deteſtabilis, ſed commendabilis.

Fulgent. Petrell.

887 Præterea, Eminentiſsimus Laurça 1. part. tom 3. in 3. ſentent. diſput. 6. num. 118. inquit: *Vnum tamen hic addendũ duco, quod nulla eſt repugnantia cum ſuperiori doctrina, quod factum aliquod de novo, etſi in aliqua propoſitione vniverſali non contentum, & cunctorum ſaluti non neceſſarium reveletur, ſicut multis legimus, &c.* Et eadem diſput. 6. num. 152. proſequitur: *Non eſt ergo mirum, ſi aliæ novæ revelationes de factis particularibus, & non ſpectantibus ad ſubſtantiam Fidei, & ad ſalutem omnium non fuerint explicitè revelatæ Apoſtolis, &c.* Non ergo omnis novitas reſpuenda venit ex ratione novitatis.

Laurça.

888 Præterea, non omnia ex Scripturis Sacris petenda ac ſolvenda, latè probat Caniſius de Maria Deipara lib. 1. cap. 5. fol. 27 col. 2 vbi ait: *Non poſſumus plerique Novatoribus aſſentiri, qui contentionis atque diſtractionis potiùs, quam chriſtianæ pacis & vnitatis viam amantes, omne quæſtionum genus ad ſolas Scripturas revocant, & præter illas nihil ferè admittunt, ſivè de Maria, ſivè de Perſonis, &c.* Quamvis igitur nihil expreſsè de relato Virginis Privilegio in Sacra Pagina dicatur; haud exinde falſitas convincitur; præterquam quod, vt alibi diximus, in Apocal. Ioann. ſub Ænigmatibus & figuris plura de SS. Virgine Sanctus Evangeliſta locutus eſt, ibique legimus, *ſe vidiſſe civitatem ſanctam Hieruſalem novam*, in qua Maria, *deſcendentem de cœlo, &c.* An autem dum deſcendentem intuetur, ſi probat elevatam, juxta propoſitionem confixam? Circa hoc nihil reſol-

Caniſius.

Apocal. Ioann.

vimus, ſed doctioribus, vtrum piè de Notatis elevationibus exponi queat, reſolvendum relinquimus.

889 Idem Caniſsius, lib. 2. cap. 16. fol. 174. 176. & 180. reſolvit, Virginitatem perpetuam Virginis Mariæ ex Eccleſiaſtica traditione, non autem Scripturæ locis probari fol. 177. col. 1. circa finem ait ſic: *Eſt itaquidem, vt fatetur Eraſmus, Catholicam de Mariæ perpetua Virginitate confeſsionem ad illa pertinere dogmata, quæ non Scripturæ authoritate, ſed Eccleſiæ definitione nituntur, quæque Summo Patrum conſenſu nobis tradita tenemur credere, quam ſi Sacris Litteris eſſent expreſſa.* Non ex eo igitur quod aliquod Myſterium haud ſit in Sacris Litteris expreſſum, inde convincitur eſſe falſum, nec eſſe novum novitate deteſtabili. *Idem.*

890 Præterea, quanquam circa alia, novitates ſuſpectæ reddantur, & hoc fatemur; tamen circa Deiparæ Privilegia, collatis SS. Patrum doctrinis per Certamen hoc totum reſperſis, à calumnia falſitatis ſunt redimendæ, præcipuè dum Mariæ decent, & gloriam ejus extollunt inter terminos latiſsimos non repugnantiæ ex parte puræ Creaturæ, & Divinæ Omnipotentiæ. Propoſitioni demum ſequentia proſunt, & argumenti ſolutionem valdè corroborant. *Doct. SS. PP.*

891 Caniſsius lib. 3. cap. 13. fol. 234. per totum, mirabiles defendit Mariæ Virginis excellentias SS Patrum ſententijs ſemper munitus; ait quidem, quod *infinita dignitas Matri Dei ſecundum Doctorem Angelicum tribuenda eſt*; & poſt multa concludit, Almam Dei Matrem *eſſe ſtupendum miraculum in Cælis.* Et fol. 86. *Virginem manère & pàrere, eſſe miraculorum omniũ maximum.* Anaſtaſius Sinayta lib. 1. in Exam. *Si aliquod novum & minus conſuetum de Virgine Maria noſtra dictat oratio, obſecramus, tàm præſentes quàm futuros filios Eccleſiæ, ne inimico, invido, malignoque animo, ſed fraterno audiant quæ dicuntur, &c.* Seraphicus Doctor a Novato citatus Hom. 1. cap. 4. quæſt. 5. *Quãto humanæ conſuetudini inaudita, tanto Mariæ dignitati congruæ ſunt ejus excellentiæ, &c.* Ioannes Monachus, Ordinis Ciſtercienſis, Sorbonæ Doctor, vt videre eſt in Bibliotheca S. Martini Tornaci num. 43. in charta Pellicea fol 66. inquit: *Modo habemus primam rationem, quare vocamus Mariam Novam*: ibique proſequitur, quot novitatibus Maria ſit plena, &c. Pater Ve- *Caniſsius. Anaſtaſ. Synait. Seraphic. Doctor. Ioan Monach. Vega.*

 ga

ga in ſua Theologia Mariana, alibi citata, num 43. Loquendo de nonnullis incredulis, quantumque ſcandalicentur de iis auditis, ait ſic: *Præcipuè ipſi iniquè ferunt in Novis Beatæ Virginis privilegijs*. Nec parum præmit incredulos ipſa V. Author 3. part. Myſtic. Civit. Dei num 672. à lin. 4. vbi loquens de alio ſingulari Virginis Privilegio, inquit, quod qui judicaverit, indecere Virgini ex ratione magni, tenebitur appendere dignitatem Matris & amorem Filij erga ipſam, & hoc poſito videre & oſtendere nobis, in quo excedat Privilegium in conſpectu Divinæ Maternitatis? Hiſpana verba ſunt hæc: *Quien es o penſare, eſtà obligado à medir la Santidad de la Señora de las Virtudes, y de la Gracia, y el amor reciproco de tal Madre, y de tal Hijo, y dezirnos, quanto ſobran eſtos favores de la regla con que mide eſta cauſa, que la Fè, y la razon tienen por inmenſurable con el humano juyzio.*

Myſt. Civ. Dei, 3. p.

S. Andr. Creteuſ.

Favet S. Andreas Cretenſis ſupra relatus num. 874. in illis verbis: *Conſiderandum autem eſt, an inter miracula inveniendum ſit majus eo, quod admirabilitèr, & præter opinionem in Maria factum fuit?* Si ergo inter omnia Deiparæ privilegia, quantumvis alias nova & inaudita, nullum majus eſt, quam eſſe Matrem Dei, & in Vtero concepiſſe Vnigenitum à Patre; ex hac ergo ratione magnitudinis abſque ratione denegatur Virgini relatum Privilegium.

Arg. 2. ex Cenſ.

892 Argues 2. ex Sacris Scripturæ locis à Cenſoribus adductis. Primum eſt Ioan. 14. v. 2. *Vado parare vobis locum.* Secundum Hebræor. 6. v. 19. & 20. *Spem habemus incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi Præcurſor pro nobis introivit Ieſus, &c.* Tertium Hebræor. 10. v. 19. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam*; ſed in omnibus hijs Scripturæ teſtimonijs datur intelligi, Chriſtum Dominum fuiſſe primum, qui introivit in Cœlum: falſum eſt igitur, quod SS. Virgo fuit ab Angelis in Cœlum Empireum elevata ante Aſcenſionem dilectiſsimi Filij ſui. Hoc eſt Aquiles Authorum Suppoſititiæ Cenſuræ. Solutio autē facilis occurrit. Diſtinguendum quippè eſt inter introitum ad Cœlum ingreſſu permanenti, ſivè ad permanentiam; & introitum ad Cœlum ingreſſu tranſeunte, ſivè ad breve tempus. De introitu primo loquuntur & verificantur relati textus Scripturæ Sacræ, alijque ſimiles; de introitu autem ſecundo non loqui videntur. Solutio

roboratur à ſimili: Scriptum eſt: *Non videbit me homo & vivet;* ſed hoc verificatur de viuque permanenti, non autem de tranſeunte, quaſi concessa fertur à plurimis, tùm Moyſi, tùm Paulo, tùm (quod vniverſalius defenditur) Sacratiſsimæ Uirgini in ſtatu viatricis: Ergo, &c.

893 Confirmatur aſſumptum ex celebri doctrina Eminentiſsimi Capiſucci contiov. 20. §. 3 vbi ait: *Ad ſalvandum privilegium ſingulare Chriſti Domini ſat eſt, quod nulla anima rationalis viderit permanenter Divinam Eſſentiam in hac vita, ſed hoc reſervaretur vt ſingulare privilegium ipſius Chriſti Domini: qui vero ad breviſsimum tempus, & per modum tranſeuntis Divinam Eſſentiam in hac vita viderunt, non habuerunt privilegium illud Chriſti.* Conſimilitèr ergo, quamvis SS. Uirgo Maria per modum tranſeuntis & ad breve tempus aliquando fuerit in Cœlum aſportata, hoc quidem, nec derogat dignitatem Chriſti, nec in hoc primatum abſtulit Redemptoris, præterquam quod vt ſæpe diximus, non erat clauſum Cęlum cui non tetigerat originale peccatum; nec claudebatur ſub lege generali, quæ exempta erat à lege peccati. *Eminēnſ. Capiſucc.*

894 Vel dicendum, relatas Scripturæ Sacræ propoſitiones, à Cenſoribus oppoſitas, loqui ſolum de conceptis in peccato. Prima quidem, illa ſcilicèt, *Vado parare vobis locum*, ſatis apertè loquitur de gloria permanenti, id eſt de præparatione loci in gloriam permanentem. In ſecunda autem & tertia loquitur Paulus nomine omnium, & certum eſt, quod nomine communi non intelligitur Virgo ſingularis. Præterea, in primo textu, *Vado parare vobis locum*, etiam certum eſt quod SS Virgo Maria per ingreſſum tranſeuntem in Cœlum non eſt ingreſſa parare nobis locum. Deinde in textu ſecundo: *Præcurſor pro nobis introivit*; puriſ. ima Virgo Maria non introivit *tanquam Præcurſor pro nobis*. Deinde in tertio: *Initiavit nobis viam*, Regina Cœleſtis non nobis viam aperuit, nec pro nobis aſcendit: nullatenùs ergo elevationes tranſeuntes & ad breve tempus SS. Virginis in Cœlum derogant ſupremam dignitatem Chriſti, nec ex tribus relatis Scripturæ Sacræ teſtimonijs falſæ redduntur tales elevationes, nec temerariæ, nec contrariæ Verbo Dei. De hoc amplius infra. *Alia ſolut.*

(.1.)

§. V.

§. V.

VTRVM SIT PIE CREDIBILE, SS. VIRginem fuiſſe elevatam in Cœlum vſque ad Altiſsimi Thronum?

Propoſ. alibi deſenſ.

895 ATtinebat reſolutio quæſiti ad Art. 5. in propoſitione illa Notæ ſubjecta: *Sancti Angeli adoraverunt & honoraverunt in Throno Altiſsimi Mariam Sanctiſsimam.* Verũ, quoniam propoſitio hæc duplicem habet partem, ſcilicèt, & Mariam eſſe adoratam, & eſſe in altiſsimi Throno; de primaque egimus extenſione ſufficienti Concert. 6. ſuper Artic. 5. de ſecunda autem, licèt nonnulla diximus §. 4. ipſius Concertationis 6. ex Revelationibus Divinis S. Birgittæ deſumpta, alia tamen reliquimus hic dicenda, vt videre eſt num. 422. Ideo nunc in lumine doctrinæ SS.PP. & DD. veritatem partis affirmativæ requiramus.

S. Hieronym.

896 S. Hieronymus, ab Alberto Magno relatus in Bibliotheca Virginali tom. 1. fol. 411. col. 1. ſub lit. B. ſic ait: *Hæc eſt dies, in qua vſque ad Throni celſitudinem intemerata Mater & Virgo proceſsit, atque in Regni ſolio ſublimata, poſt Chriſtum glorioſa reſedit.* Et paulò poſt ſub lit. C. iterum dicit: *Creditur enim, quod ſalvator omnium per ſe quantum datur intelligi, feſtivus totus occurrerit, & cum gaudio eam ſecum in Throno collocaverit. Alias autem, quomodo impleviſſe creditur, quod in lege ipſe præcepit, Exod. 20. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, &c.* Hic duo liquẽt, & SS. Virginem fuiſſe collocatam in Altiſsimi Throno, & eſſe poſt Chriſtum.

S. Auguſt.

897 S. Auguſtinus, ab ipſo Alberto Magno, de laudibus Virginis *ſuper Miſſus eſt*, & in eodem fol. Bibliothecæ Virginalis etiam relatus, ſub lit. D. ait ſic: *Tibi Thronus gloriæ Regis collocatur in Aula Regni, ò Maria, teque ipſe Rex Gloriæ, vt Matrem veram, & decoram ſponſam præ omnibus diligens amoris amplexu aſſociat ſibi, &c.*

S. I. Dam.

898 S. Ioannes Damaſcenus, Orat. 2. de Aſſumpt. Uirg.

Ete-

Etenim Rex ipſe ad Matrem ſuam venit, vt diuinis ſuis & puriſsimis manibus ſanctam ac puram, & labis expertem ipſius animam ſuſciperet Et poſt pauca: *Et quid nam accidit? Elementorum (vt mea quidem opinio fert) commotio, & immutatio, vocesque & ſoni, atque Hymni Angelis digni, partim præcurrentibus, partim comitantibus, partim aſſectantibus; & quidem alij ex ipſis Immaculatæ & Sanctiſsimæ animæ ſatellitum munus obibant, atque Cœlum aſcendentem comitabantur, quouſque Regio Solio Reginam ſiſterent; alij rurſus Diuinum & Sacrum Corpus cingebant, Hymniſque, qui Angelis conuenirent, Dei Matrem celebrabant, &c.* Quid clarius?

899 S. Petrus Damianus Serm. 40. inquit: *Attende autem diligentiam & conſequentiam Scripturarum. Spiritus enim Sanctus, in cujus fabrica tam Veteris, quam Noui Teſtamenti ſunt compoſitio fabricata, Aſcenſionem Filij & Matris Aſſumptionem ſimili ſtyllo perambulans, ter interrogat:* Quis eſt ille? *Et tertio repetit:* Quæ eſt iſta? *Primum de Filio, poſtea de Matre videamus, &c.* Ibi proſequitur mirabilia. S. Petr. Damian.

900 S. Bernardus, Serm. 1. de Aſſumpt. Virg. *Verum numquid non fœliciora cenſebimus, quæ ab ore ſedentis in dextera Patris hodie in beata ſalutatione ſuſcepit, cum aſcenderet ad Thronum gloriæ epithalamium canens, & dicens:* Oſculetur me oſculo oris ſui? *Chriſti generationem, & Mariæ Aſſumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris, tantum & in Cœlis obtinet gloriæ ſingularis* S. Bernar.

901 Idem, ibid. *Pretioſſum hodie munus terra noſtra direxit in Cœlum, vt dando & accipiendo fœlici amicitiarũ fœdere copulentur humana Diuinis, terrena Cœleſtibus, ima ſummis.* Idem.

902 S. Antoninus de Florentia, opuſc. de B. Virgine Maria in Biblioth. Virg. tom. 2. fol. 561. col. 1. in fin. ait ſic: *Improportionabiliter eſt Maria ſuper Seraphim, qui eſt vltimus ordo in Suprema Hierarchia, vnde ſuper omnem Hierarchiam eſt exaltata. Vnde in figuram dicitur 3. Regum, cap. 2. Poſitus eſt Thronus Matris juxta Thronum Regis. &c.* S. Antonin 3. Reg 2.

903 S. Bernardinus Senenſis, Ser. 12. Aſſumpt. in init. ait ſic: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. Sublimis iſta altis, & ſplẽdidior Sole refulgurans (ſicut Bernardus in quodam ſermone ait) in qua Virgo Regalis ad Thronum Dei Patris euehitur, in ipſius Trinitatis ſede repoſita, naturam etiam Angeli-* S. Bernardin.

cum

cam ſolicitat ad videndum. Tota conglomeratur Angelorum frequentia, vt videat Reginam ſedentem a dextris Domini virtutum in veſtitu deaurato, in corpore immaculato, circundatam varietate, virtutum multiplicitate diſtinctam, &c. Nihil amplius deſiderabile.

Guarric. Abb. 904 Guarricus Abbas, Serm. 3. de Aſſumpt. Virg. *Veni igitur electa mea, & ponam in te Thronum meum. In te mihi quandam Regni ſedem conſtituam, de te judicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus miniſtravit in humilitate mea: nulli abũdantiùs miniſtrare volo in gloria mea. Communicaſti mihi præter alia quod homo ſum; communicabo tibi quod Deus ſum. Flagitas oſculum oris, quinimò tota de toto oſculaberis. Non imprimam labia labijs, ſed ſpiritum ſpiritui oſculo perpetuo & indiſolubili.*

Pelbart. 905 Pelbartus, lib. 10. part. 1. art. 3. inquit: *Seniores, per quos omnes Sancti deſignantur, adorabant viventem in ſæcula ſæculorum, id eſt, Chriſtum, & mittebant coronas ſuas ante Thronum, id eſt ante Beatam Virginem, in qua Chriſtus vt in Throno requievit.*

Vtin. 906 Leonardus de Vtino, Serm. de Aſſumpt. *Iſta eſt B. Virgo cum qua Deus diviſit regnum ſuum. Nam cum Deus habeat Juſtitiam & Miſericordiam, Juſtitiam ſibi retinuit, & Beatæ Virgini Mariæ Miſericordiam contribuit; ideo ſi quis gravatur a foro Juſtitiæ Dei, appellet ad forum Miſericordiæ Dei. Hebræorum cap. 4.* (*Hebr. 4.*) Adeamus cum fiducia ad Thronum gratiæ, vt Miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in tempore opportuno. *Et cum Beata Virgo ſit Thronus Miſericordiæ Dei, &c.* Hæc dignè perpendens & conſiderans Eruditus & V. Gerſon, tract. 6. *ſuper Magnificat*, ait ſic: *Ecce confugit ad Thronum Miſericordiæ reus iſte, ò Beatiſsima Virgo, Regina Miſericordiæ, defende jura curiæ Regni tui, &c.*

907 Compertum igitur & comprobatum habemus, SS. Virginem elevatam fuiſſe vſque ad Altiſsimi Thronum, vel quod ipſa ſit Thronus Altiſsimi, vel quod ipſa ſit in Altiſsimi Throno. Vtrunque patet ex relatis SS. PP. & DD. ſententijs. Verum ſi *Arg. vrg. ſolut.* quis dixerit, hæc omnia de exaltatione Reginæ Cœleſtis in die Aſſumptionis ſuæ glorioſæ ſolum intelligi; fateamur ſic eſſe: cõveniamus verò in puncto principali, in eo videlicèt, quod potuit elevari Regina Mater ad Thronum Regium Altiſsimi Filij, ſaltem in die Aſſumptionis ſuæ. Hoc poſito, dum alias piè creda-

datur, quod SS. Virgo ante Aſſumptionem ſuam Triumphantè ad gloriam permanentem, fuerit aliquando in Empireum elevata ad breve tempus, non occurrit cur vel vnde repugnet, quod etiam fuerit collocata in ipſo Altiſsimi Throno, vbi poſtea in ſæcula ſæculorum erat fœlicitèr permanſura. Conceſſo primo, non repugnantia ſecundi liquido currit.

§. VI.

QVALIFICATIONES, QVIBVS CENSOres Propoſitionem Articuli notarunt, brevitèr examinantur.

908 PRopoſitio Notæ ſubjecta fatetur abſque dubio, quin alitèr intelligi valeat, SS. Virginem ante Aſcenſionem Chriſti Redemptoris in Cœlum, ſæpè fuiſſe per manus Angelorum ad breve tempus elevatam in Empireum. Vos autem, Deputati, dicitis, hanc propoſitionem eſſe falſam, temerariam, erroneam, & doctrinæ communi SS. Patrum, & Eccleſiæ contrariam. Doctrinas SS.PP. relato Virginis privilegio contrarias invenire cupientes, nulla prorſus invenimus, quinimò ipſi Deiparæ privilegio valdè favorabiles reperimus abſque numero, ex quibus nonnullas tranſcripſimus §. 3. hujus Certaminis videndas. Cum igitur ſit ſic, nullum ſcilicèt SS. Patrum in terminis negare dictum Mariæ privilegium, miramur valdè, quot Cenſuræ Notis confixa ſit Articuli propoſitio, tanquam falſa, temeraria, erronea, & doctrinæ communi SS. PP. & Eccleſiæ contraria. Dicite nobis, vnde, & qua ratione falſitas probatur, temeritas, aut error? Oſtenſum eſt, tale privilegiũ non repugnare, nec indecère Virgini: ſimilitèr probatũ vidimus, Deũ Virgini cõtuliſſe quidquid Mariæ nõ repugnat, & componi valet cum ratione puræ creaturæ, ſalva ſemper remanente ſuperioritate Filij reſpectu Matris; ſed quamvis dictum privilegium Deiparæ concedatur, ſuperioritas Filij ſemper pollet, nec in aliquo primatus Chriſti violatur, vt probatum vidimus: Non igitur

Reſum. Prop. cõfix.

ex hac parte Notata propoſitio eſt falſa, temeraria, erronea, &c.

909 Præterea, Eminentiſsimus Cardinalis Turrecremata dum Notatas propoſitiones in Divinis Revelationibus S. Birgittę defenderet, hoc ſingularitèr committebat examini: *An præfati Articuli nobis præſentati poſsint ſuſtineri Fidei Catholicæ veritate ſalva, & abſque doctrinæ SS. Doctorum injuria?* Et dum reperiret ſic deffendi poſſe, concludit: *Per quæ arguitur, & oſtenditur veriſimilitèr, quod Revelationes B. Birgittæ à Spiritu Divino emanaverunt.* Sufficiet igitur, quod propoſitio Articuli noſtri defendi queat Fidei Catholicæ veritate ſalva, & abſque Doctrinæ Sanctorum Doctorum injuria; ſed vt oſtenſum eſt, ſalva veritate Catholicæ Fidei, & abſque SS. Patrum offenſione, Notata propoſitio valet ſuſtineri: Ergo, &c.

Turrecremat. *In Prolog.*

910 Cœterum, ignoramus, in quo Propoſitio confixa ſit Eccleſiæ contraria? Eccleſia quidem ſolemnitèr canit, quod Sanctiſsima Virgo: *Nec primam ſimilem viſſa eſt, nec habere ſequentem*, aliaque ſimilia, quæ relato Privilegio magis proſunt quam obſunt: Eccleſiæ igitur confixa propoſitio non videtur contraria. Si ergo nec Sanctis Patribus, vt viſum eſt, nec Eccleſiæ Catholicæ Notata propoſitio contrariatur: ad quid tantæ Cenſuræ tempeſtas, cum Notis rigidiſsimis, falſitatis, temeritatis, & erroris. Ad ſummum dici poterat, quod nec Sancti Patres, nec Eccleſia, aliquid de relato Deiparæ privilegio dixerũt, nec ſic eſſe, nec ſic non eſſe, quapropter locus erat Notæ novitatis, de quo jam eſt ſupra purgata confixa Propoſitio.

Eccleſia.

911 Authores Suppoſititiæ Cenſuræ triplicem Scripturæ locum in contrarium adducentes, Cenſuræ Deputatorum addiderunt, *Notatam propoſitionem eſſe Verbo Dei contrariam.* Vidimus autem, nullum ex citatis Scripturæ locum relato Virginis Privilegio fore contrarium; nec elevationes Sanctiſsimæ Virginis in Cœlum ad breve tempus, dictis Scripturæ locis contrariari; quoniam nec Sanctiſsima Virgo in diſputatis elevationibus in Cœlum *introivit parare nobis locum*, ſicut Chriſtus Dominus; Nec vt *Præcurſor pro nobis*, ſicut Chriſtus; Nec *initiando nobis viam*, ſicut Chriſtus: ipſa quippè ingreſſa eſt, & ingredere potuit, Quoniam ſine labe Originali Concepta; Quoniam in legibus communibus non incluſa; Quoniam Regina Cœli;

Suppoſit. Cenſ. *Expoſit. loc. ſcrip.*

Quo-

Quoniam Domina Angelorum; Quoniam Filia Dei Patris; Quoniam Mater Dei Filij; Quoniam Sponſa Spiritus Sancti, & quoniam Januæ Cœli nunquam fuit clauſa janua Regni Cœleſtis: & vt omnia dicam; Quoniam ſic diſpoſuit Altiſsimus, Legiſlator Supremus, qui noluit digniſsimam Matrem ſuam peccati legibus ſubjacere.

912 Poſtmodum, quid mirum ſi glorioſæ Novitates repeſiātur indies in *Opere maximo totius Novitatis*, teſte Alberto Magno, in Biblia B. Virginis Mariæ (ap. Biblioth. Virg. tom. 1. fol. 497. col. 1. ſub lit. D) vbi exponens cap. 31. Ieremiæ Prophetæ, ait ſic: *Maria eſt etiam Opus totius Novitatis, & Clauſtrum incluſionis Dei, quem totus non capit orbis, in ejus ſe clauſit viſcera factus homo. Ierem. 31.* Creavit Dominus novum ſuper terram, *imò & in cælo novum eſt & ſub terra, Virgo Graciliima, Tenerrima, quæ circundeat mirabiliter Virum gremio vteri ſui, & hoc eſt illud vas, de quo dixit Spiritus Sanctus Eccl. 43.* Vas admirabilis, Opus Excelſi, &c. *Opus quippè Novum, in cujus conſpectu extolens vocem S. Damaſcenus, Orat. 1. de Nativit. Virg. Mariæ dixit: Sileat Sapientiſsimus Salomon, nec jam nihil ſub Sole novum eſſe affirmet.* Et paulò poſt iterum exclamavit: *O miraculum omnium miraculorum maximè Novum! Mulier Seraphinis ſublimior effecta eſt.* Hucuſque Albertus Magnus. Si igitur privilegium magnum in propoſitione confixa relatum decet Virginem, in Deiparam electā, & alias non repugnat Divinæ Omnipotentiæ, nec puræ Creaturæ ſine peccato originali Conceptæ, proptèr quod clauſum eſt Cœlum Filijs iræ; non ergo negetur quia novum, cui aliena ſunt vetera peccati, & nova ſunt omnia, in qua Novum fecit Dominus ſuper terram.

Albert. Magn.

Ierem. 31

Eccleſ. 43

S. I. Dam.

ARTIC. XV.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

913 Pag. 390. num. 344. *Partus Beatiſsimæ Annæ ea puritate nituit, qua decebat ejus Filiam, cujus puritas redundabat in Matrem. Et nunquam propterea purificatione non indi-*

geret, ſatisfecit nihilominus debito communi Legis, quam exactè cō-plevit. Sic Mater illa, quæ immunis erat à Legis onere, immunda æſtimata eſt ab hominibus in Purificatione.

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

914 HÆC *Propoſitio falſa eſt, & temeraria, & Verbo Dei contraria.*

CENSVRA SVPPOSITITIA.

915 HÆC *Propoſitio falſa eſt, temeraria, & Verbo Dei contraria.* In Libello Suppoſititiæ Cenſuræ hic eſt Articulus 11.

CONCERT. XVI.

SVPER PROPOSITIONEM CONFIxam in hoc Articulo 15.

Examinā-da. 916. VIDENDA. 1. Vtrum Verſio Gallica diſcordet ab originali textu, in Exemplari Matritenſi fideliter tranſcripto. 2. Vtrum intelligentia legitima V. Abbatiſſæ ſit à Cenſoribus comprehenſa. 3. An credibile fiat V. Authoris aſſertum ex Doctrina SS. PP. & DD. hic adducenda? 4. Qualificationes Cenſorum, circa propoſitionem confixā examini committentur.

§. I.

OSTENDITVR DISCORDIA INTER Verſionem Gallicam, & Originale Hiſpanum.

Tex.Orig. 917 TExtus Originalis: *El Parto de la Dichoſiſsima Ana, fue tan puro, y limpio, quanto le convenia à ſu Divina Hija, de donde le venia la pureza à la Madre. Y aunque por eſta cauſa no tenia neceſsidad de otra purificacion, con todo eſſo pagò la*

den-

deuda à la Ley, cumpliendola puntualmente, teniendoſe en los ojos de los hombres por inmunda la Madre, que eſtava libre de las penſiones, que la Ley mandava purificar.

918 Verſio ex Hiſpano in latinum: *Partus Fœlicíſsimæ Annæ fuit tàm purus & mundus, quantum conveniebat Filiæ ſuæ Divinæ, cujus puritas redundabat in Matrem. Et quamvis ex hac cauſa non egebat alia purificatione, nihilominus ſolvit debitum legi, quam exactè complevit, in oculis hominum apparens immunda Mater, quæ libera erat à penſionibus, quas Lex purificare jubebat.* *Verſ. ex Hiſpan. in latin.*

919 Uerſio ex Gallico in latinum, prout in Articulo Cenſuræ: *Partus Beatiſsimæ Annæ eâ puritate nituit, quâ decebat ejus Filiam, cujus puritas redundabat in Matrem. Et quanquam propterea purificatione non indigeret, ſatisfecit nihilominùs debito communi Legis, quam exactè complevit. Sic Mater illa, quæ immunis erat à Legis onere, immunda æſtimata eſt ab hominibus in Purificatione.* *Verſ. ex Gallico in latin.*

920 Diſcordia patet in multis. Inprimis, pro verbo, *Fœlicíſsimæ*, ponit Verſio Gallica vocem, *Beatiſsimæ*, quæ haud nimis diſtat, nec ſenſum mutat, ſignificatum autem non eſt idem. Deinde in illis verbis: *Et quanquam propterea purificatione non indigeret*, proprietas verborúm litteralium Hiſpanici Textus nó attingitur: *Y aunque por eſta cauſa no tenia neceſsidad de otra purificacion.* Latinè: *Et quamvis ex hac cauſa non egebat alia purificatione.* Verba Verſionis Gallicæ abſolutè tollunt neceſsitatem purificationis, cùm Hiſpanica verba non abſolutè, ſed modificatè neceſsitatem auferant purificationis, ſcilicèt: *Ex hac cauſa puritatis & munditiæ partus*, quin exinde ſequatur quod ex alia cauſa non egeret purificatione. Niſi fallor, æquivocationem paſsi ſunt nonnulli, etiam ex noſtris, cogitantes ex his verbis, Fœlicíſsimam Annam diſpenſatam fuiſſe à Deo in Lege purificationis, cum revera ex littera textus, ſalva meliori intelligentia, non abſolutè dicatur fuiſſe liberam à lege purificationis. Dixerat V. Author, Partum Fœlicíſsimæ Annæ fuiſſe tàm purum & mũdum, quantum decebat Divinam Filiam, & ſtatim proſequitur: *Et quamvis ex hac cauſa non egebat alia purificatione, &c.* Et certè: *Ex hac cauſa*, ſcilicèt, cum eſſet munda, *non egebat alia purificatione*; ſed egere poterat purificatione ex alia cauſa, ſcilicèt ex legè; quapropter ſtatim ſubjungit: *Con todo eſto pagò la deuda à la Ley.* Latinè: *Nihilominus ſolvit debitũ Legi*: Ex parte igitur Le- *Diſcordia* *Alia diſc.*

gis

gis non erat libera, alias non ſolveret debitum Legi, ſed volũtariè adimpleret Legem, & non *ex debito.*

Proſeq. prob. diſc. 921 Roboratur aſſumptum ex Lege purificationis Levit. 12. v. 5 & 6. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperetit maſculum, &c. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ, &c.* His immunditijs communibus liber fatetur Partus Fœlicisſimæ Annæ, & ex hac parte, vel ex hac cauſa, carentiæ ſcilicèt communis immunditiæ, non egebat alia purificatione, ſed egère poterat alia purificatione ex alia cauſa, ſcilicèt ex Lege Levitici: Non igitur ex littera Textus Originalis ſic libera fuit Sanctisſima Anna à Lege purificationis, ſicut à Cenſoribus intellectum eſt

Proſeq. diſcord. 922 Detegitur amplius diſcordia Verſionis Gallicæ ab Hiſpanico Textu, *Satisfecit nihilominus* (inquit Verſio Gallica) *debito communi Legis, quam exactè complevit.* Textus Originalis non ait, *ſatisfecit debito communi Legis*, ſed debito Legis: *con todo eſto pagò la deuda a la Ley cumpliendola puntualmente.* Latinè fidelitèr: *Nihilominus ſolvit debitum Legi* Hic non dicitur, quod ſolvit debitum commune, ita vt expreſsè excludatur debitum perſonale; Ex vi ergo litteræ libera non manet SS. Anna à debito Legis purificationis.

Legit. intellig. 923 Præterea, vt magis Cenſores oſtenderent, quod SS. Anna libera erat abſolutè à Lege purificationis, proſequuntur ſic: *Sic Mater illa, quæ immunis erat à Legis onere, immunda æſtimata eſt ab hominibus in purificatione.* In primis punctum adhibét vbi non eſt in textu ante ſylabam, *ſic*, imò illa ſylaba, *ſic*, non eſt in Originali Hiſpanica verba ſunt: *Teniendoſe en los ojos de los hombres por inmunda la Madre, que eſtava libre de las penſiones que la Ley mandava purificar* Latinè fidelitèr: *Apparens in oculis hominum tanquam immunda Mater, quæ libera erat à penſionibus, quas Lex purificare jubebat.* Aliud quidem eſt, quod SS. Mater Anna libera foret à penſionibus quas Lex purificare jubebat, ſcilicèt ab immuditia fluxus menſtrui, &c & aliud, quod SS Mater Anna libera eſſet à Lege purificationis. Primum expreſsè fatetur in textu; *El parto de Santa Ana fue tan puro, y limpio, &c.* Secundum autem, meo videri, ſalvo ſemper meliori, ibi

Conf. intellig. non dicitur. Certe quidem in hoc puncto, vel Verſio Gallica

in-

infidiſsima proceſsit, vel Cenſores, Verſionem Gallicā in latinum reducentes, apicem litteræ non tetigerunt. Quomodocunque ſit, ex vi litteræ Textus Originalis arbitror, SS. Matrem Annam ibi non depingi liberam à Lege purificationis, ſed liberam ab immunditijs & penſionibus quas Lex purificare jubebat. Quoniam autem intellexerunt non pauci, etiam ex noſtris, V. Abbatiſſam liberam prædicare SS. Matrem Annam a Lege purificationis, dato & pro nunc libentèr conceſſo quod ſic ſit, ad piam credibilitatem quærendam ex dictis SS. PP. in §. ſequenti tranſibo.

§. II.

AN SIT PIE CREDIBILE, SS. Matrem Annam ex Divina diſpenſatione fuiſſe liberam à Lege purificationis.

924 ASſerit expreſsè V. Abbatiſſa, quod partus Fœliciſſimæ Annæ fuit mundus ab impuritatibus comunibus, & quod ex hac parte nō indigebat alia purificatione. Hoc certiſsimè dicitur in littera textus. Vtrum autem in eadem propoſitione confixa, prout ad Originale proprium reſtituta, etiam dicatur, SS. Annam abſolutè fuiſſe liberam a Lege Purificationis, vel non? Negativam tenui, omnibus perpenſis ipſius confixæ propoſitionis circunſtantijs, vt videri poteſt §. antecedenti. Quoniam vero partem affirmativam ſecuti ſunt Cenſores, & non ſolum ipſi, quin & ex noſtris non pauci; ideo gratis conceſſo, id affirmaſſe V. Matrem; de poſsibilitate & decentia, imò & de rationabili credibilitate hujuſmodi Privilegij, conſultis Sanctis Patribus diſputare decrevi. Dicendum igitur nobis eſt, fore piè credibile, relatum privilegium, libertatis ſcilicèt à Lege purificationis, Sanctæ Annæ fuiſſe conceſum. Aſſertum videamus in lumine SS. PP. *Ex ſuppoſit.*

925 S. Hieronymus, Serm. de Nativit. Virginis, loquens cum Sancto Joachim, ait ſic: *Proinde Anna Vxor tua pariet tibi Filiam, & vocabis nomen ejus Mariam. Hæc erit, vt voviſtis, ab* *S. Hieronym.*

In-

Infantia ſua Domino conſecrata, & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex Vtero Matris ſuæ; ſed piè credibile ſit, Filiam Spiritu Sancto repletam in Vtero Matris, quanplura dona Gratiæ & ipſi Matri inſtrumentalitèr participaſſe: Ergo, &c.

S. I.Dam. 926 S. Ioannes Damaſcenus, Orat. 1. de Nativit. Uirg. *Hodie ex terrena natura Cœlum in terra ille condidit, qui olim firmamentum ex aquis fixerat, atque in altum extulerat.* Et paulò poſt, eàdem Oratione: *beati lumbi & Venter, ex quibus prodyſti, ò Maria. Beatæ Vlnæ quæ te geſtaverunt, & labia, quibus tuis puris oſculis frui conceſſum eſt* Et alijs paucis interjectis, in eadem oratione prima: *O Beatos Joachimi lumbos, ex quibus prorſus immaculatum ſemen fluxit O præclaram Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis, ex ea auctus, atque formatus fuit Fœtus Sanctiſsimus. O Beatum Ventrem, qui vivum cœlum, Cœlis ipſis latius, peperit, &c.* In his tanti Doctoris authoritatibus notandum eſt, quoties repetatur, *Beatus Venter, Beata Vulva, Beatæ Vlnæ, &c.* Quibus conſonare videtur Privilegium totius puritatis in Partu Fœliciſſimæ Annæ, vndequaque mundiſsimo.

S.Germanus. 927 S. Germanus, Serm. de Nativit. Virg. loquens cum Deipara, ait ſic: *Beatus quippè reverà ex Viris Pater tuus, & Beata ex mulieribus Mater tua: Beata domus tua: Beati noti tui: Beati qui te audiunt: Beati qui tua conſuetudine vſi fuere: Beati qui tibi miniſtrarunt: Beata loca, quæ calcaſti: Beatum templum, ad quod adducta es, &c.* Idem, ibid. proſequens, ait ſic: *Quæ verba cum Zacharias audiſſet, ſtatim ita Annam alloquitur: Benedicta radix tua, mulier veneranda: Honoratus, glorificatuſque eſt Venter tuus, Viro tuo amata, maximèque glorioſa eſt hæc deductio tua, Deo dilecta, &c.* Inter tot beatitudines, Cœlique & terræ benedictiones, quis dicet indecère Privilegium de quo in Articulo? Venter ita Beatificatus maneret impurus?

S.Bernardin. 928 S. Bernardinus Senenſis, Serm. 1. de Nomine Mariæ: *Propterea Maria non vnam tantum, ſed multiplicem interpretationem habet: vt ſicut ejus incomprehenſibilitatem enuntiamus, ſic & glorioſam Virginem multis nominibus deſignamus, & nunc lucem, & Novum Solem, & hujuſmodi nominare ſolemus, vt ſic ad ſublimitatem ejus cognoſcendam aliquantulum pertingamus. Proinde fortè nō nominavit eam Angelus in Evangelio hodierno, volens potiùs venerari ſilentio, quod non potuit eloquio.* Si igitur Virgo Maria lux

eſt,

eſt, & Sól: Venter igitur Annæ domus erit lucis, & domus Solis: domum autem lucis non decet puritas?

929 S. Anſelmus Cantuarienſis, Opuſc. de Beata Deigenitrice Maria, cap. 7. in Bibliotheca Virginali, tom. 2. fol. 401. col. 2. ſub. lit. C. inquit: *Nihil tibi Domina æquale. Et certè vt ad hanc excellentiam pervenires, in humillimo loco, id eſt, in Vtero Matris tuæ puriſsima oriebaris.* Si ergo puriſsima oriebatur Virgo Maria in Vtero Matris ſuæ: caruit igitur Mater ſua SS. Anna impuritatibus, &c. S. Anſelm

930 S. Ildephonſus, Serm. de Nativit. Virg. *Quia Maria Virgo non ſic eſt nata, ſicut ſolent pueri, vel puellæ naſci, miraculoſus fuit partus, &c.* Sed omne hoc inducit cogitare, SS. Annam in partu ſuo caruiſſe impuritatibus communibus, ex lege purificandis: Ergo, &c. S. Ildephõſ

931 S. Laurentius Juſtinianus, Serm. de Nativit. Virg. Mariæ: *Illam profectò adhuc in Matris vtero decubantem adamavit Verbum, ſibique in Genitricem elegit.* Cui addenda celebris ſententia S. Petri Chryſologi, Serm. 140. *Quomodo non ante cõceptum Mater, quæ poſt partum Virgo? Mater aut Genitrix quando non, quæ ſæculorum genuit Authorem?* Dum igitur in vtero Matris Annæ decubantem adamavit Verbum Mariam, tanquam Matrem, nihil mirum ſi fœlicem vterum benedictionibus Cœleſtibus, & Privilegijs ſingularibus cumulavit. S. Laurẽt.

932 S. Petrus Chryſologus, Serm. 90. S. Ioannis: *Egreditur Pontifex, geſtans in ore ſterilitatis indicium, portans in pectore Conceptionis figuram, vt cum Mater pareret Filium, daret Filius vocem, & ante natus daret Patri veniam, quàm dilueret crimina vetuſta populorum.* SS. ergo Maria ex Anna naſcens, cũ nihil habeamus niſi per ipsã, credibile fit, quod prius impetravit digna Matri puritatis Privilegia. Regina ſic liberalis cum ſervis ſuis, non foret amplius liberalis cum Matre ſua? S. Petr. Chryſolog.

933 S. Andreas Cretenſis, (ſancti titulo laureatus in Bibliotheca Virginali, tom. 2. fol. 786. col. 1. ſub lit. B.) Orat. 1. de Nativit. Virg. ait ſic. *Hodie gratia, myſticum dealbans divini Sacerdotis Ephod, Levitico typicè prætexuit ſemine; Deuſque, regalem inficiens purpuram, Davidico ſanguine purpuravit. Atque vt Verbo dicam, hodie humani generis reformatio incipit, &c.* Et fol. 791. col. 1. ſub lit. C. ait. *Cum itaque ſobria, ac caſta Anna fieret fæcunda Parens, quæ priùs erat infæcunda: quid porrò ea* S. Andr. Cretenſ.

prolis ſuſceptione venerabilius? Quid vero ampliorem habens admirationem, quam vt Dei Matrem ab experte ſeminis vtero: aperto quidem, ſed non corrupto, caſtitatis fructum proferre videamus, ac Virginem ex infœcunda, ac ſterili fœmina perminantem? Quorſum hæc? Nimirum, vt excellenti ejus miraculo, Matris miraculorum confirmaret, &c. Inter tot miracula, totque mirabilia, quid mirandum, propoſitum Privilegium credibile fieri, vterumque nõ corruptum, quanquam apertum, manſiſſe puriſsimum?

934 Pro munditia & puritate partus Fœliciſsimæ Annæ contextatur authoritas privatæ Revelationis S. Birgittæ, to. 2. lib. 6. cap. 56. fol. 114. col. 2. circa med. vbi ait SS. Virgo Maria: *Nunc autem conquaror, quod illa fœminæ, quæ generantur, & generant cum horrore, & naſcuntur cum immunditia, & delectantur in ea, non attendunt mundiſsimã Nativitatem meam, ſed pejores ſunt jumentis, quia vivunt ſine ratione, &c.* ſed dum Nativitas SS. Virginis mundiſsima profitetur, etiam partus S. Annæ puriſsimus & mundiſsimus debet eſſe: Ergo, &c.

S. Birgitt.

935 Albertus Magnus, in Bibliotheca B. Virg. Mariæ: *Ipſa etiam eſt, quæ in Nativitate ſua, & per ſuum Ortum in mundum, totam Eccleſiam luce gaudij immenſi perfudit. Eſter.* 8. *Judæis (id eſt Chriſtianis) nova lux (id eſt Maria) oriri viſa eſt, quando ſcilicèt nata eſt, & ipſa eſt gaudium Mœſtorum depreſſorum, & tripudium omnium Sanctorum.* In luce gaudij immenſi totam Eccleſiam perfundenti, credibile non fit, quod fœliciſsima Mater tantæ lucis, tantique gaudij, Cœleſtibus careret privilegijs? Immũda maneret, quæ lucem mundiſsimam, gaudium annuntiantem vniverſo mundo, ex Vteri ſui Cœlo læta pareret? Peperit lucem, & ipſa tenebroſa maneret? Peperit gaudium, & ipſa maneret triſtitia impuritatum?

Albert. Magn.

936 Rupertus Abbas, in Cant. *Quando nata es, Virgo Mater, tunc verè nobis Aurora ſurrexit: Aurora prænuntians diei ſempiterni; quia ſicut Aurora quotidiana finis præteritæ noctis, & initium diei ſequentis, ſic Nativitas tua finis dolorum & conſolationis fuit initium: finis triſtitiæ, & lætitia nobis extitit principium.* Cui jungenda ſententia S. Bernardini Senenſis, Serm. 4. de Conceptione Virginis: *Tu fabricatus es Auroram & Solem, id eſt, Beatam Virginem in Conceptione ejus & Nativitate* Si igitur Maria Naſcens, tùm Aurora eſt, tùm & Sol, tùm finis dolorum,

Rup. Abb.

S. Bernardin. Senenſ.

tùm

tùm & conſolationis initium; tùm finis triſtitiæ, tùm & lætitiæ principium: in tanta luce, gaudio, lætitia, & conſolatione generali, ſine privilegio dicto maneret Mater dignißima tantæ fœlicitatis?

937 Guarricus Abbas, Serm. 1. S. Ioannis Baptiſtæ, exponens illud: *Intravit Maria in domum Zachariæ & ſalutavit Eliſabeth. Et factum eſt, vt audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit Infans in Vtero ejus: & repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabet*, inquit Inſignis Abbas: *Vox Mariæ, dum auribus Eliſabeth inſonat, ad cor Ioannis penetrat, qui abſtruſſus intra Materna latebat Viſcera. Et virtus vocis Mariæ pleniorem infudit Prophetiam, adeò vt etiam de plenitudine Filij copioſsè videatur in Matrem refundi. Verè Gratia plena Maria: Manifeſtè Deus totius Gratiæ in ea erat, de cujus magnificentia tàm copioſsè, tam magnificè, principaliter in Matrem, de Matre in Ioannem, de Ioanne in Parentes, Gratiæ largitas profluebat.* Nunc ſic: Si plenitudo Gratiæ Virginis Mariæ, de ipſa in Ioannem, & de Ioanne, in vtero Matris clauſo, in Eliſabetham Matrem ſuam refunditur: quanto dignius, quanto propinquius, quantoque ſuperabundantiùs de ipſa SS. Uirgine in Maternis viſceribus incluſſa, dum Puriſsima foret, & Tota Pulchra, ipſa puritas redundaret in Matrem? Num, liberalior eſt Ioannes cum Matre ſua, quam cum ſua Virgo Maria? *Guarric. Abb.*

938 Doct. Oſſuna, part. Occid. Serm. 16. *Contemplemur ergo Deiparam Virginem, ac benedicamus Ventri eam portanti, quæ jàm præcellens eſt, vt ſe vocet primogenitam ante omnem creaturam. Creaturam dixit, vt Chriſto Noſtro Salvatori exhiberet honorem, qui potiùs eſt Prædeſtinator, quam Prædeſtinatus; nam vbi dicitur:* Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei, &c. *alia tranſlatio habet: Qui declaratus eſt Filius Dei, &c.* Et paulò poſt: *Nos igitur omnes Mariæ dicamus: Beatus Venter, qui te portavit pro cunctorum remedio, &c.* Extollamus ergo vocem, Beatum Ventrem prædicantes, qui portavit SS. Virginem, ea puritate nitentem, qua major ſub Deo nequit intelligi; & dum Puriſsimam Filiam naſcentem profitemur, puritatem in Matrem redundantem pia ratione veneremur. Cœterum, *Maria plus contulit ſuis Progenitoribus, quam ab illis accepit*, vt fert Caniſsius de Maria Deipara lib. 1. cap. 11. fol. 56. col. 2. in fine; & dum è SS. Virgine in Matrem ſuam, gratiæ, favores, benedictiones, privilegia, & puritates *Doct. Oſſun.* *Caniſsius.*

redundare videntur, ipſa Cœleſtis Regina, *Parens Parentis* quoad hoc vocitari valebit: Caniſsius in al. ſenſ. lib. 3. cap. 20. fol. 259. col. 1. circa finem.

§. III.

OBIECTIONI PRINCIPALIORI ſit ſatis.

Angelic. Doct. 939 IN oppoſitum offeres Angelicum Magiſtrum 3. part. quæſt. 27. art. 6. in corp. vbi ait: *Nec eſt credendum, aliquos alios ſanctificatos eſſe in vtero, de quibus ſcriptura mentionē non facit, quia hujuſmodi privilegia gratiæ, quę dātur aliquibus præter legē cōmunē, ordinantur ad vtilitatē aliorū, ſecundum illud. 1. Corint. 12.* Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatē: *Quæ nulla proveniret ex ſanctificatione aliquorum in vtero, niſi Ecclesiæ innoteſceret.* *Cayetanus* Sequitur Cayetanus his verbis: *Credendum eſt, quod nullus ſimpliciter in toto temporis decurſu fuit, eſt, aut erit ſanctificatus in vtero, niſi qui in littera explicantur. Non defuiſſe tamen audivimus temeritatem modernam cujuſdam mulierculæ, ſanctificatam ſe in vtero profitentis, & fortè fuit ſanctificata in vtero, non Materno, ſed proprio, velut Berſabee Deo puniente ſuperbiā illius, &c.* Ergo juxta mentem Angelici Doctoris, nullum privilegium, quod conceſſum dicatur creaturis aliquibus præter legem communem, ſit credibile fore conceſſum, dum id Scriptura Sacra non narrat; ſed ex Sacra Scriptura non conſtat, Privilegium excludens à lege communi purificationis, fuiſſe conceſſum SS. Annæ: Non ſit ergo credibile, id ei fuiſſe conceſſum.

Reſp. Arg. 940 Reſpondetur in primis, ex ipſis verbis Doctoris Angelici, haud fieri incredibile, relatum privilegium SS. Annæ fuiſſe conceſſum. Hoc patet ex illis verbis: *Privilegia gratiæ, quæ dantur aliquibus præter legem communem, ordinantur ad vtilitatem aliorum*; ſed nullum opus eſt potiùs ordinatum ad vtilitatem aliorum, quam Myſterium Incarnationis, ad quod ordinata eſt Deiparæ Conceptio, omniaq; Privilegia collata SS. Uirgini ejuſque SS. Parentibus: Ergo, &c. Præterea, quaſi conexum eſt, *Rat. vrg.* SS. Virginem naſci puriſsimam, ejuſque Matrem impuritatibus

carère: Si ergo Deiparam naſci puriſsimam ordinatur ad vtilitatem aliorum, conſimilitèr & Matrem ſuam impuritatibus carère ordinabitur in vtilitatem aliorum. Nec enim Nativitas Virginis ſic mundiſsima & puriſsima foret, ſi Partus SS. Annę puriſsimus & mundiſsimus non eſſet.

941 Præterea, non obſtanti Doctoris Angelici veneranda ſententia, de multis legitur fuiſſe ſanctificatos in vtero præter legem communem, de quibus Scriptura Sacra id non expreſsè commemorat. Nonnullos adducam, quos ex approbatis Doctoribus noſter Inſignis Alva collegit. Quos ex ſequentibus Scriptura Sacra favet, adnotavitur ſuis in locis.

942 S. Ioannes Baptiſta, Præcurſor Chriſti Domini, fuit in vtero Matris ſuæ ſanctificatus; Vide S. Bernardum Epiſt. 174 & 765. S. Ambroſ. lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 35. S. Auguſtinus, Serm. 21. Et videantur Expoſitores ad cap. 1. Lucæ. *S. Bernar. & alij.*

943 S. Ioſeph, Sponſus Virginis Mariæ, & putativus Pater Chriſti Domini, fuit ſanctificatus in vtero, propter varias rationes, quæ videri poſſunt apud Gerſon, de Conjugio Virginis, part. 4. Et in Serm. de Nativ. Virg. S. Irenęus. S. Iſidorus, de Prærogat. S. Ioſeph. Ezquius, de præd. cont. 3. moral. col. 307. & alij quanplures. *S. Iſidorus & alij.*

944 S. Iſaac Patriarcha, Chriſti Typus baiulantis Crucis lignum, ſanctificatus in vtero creditur à Doctore Illuminato Franciſco Mayron, tract. de creatione animæ Virgin. qui extat ad finem Operum ejuſdem. Salvator Vital. in floret. Alvernino, fol. 131. *Mayron.*

945 S. Jeremias Propheta, ſanctificatus fuit in vtero Matris ſuæ. Vide Doctores ad illud Jeremiæ, cap. 1. verſ. 5. S Iſidorus Hiſpalenſ. S. Thom. S. Bonavent. S. Athanaſ. S. Petrus Damianus. S. Ambroſius, & Expoſitores illius loci ejuſdem Prophetæ: *Dominus ab vtero vocavit me, &c.* quos hic brevitatis cauſa omitto, & quia res communis eſt. *Angel. D.*

946 S. Jacob Patriarcha, etiam dicitur ſanctificatus in vtero. Ita Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ in cap. 25. Geneſ. Dionyſius Carthuſianus, ibid. S. Ambroſius, lib. 4. de fide, cap. 4. Carthagena, qui citat pro hac ſententia S. Auguſtinum, & S. Athanaſium, alioſque Doctores. *S. Ambroſ*

947 S. Iſaias, Propheta Evangelicus, etiam dicitur ſancti-

fica-

Doct. Illuminat. ficatus in vtero. Doctor Illumin. Franciſcus de Mayronis, Ser. S. Ioannis Baptiſt. Bartholom. de Piſis, Serm 37. Quadrageſ. Qui eſt Dominicæ Paſsionis in init. Et Expoſitores ad cap 44. Iſaiæ, verſ. 2. & ad cap. 49. verſ. 1.

948 S. Moyſes, Legiſlator, atque Populi Hebraici Dux, etiam dicitur ſanctificatus in vtero. Ita S. Ephræm, Syrus, in tract. de Transfiguratione Domini, apud Ioannem de Cartagena, lib. 4. Homil 3. fol. mihi 339. Ipſum quoque citat Claudius Dauſquius, in Uita S. Pauli, lib. 1. cap. 4 fol. 22. *S. Ephrem*

949 Sampſon Nazarenus, etiam dicitur ſanctificatus in vtero Matris ſuæ, prout multi id colligunt, ex illo: *Erit enim Nazarenus Dei ab infantia ſua, & ex Matris vtero, &c.* Benedictus Pereyra, in cap. 28. Geneſ. Carthag. tom. 1. de Arcanis Deiparæ, lib. 4 Homil. 3. Claud. Dauſq. cap. 5. *Carthagē.*

950 S. David, Rex & Propheta dicitur, ſanctificatus in vtero. Ita opinari videtur S. Bernardus in Epiſt. ad Lugdun. dicens: *Videris & tu, an & de S. David idipſum liceat opinari, pro eo, quod dicebat: In te confirmatus ſum ex vtero, & de ventre Matris meę tu es protector meus, &c.* Dauſquius lib. 1. cap. 5. Vide Lorinum, & alios Expoſitor. ad prædictum Pſalm. *Lorin.*

951 S. Jacobus, Frater Domini, etiam ſanctificatus dicitur à nonnullis in vtero matris ſuæ. Sic Egipſius, lib. 5. ſui Comment. Euſeb. Cæſarien. cap. 23. Simeon Metaphr. apud Truxillium, Petrus de Natal. in ejus vita. Carthag. loco ſupra citat. Et Concionat. Belgiuc, Vital in floreto, fol. 129. Michael de la Purific. in Vita Evang & Apoſt. fol. 300. *Sim. Metaphraſt.*

653 S. Paulus Apoſtolus, numeratur à multis inter ſanctificatos in vtero. Sic S. Hieronymus, in cap. 1. Jeremiæ S. Irenęus, lib. 5. vt refert Suarez in 3. part. S. Bernardus, Epiſt. 174. S. Auguſt. Epiſt 57. Anaſtaſ. Nice. in quæſt. Sacræ Scripturæ in 6 tom. Bibliothec. Vet. Patrum Epiſt. 59 Carthagena loc. ſup. cit. & Concion. Belgic. Vide Dauſquium in lib. de hac re edito. *S. Bernar.*

654 S. Martinus, Sanctiſsimus Chriſti Confeſſor, & Epiſcopus, dicitur Sanctificatus in vtero Matris, ſecundum Marcum Marullum, citatum à Michaele de la Purific. in Vita Evangelica, & Apoſtolica Frat. Minorum, cap. 1. tract. 2. part. 3. fol. 300. *Marc. Marull.*

Che-

955 Cherubicus Pater noſter S. Dominicus, Inſignis Prędicatorum Ordinis Fundator, dicitur ſanctificatus in vtero Matris. Ita Sanctus Antonin. 3. part. Sum. tit. 18. cap. 5. § 6. fol. 70. col 3. Carthagen. lib. 4. Hom. 3. fol. 340. Concionator Belgic. apud. Dauiq cap. 6. *S. Antonin.*

956 S. Nicolaus Epiſcopus, dicitur ſanctificatus in vtero. Ita Laurentius Surius, in Vita ſua. S Antonin. 3. part. Sum. tit. 18. cap. 5. §. 6. fol. 70. col. 3. Carthag. Et Concion. Belgic: vbi ſupra. *Carthagē.*

957 S. Remigius, Epiſcopus Rhemenſis, dicitur ſanctificatus in vtero. Ita Lyppoman. in ejus Vita. Laurentius Surius, ibid. tom. 1. ad diem. 13. Iannuarij, fol. mihi 281. Michael à Purificat. part. 3. tract. 2. cap 1. *Lyppomā.*

658 S. Aſſella, Virgo Romana, dicitur in vtero Matris ſanctificata. Ita S. Hieronym. ad Marcell. Epiſt. 15. Franciſcus Heræus. Varonius in Martyrolog. die 6. Decemb. Carthagen. Cornel. à Lapide. *S. Hieronym.*

959 Stephanus Presbyter, alias Steban dicitur, in vtero ſanctificatus. Ita Marcus Marullus, lib. 4. de corporis caſtigat. cap. 1. fol. mihi 170. Michael à Purific. part. 3. tract. 2. cap. 1. fol 300. *Michael à Purific.*

960 Gregorius Calaritanus, Epiſcopus Suelenſis, dicitur ſanctificatus in vtero. Ita Dimas Serpi, in Apodix. Sancti, & Chron. SS. Sardiniæ, & Carthagen. loco ſæpe citato. Vital. fol. 126. *Dimas Serpi.*

961 Rufinus Minorita, & Sotius S. P. N. Franciſci, de quo ſcriptum eſt, quod fuit ſanctificatus à Domino, & canonizatus in Cœlo dum adhuc viveret in hoc mundo, quaſi ſanctificatus in vtero. Ita ſpeculum antiq fol. 1. Boſquier in antiquit. Franciſcan. nota 1. Spoelberc. part. 2. licèt aliqua mutaverit verba. Michael à Purific. fol. 300 *Spec. Antiq. Min.*

962 Theophanes, ab alijs dictus S. Iſachius, dicitur ſanctificatus in vtero matris ſuæ. Ita Simeon Metaphraſt. & Laurentius Surius, tom. 2 ad diem 12. Martij. *Laur. Sur.*

663 S. Benedictus, Pater & Patriarcha Benedictinorum, dicitur ſanctificatus in vtero, vt probabile judicat Frater Antonius de Yepes, in Chron. Benedictin. tom. 1. cent. 1. cap. 1. *Yepes.*

664 S. Bernardus, Pater & Patriarcha Inclytus Ciſterciē-

ſium,

Abb. Bonæ Vall. ſium, ſanctificatus quoque dicitur in Utero Matris, vt indicat probabilitèr Abbas Bonæ Vallis, lib. 2. cap. 14.

965 S. Victor, Sanctiſsimus Chriſti Confeſſor, de quo loquens S. Bernardus, Serm. 2. inquit: *O Virum præcipuę ſanctitatis! qui ante Sanctus quam natus; ante opere, quam nomine Victor; adhuc vtero clauſus, jam de hoſte triumphavit, &c.* *S.Bernar.*

966 Seraphicus P. N. S. Franciſcus, in cujus gratiam Doctiſsimus Alva & Aſtorga laboravit ſuper hoc puncto, dicitur in vtero matris ſanctificatus. Hanc tenuit opinionem Vngarus, ſivè Ripa Salutis, Serm. de S. Franc. in ordin. 92. quam poſtea latiſsimè defendit, & probat pluribus rationibus, & ſolvit argumenta contraria Frater Salvator Vitalis, in Floreto Albern. fol. 111. & in Apod. Sanctitatis & Puritatis S. Franciſci, pag. 40. 41. & 42. Fuit tamen delata Romæ, & ejus examen commiſſum Inquiſitori Generali Florentiæ: ſed tandem abſque vlla Cenſura evaſit liber, ſubſcriptus ab ipſo Inquiſitore Generali Clemente Ægydio, & à Conſultore Inquiſitionis Magiſtro Eliſyo, quem poſtea probarunt Bonaventura Pacinus Caſtellina, & Frater Daniel de Ritibus. Zea fol. 83. Etiamque fuit in Vniverſitate Complutenſi, in publicis concluſionibus defenſata. Id etiam indicat Philippus Boſquius, tom. 2. concl. 1. de S. Franciſco, fol. 948. Et Rebolled. 1. part. Chron. cap. 1. fol. 2. col. 1. Pelbart. Serm. 1. de S. Franciſco. Hanc ipſam tenet ſententiam Michael à Purificat. lib. de Vita Evangelica & Apoſtolica Fratrum Minorum, part. 3. tract. 2. cap. 1. fol. 299. rationibus, argumentis, atque congruentijs. Et in Theatro Seraphico hæc inveniuntur verba: *Beatus Franciſcus accepit in vtero vna cum ſanctificatione confirmationem in gratia.* Præterea R. P. Gregorius Bella, Lector Jubilatus Florentiæ, hanc tenuit & publice defendit concluſionem titularem: *B. Franciſcum in vtero fuiſſe ſanctificatum piè tuemur, & tanquam probabile opinamur.* Videatur de hac re Vitalis, pag. 47. & 48. Et Piſſanus lib. 1. fruct. 2. pag. 23. col. 3. Et Speculum, cap. 88. pag. 72. col. 1. *Aſtorga.* *Salvat. Vital.* *Zea.* *Theatr. Seraph.* *Vitalis & Piſſan.*

967 Ex his omnibus redeamus ad venerandam Angelici Doctoris ſententiam, ex qua principalitèr reſolvendum, quam difficile concedenda ſit in legis communis diſpenſatio, abſque Scripturæ Sacræ, vel Eccleſiæ teſtimonio. Fatemur hoc; & ea propter allatas ſententias nec approbamus, nec damnamus,

quod

quod non attinet ad judicium noſtrum; verum ex relatis opinionibus, hactenùs ab Eccleſia non damnatis, & juxta Sancti Pontificis Innocentij XI. Decretum, ſolum Apoſtolica poteſtate damnabilibus, conſurgit argumentum. Caſu dato, quod cum tot ſanctificatis in vtero diſpenſatum ſit in lege communi; ſanctitateque eximia celeberrimæ Matris Annę dignè perpenſa: vnde fiet incredibile, quod in partu ejus fœliciſsimo, quo lux oriebatur, impuritatibus careret tàm Filia, quàm Alma Parens? Incredibile fiet Privilegium diſpenſationis à lege cõmuni in Avia naturali Chriſti Domini, quod piè credibile factum eſt probabilitèrque defenſabile in relatis Servis ipſius Chriſti Domini? Indecet S. Annæ, quod decet alios Sanctos, ſcilicèt, cum eis diſpenſari in lege communi, cum SS. Anna diſtet ab eis, quanto differentiùs præ ipſis nomen hæreditavit, Aviæ naturalis Chriſti Domini, & Matris Naturalis Reginæ Cœleſtis? *Innoc XI. Decret. alibi cit.*

§. IV.

NOTÆ PROPOSITIONIS CONFIXÆ VOcantur ad examen; Authoreſque redarguuntur vtriuſque Cenſuræ.

968 INtellexiſtis, Cenſores, V. Abbatiſſam dicere, & aſſerere, SS. Annam, omnino & abſolutè fuiſſe liberam à Lege communi Purificationis. Hoc ſuppoſito, quod mihi non certum eſt, ſic propoſitionem confixam qualificaſtis: *Hæc propoſitio falſa eſt, & temeraria, & Verbo Dei contraria.* Incipiamus ſingulare Certamen. In quo falſa eſt talis propoſitio? Num repugnat Legiſlatori, in Lege diſpenſare? Num indecet digniori Matri ſanctioris creaturę hujuſmodi diſpenſatio? Num Lex purificationis haud facta conſpicitur pro filijs Adæ, & filiabus Evæ, in peccato originali conceptis, & in ſuis activis conceptionibus Originale peccatum in prolem conceptam tranſfundentibus? Num SS. Filia quæ naſcitur, concepta eſt in lege peccati? Si igitur omnia hæc vera ſunt, ſcilicèt, quod SS. Mater Anna, Mater profitetur ſanctioris purę creaturę, quę vnquã fuit, eſt, aut erit: quod Filia ejus cõcepta fuit ſine peccato originali, & *Reprod. Cenſ.*

abſque impuritatibus culpæ: quod Nativitas ejus miraculis
Caniſsius. fuit plena, vt ait Caniſsius de Maria Deipara, lib. 1. cap. 12. fol. 65. col. 1. imò, vt vocibus SS. PP. formalitèr loquar: Filia quæ naſcitur Abyſſus eſt gratiarum & miraculum Omnipotentię, à legibus communibus excluſa, Tota Formoſa, Tota Pulchra, Tota Puriſsima, Luce purior, Sole ſplendidior: ſi hæc, in quã, vera ſunt, ex qua parte ſuadetur Partũ lucis fuiſſe tenebroſum, & Nativitatem Puritatis inveniri ſorditatem, aut ſordibus plenam? Quid Puritati impuritas, macula Immaculatæ, & tenebræ luci?

Arg. ex ſuppoſit. 969 Convictum igitur ſupponamus in primis, id quod abſque lite expreſsè reperitur in littera originali, ſcilicèt, Partum Fœliciſsimæ Annæ fuiſſe Mundiſsimum & Puriſsimum ab impuritatibus & immunditijs cæterarum mulierum in ſimili caſu. Etenim abſque hoc privilegio, nec Nativitas Virginis Mũdiſsima & Puriſsima foret: ſi igitur hoc negari non valet, & ſic credibile fit, vt contrarium exhorreſcat: jam ex hac parte privilegiatam conſpicimus, & Nativitatem Mariæ, & Puritatem Matris ejus. Hoc ſemel ſtabilito, vnde falſum erit, vel incredibile, Fœliciſsimam Matrem Annam, in Partu Filiæ Divinæ impuritatibus carentem, haud indigiſſe ex hac parte alia purificatione? Vnde probatis eſſe falſum, quod nec repugnat ex parte Dei, nec ex parte creaturæ, & alias decuit Matrem & Filiam, ſicut vidimus? Non implicat diſpenſatio, decet diſpenſatio: non ergo repugnat quod facta ſit diſpenſatio. Deinde, poſito quod facta ſit, nec repugnat quod Deus revelet quod factum eſt: dum ergo V Author, virtutibus & fama publica ſanctitatis aliàs valdè credibilis, affirmat, hoc ſibi eſſe revelatum à Deo, non reſtat ex qua parte falſum ſit, nec ratione Materiæ, nec ratione ſubjecti privatam revelationem patientis. Vt enim fundamentali ratione probaretis Notam prætenſam falſitatis, opus erat vo-
Rat. fund. bis oſtendere, vel quod Deus diſpenſare non potuit; vel quod S. Anna diſpenſari nõ valuit; vel quod Deus revelare nequivit, vel quod V. Author revelationem accipere non valuit. Primum impoſsibile eſt probari; ſecundum, pluſquam difficile; tertium, ſicut primum; & quartum, paulòminus quam ſecundum. Primũ itidem & tertium, ſcilicèt, Deum potuiſſe diſpenſare, & diſpenſationem revelare, probatione non egent. Secundum, videlicèt,

SS.

SS. Annam potuiſſe diſpenſari, ex parte potentiæ paſsivæ non dubitatur; ex parte vero decentiæ & congruentiæ, ſatis liquet; nam ſi ex Dei privilegio Immaculatè & Immaculatam concepit, conſonum eſt huic, aliud privilegium; quod Immaculatè, & abſque impuritate pepererit. Concepit quippè, & peperit, quaſi privilegiata donis quoad hoc juſtitiæ originalis, & certè quidè, ſi ſtatus innocentiæ duraſſet, non eguiſſent puerperæ Lege purificationis. Prætetea; circa quartum, Nota falſitatis eſt difficilis & pluſquam difficilis probationis, nam ex parte potentiæ puræ paſsivæ ad revelationem Domini ſuſcipiendam, hæc negari non valet, juxta ſupra relata à num. 279. Reſpectu autem piæ credibilitatis ex parte ſubjecti, debita humilitate dicentis, hoc ei fuiſſe à Deo revelatum, extant ſimilitèr fundamenta ſupra à num. 241. & à num. 255. *Sup num. 279.*

970 Circa Notam temeritatis, qua ſignaſtis propoſitionē confixam, dicentes: *Hæc propoſitio eſt temeraria*, non minus dubitamus, vnde ſit, vel vbi fundetur illa temeritas. Quidquid V. Author aſſerit in Notata propoſitione, poſsibile eſt, & non repugnat, decenſque foret ſi ſic eſſet, vt probavimus: Nunc dicite nobis, in quo ſit temeritas? Si temeritas eſt, recipientem revelationem, ex obedientia propalare, ſe habuiſſe revelationē, omnes libri S. Birgittæ, S. Hildegardis, S. Getrudis, S. Catharinæ Senenſis, S. Thereſiæ, & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, pleni erunt temeritatibus. Si autem in hoc temeritas non eſt, ſicut revera non eſt, oſtendite nobis in quo ſit. *Circa Not. temerit.*

971 Cenſura veſtra concluditur ſic: *Hæc propoſitio eſt Verbo Dei contraria.* Ut certum cogitamus, vos loqui de Verbo Dei ſcripto, & ſuper hoc non ſit nobis Certamen. Verbum Dei ſcriptum abſque dubio eſt lex illa Levitici 12. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine, &c.* Nunquid diſpenſatio Legis in caſu particulari derogat aut diſolvit legem communem? Certè non; alias lex communis de naſcituris omnibus in peccato originali ſolveretur aut evaneſceret caſu dato, quod aliquis ex particulari Dei privilegio ſanctificaretur in vtero Matris; ſed hoc eſt falſum, vt de ſe patet, nam diſpenſatio ſingularis non ſolvit legem communem, nec dicitur diſpenſatio contra legem, ſed præter legem, vt in terminis loquitur Angelicus Magiſter, vbi ſupra: Ergo, &c. Præterea, ſupponamus ſic eſſe, quod SS. Mater Anna libera foret à *Levit. 12.*

Lege Purificationis, & hoc eſſe certum a Deoque revelatum, ab Eccleſia propoſitum, & quidquid volueritis pro parte ſecuritatis, & certitudinis. Nunc interrogo: In hujuſmodi caſu, hæc propoſitio: *SS. Mater Anna libera fuit à Lege Purificationis*, vel
Vrg. Arg. eſſet contraria Verbo Dei, vel non? Non dicetis primum, quoniam nulla propoſitio de Fide dici valet contraria Verbo Dei, & ſupponimus quod tunc propoſitio illa teneretur & crederetur de Fide. Debetis igitur fateri & concedere ſecundum, ſcilicèt quod propoſitio illa non foret contraria Verbo Dei. Hoc poſito, nunc arguo ſic: In caſu relato, propoſitio illa non foret contraria Verbo Dei, quia firmitèr teneremus eſſe veram & infallibilem: ſi nunc ergo piè crederemus talem propoſitionem eſſe veram, in hac linea pietatis non foret contraria Verbo Dei. Conſequentia liquet: Eo gradu non putatur contraria Verbo Dei, quo exiſtimatur veritas in ea, nam veritas non valet eſſe veritati contraria: dum ergo piè exiſtimamus talem propoſitionem eſſe veram, & fore revelatam à Deo, conſimili pietate fatemur non eſſe contrariam Verbo Dei.

972 Prætereà, proſequamur ampliùs, quod diſpenſatio ſingularis in lege communi, nec eſt contraria Legi, nec contra-
Apoſt ſet. ria veritati, nec contraria Uerbo Dei. Ad id ſtatuamus legem communem, neceſſario ſuppoſitam ad Apoſtoli ſententiam: *Omnes in Adam peccaverunt*, & hanc diſpenſationem particularem: *Virgo Maria in Adam non peccavit.* Arguo ſic: Si hæc propoſitio particularis: *Virgo Maria in Adam non peccavit*; foret contra illam propoſitionem communem: *Omnes in Adam peccaverunt*, ſequeretur quod duæ propoſitiones contradictoriæ eſſent ſimul veræ; ſed hoc eſt falſum: Ergo, &c. Suadetur major, nam iſtæ propoſitiones: *Omnes in Adam peccaverunt: Virgo Maria in Adam non peccavit*, ex terminis extrinſecis & in cortice opponuntur,
Regul. Philoſoph ſicut iſtæ: *Omnis homo eſt riſibilis: Titius non eſt riſibilis.* Hoc patet, nam oppoſitio inter generalem affirmativam, & particularem negativam eſt rigoroſè contradictoria ex communi Philoſophia: ſi igitur inter has propoſitiones: *Omnis homo eſt riſibilis: Titius non eſt riſibilis*, datur ſtrictiſsima contradictio, quoniam Petrus continetur ſub ratione communi hominis: etiam dabitur rigoroſa contradictio inter propoſitiones illas: *Omnes in Adam peccaverunt: Virgo Maria in Adam non peccavit*, ſi Virgo Maria

con-

contineretur ſub illo termino communi, *Omnes*; ſed falſum eſt; has vltimas propoſitiones eſſe contradictorias: *Omnes in Adam peccaverunt: Virgo Maria in Adam non peccavit*, alias duæ contradictoriæ eſſent ſimul veræ, quoniam verum eſt ex Verbo Dei, quod omnes in Adam peccaverunt, & verum eſt ex rationabili pietate, quod Virgo Maria in Adam non peccavit: ergo hæc propoſitio particularis: *Virgo Maria in Adam non peccavit*, non eſt contra illam: *Omnes in Adam peccaverunt*: ergo neque hæc particularis: *Virgo Maria in Adam non peccavit*, eſt contraria Verbo Dei expreſſo in illa generali: *Omnes in Adam peccaverunt*. Nūc ad rem, &, meo videri, veritatem aperiam; ſed ideo hæc propoſitio particularis: *Virgo Maria in Adam non peccavit*, non eſt contraria neque contradictoria illi: *Omnes in Adam peccaverūt*, quoniam ex diſpenſatione Divina Virgo Maria eſt excluſa à Lege communi, & in illo termino generali, *Omnes*, non comprehenditur, neque continetur Virgo Maria: Privilegium ergo particulare, & vera propoſitio ex eo reſultans, non eſt contra legē communem, ſed ſupra, vel præter legem communem: & conſequentèr, neque vera propoſitio, reſultans ex diſpenſatione divina præter legem communem, erit contraria Verbo Dei, ſed præter Verbum Dei expreſſum in lege communi: caſu ergo quod SS. Mater Anna ex diſpenſatione Divina non egeret poſt partū purificatione Legis, hæc propoſitio particularis: *Anna poſt partum non eguit purificatione legali*, non eſſet contraria, neque contradictoria, illi: *Omnes mulieres poſt partum eguerunt purificatione legali.*

Expon. Cō tradic. apparent.

973 Urget amplius argumentum à ſimili: Inter has propoſitiones: *Omnes in Adam peccaverunt: Virgo Maria in Adam non peccavit*, non datur contrarietas, neque contradictio, quoniā ex diſpenſatione Divina Virgo Maria non continetur ſub illa communi: *Omnes in Adam peccaverunt*, aliàs ſi contineretur, eſſet rigoroſiſsima contradictio, & poſita veritate in vniverſali affirmativa, deberet neceſſariò eſſe falſitas in particulari negativa; ſed dato caſu, quod SS. Anna ex diſpenſatione Divina non egeret poſt partum purificatione legali, non contineretur SS. Anna ſub illa generali communi: *Omnes mulieres poſt partum in Lege Veteri eguerunt purificatione legali*: ergo in hoc caſu, hæc propoſitio particularis: *Sancta Anna non eguit poſt partum purifica-*

Rat. potiſ.

fica-

ficatione legali, non eſſet contraria, neque contradictoria illi generali: *Omnes mulieres poſt partum eguerunt purificatione legali*, conſequentèrque hæc propoſitio particularis: *Sancta Anna non eguit poſt partum purificatione legali*, (quæ vt dicitis eſt V. Authoris) non erit contraria Verbo Dei, expreſſo in lege communi, ſed præter Verbum Dei expreſſum in lege comuni. Alijs innumeris exemplaribus poterat idipſum convinci, ſervatis Philoſophiæ regulis.

Evaſ. retund. 974 Si dixeritis, argumentum convincere, caſu quo particularis propoſitio: *S. Anna non eguit poſt partum purificatione legali*, revelata ſit; id vero negatur, quod ſit revelata. Arguo ſic: ergo caſu quo revelata foret, non eſſet contraria Verbo Dei; ſed in Libris Myſticæ Civitatis Dei proponitur vt à Deo revelata: ſub hac ergo conſideratione non eſt contraria Verbo Dei. Dicere, quod non eſt revelata, quoniam eſt contraria Uerbo Dei, idem in ſenſu veſtro eſt, ac dicere, quod non eſt revelata quia non eſt revelata. Hoc ſuadetur, quoniam aſſeritis vtrumque, vi argumenti, ſcilicèt, quod non eſt revelata, quoniam eſt contraria Uerbo Dei; & quod non foret contraria Verbo Dei, ſi foret revelata: piè igitur credamus, quod eſt à Deo revelata, & vi conſequentiæ noſtræ, & jam veſtræ, fatebimur, quod non eſt contraria Verbo Dei.

ARTIC. XVI.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

975 PAg. 454. num. 402. *Vt omnibus modis Mater Miſericordiæ & Mediatrix Gratiæ foret.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

976 HÆC *propoſitio, vt jacet, falſa eſt, erronea, & Chriſto vni per Redemptionem Mediatori injurioſa.*

CEN.

CENSVRA SVPPOSITITIA.

977 **L**Icèt SS. *Virgo præ omnibus Sanctis Mediatrix ſit per intercesſionem: Hæc tamen Propoſitio quatenùs aſſerit, illã eſſe omnibus modis Mediatricẽ, falſa eſt, erronea, & Chriſto, qui ſolus Redemptor, & Salvator noſter eſt, & vnus per Redemptionem Mediator, injurioſa.* In Libello Cenſuræ Suppoſititiæ hoc attinet ad Articulum 12.

CONCERT. XVII.

SVPER PROPOSITIONEM CONFIXAM in hoc Articulo 16.

978 **O**CCVRRVNT examinanda. 1. Diſcordia inter Verſionem Gallicam & Originale Hiſpanum. 2. Mens legitima V. Authoris. 3. Si Notata Propoſitio credibilis fiat ex Doctrina SS. PP. 4. Cenſorum Qualificationes ſuper Propoſitionem confixam.

§. I.

DISCORDIA INTER VERSIONEM Gallicam & Originale Hiſpanum, menſque legitima V. Authoris in Notata Propoſitione brevitèr examinantur.

979 **T**Extus Originalis. *Para ſer en todo Madre de Miſericordia, y Medianerà de la Gracia.* Verſio ex Hiſpanico in latinum: *Vt eſſet in toto Mater Miſericordiæ, & Mediatrix Gratiæ.* Verſio ex Gallico in latinum, prout in Articulo Cenſuræ: *Vt omnibus modis Mater Miſericordiæ & Mediatrix Gratiæ foret.* Subſtantialis diſcordia ſatis liquet. Aliud quippè eſt, quod SS. Virgo ſit in toto, ſivè in omnibus, Mater Miſericordiæ & Me-

Tex. Orig.

Verſ. Hiſp in lat.

Verſ ex Gallico in latin.

Diſcordia Mediatrix Gratiæ; & aliud valdè diverſum eſt, quod *omnibus modis ſit Mater Miſericordiæ, & Mediatrix Gratiæ.* Primum, verum eſt, & duobus modis intelligi valet; ſcilicèt, vel quod Cœleſtis Regina in omnibus operibus ſuis erat Mater Miſericordię & Mediatrix Gratiæ; vel ita, vt in omni caſu & in omni occaſione erat Mater Miſericordiæ & Mediatrix Gratiæ, pro peccatoribus interpellando.

Legitimus ſenſ. 980 Circa primum exponendi modum valdè prodeſt integra littera totius numeri Originalis, vbi exercitia ſancta, mortificationeſque pœnales, quibus in ætate prima corpus ſuũ affligebat SS. Puella pro peccatis filiorum Addæ referuntur, Hiſpano idiomatè ſic: *Retiravaſe algunas vezes en tiempos oportunos la SS. Niña, para gozar à ſolas con mas libertad de la viſta, y Coloquios Divinos de ſus Angeles Sanctos, y manifeſtarles con ſeñales exteriores el amor ardiente de ſu Amado. Y en algunos exercicios que hazia, ſe poſtrava llorando, y afligiendo aquel Cuerpecito Perfectiſſimo, y Tierno, por los pecados de los mortales, pidiendo, y inclinando la Miſericordia del Altiſsimo, para que obraſſe grandes beneficios, que deſde luego començò à merecerles. Y aunque el dolor interno de las culpas que conocia, y la fuerza del amor que ſe le cauſava, hazian en la Divina Niña efectos de intenſiſsimo dolor, y pena; començando à vſar de las fuerzas corporales, en aquella edad las eſtrenò con la penitencia, y mortificacion, para ſer en todo Madre de Miſericordia, y Medianera de la Gracia ſin perder punto, ni tiempo, ni operacion, por donde pudieſſe grangearla para ſi, y para noſotros.*

Expoſit. 1. 981 Ex contextu relato clariſsimè patet abſque vlla dubitatione legitimus ſenſus expoſitus, principalitèr in illis verbis: *Començando à vſar de las fuerzas, &c.* vbi narratur quod SS. Uirgo Maria non ſolùm orationibus & petitionibus, ſed etiam operationibus mortificationis & pœnitententiæ corporalis lucrabatur dona Gratiæ ſibi & nobis, hocque modo *erat in toto Mater Miſericordiæ & Mediatrix Gratiæ*, dum in toto, ſcilicèt, oratione & operatione proderat nobis. Prætereà, idipſum amplius liquet ex ipſis verbis: *Incepit vti viribus corporalibus, &c.* Id intelligi volens, quod tales pœnitentias corporales hactenus vel vſque ad illud tempus non effecerat; quapropter ex illo tempore, orationibus priſtinis continuantibus, & pœnitentijs corpo-

poralibus ſuperadditis, *cæpit in toto*, id eſt, vtraque via orationis & mortificationis prodeſſe nobis; & ſic in toto, id eſt, vtroque modo relato, eſſe Matrem Miſericordiæ & Mediatricem Gratiæ.

982 Poſtmodum, & expoſitio ſecunda liquet ex vltimis verbis ejuſdem numeri, ſimulque prima confirmatur, ibi: *Sin perder punto, ni tiempo, ni operacion, por donde pudieſſe grangear la Gracia para ſi, y para noſotros.* Ecce quomodo *in toto*, id eſt, in omni occaſione; *in toto*, id eſt, omni tempore; *in toto*, id eſt, in omni operatione lucrabatur ſibi & nobis dona Gratiæ, & ſic erat *in toto*, id eſt, in omni occaſione, *in toto* tempore & in operatione *tota*, Mater Miſericordiæ & Mediatrix Gratiæ. Nec alia expoſitione capax eſt littera textus Originalis, non bene intellecta ab Interprete Gallico, vel à Cenſoribus, vel ab vtriſque. *Expoſit.* 2

983 Si autem dicere velitis, idem fore, SS. Virginem eſſe Mediatricem *omni* occaſione, *omni* tempore, & *omni* opere, ac eſſe Mediatricem *omnibus modis*, nobis foret hujuſmodi interpretatio, ſed ex parte ſignificati falſum videtur idem eſſe. Hoc patet à ſimili: etenim ſi Titius *omni* occaſione, *omni* tempore, & *omni* loco loqueretur lingua latina, non eſſet verum dicere, quod omnibus modis loquebatur lingua latina, cum verum ſit, aliud eſſe, omni tempore loqui lingua latina, & aliud, loqui omnibus modis lingua latina, vt de ſe patet. Præterea, ex ipſa Cenſura liquet, non ſic à Cenſoribus intellecta reperiri verba illa, *omnibus modis*. *Evaſ. ſolut.*

§. II.

VTRVM DEFENSABILIS SIT NOTATA Propoſitio, etiam prout jacet in Articulo?

984 EVanuit Cenſorum & Articuli difficultas, eo quod littera textus Originalis non affirmat idipſum quod Authores vtriuſque Cenſuræ cogitaverunt. Hi quidem exiſtimarunt, V. Abbatiſſam aſſerere, SS. Virginem Mediatricem fuiſſe omnibus modis, in omnibus modis incluſo modo Redemptionis: Cum igitur hoc falſum ſit, vt ex littera textus manifeſtè comprobatur, inde venit, Cenſuram fuiſſe deſtructã, *Ceſſat. diff.*

 deſ-

deſtructo Cenſuræ fundamento. Quoniam autem doctrinis SS. PP. & DD. inſignium reviſis, adhuc id quod Cenſores damnant, quanquam in Propoſitione confixa non repertum, ex magna parte reperimus approbatum, ideo ſubſequentes eorundem SS PP. & DD. ſententias, videndas & conſiderandas offerimus pro affirmativa parte quæſiti.

S. Bernar. 985 S. Bernardus, in Bibliotheca Virginali, tom. 1. tract. Alexij à Salò, cui titulus: *Ars piè amandi & colendi Deiparam*, ſub Privilegio ſecundo, & ſub hoc titulo: *Virginē Clementiſſimā ſolère valdè liberalitèr gratias ſuas clientibus ſuis impartiri*, fol. 182 col. 2. circa med. ait ſic Meliſluus Pater: *Tibi, ò Maria, omnis poteſtas data eſt in Cælo, & in terra; adeò vt tibi licet, quidquid libet, & poſſis quidquid velis.* Et his ſuperaddit citatus Alexius: *Vel ipſius confeſsione diſcimus, eam Cæleſtibus Theſauris exuberare* Eccl. 24. *In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis, &c.* Nunc argumentum veſtrum conſtruite, Docti Cenſores. Dicitis, quod SS. Virgo ſi foret Mediatrix omnibus modis, hoc dici nequiret abſque injuria Chriſti, qui ſolus Redēptor, & Salvator noſter eſt, & vnus per Redemptionem Mediator. Credimus ſic. Sed videte nunc, quomodo omnis poteſtas in Cœlo & in terra data eſt Virgini abſque injuria Chriſti: Et quomodo in Maria eſt *omnis ſpes vitæ & virtutis* abſque injuria Chriſti, & in eodem ſenſu Notatam propoſitionem accipite.

S. P. Dam. 986 S. Petrus Damianus, Serm. 11. de Aſſumpt. Virg. *Videt & ardet ille vehemens Amator, & totum Epithalamium in laudibus ejus decantat, vbi manifeſtè Sponſus inducitur ſpirans amorē ſinceriſſimum; nec vltra valens diſsimulare quod patitur: Evocatur ſtatim Cæleſtis ille conventus, & juxta Prophetam init Deus Concilium, cogit conſilium, facit ſermonem cum Angelis de reſtauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione, ac illis ſtupentibus & mirantibus præ gaudio, de modo redemptionis. Et ſtatim de Theſauro Divinitatis, Mariæ Nomen evolvitur, & per ipſam, & in ipſa, & de ipſa, & cum ipſa totum hoc faciendum decernitur, vt ſicut ſine illo nihil factum, ita ſine illa nihil refectū ſit, &c.* Ad diverſa prodeſt authoritas ſecundum partes. Clauſula prima ad Articulum 13. Secunda, ad 6. de cætero ad præſens. Quomodo quippè abſque injuria Chriſti vſurpetur, quod per Mariam, & in ipſa, & cū ipſa totum refectum ſit, eadem expoſi-

tione Catholica, & ratio Mediatricis omnibus modis ibi com-prehenſis, abſque injuria Chriſti poterit vſurpari.

987 S. Bernardinus Senenſis, Serm. 5. de Nativit. Virg. cap. 2. *Et vt brevi ſermone cuncta comprehendam, omnes liberationes, & indulgentias factas in Veteri Teſtamento, non ambigo, Deum feciſſe propter hujus Benedictæ Puellæ reverentiam & amorem, &c.* ſed hoc intelligendum eſt abſque injuria Chriſti, propter cujus merita prævіſa in Veteri Teſtamento Gratiæ conferebantur, & conferuntur in Novo propter ejus merita executa: Ergo, &c. *S. Bernardin. Senēſ.*

988 Seraphicus Doctor, in Spec. B. Mariæ, cum Melifluo Doctore: *Domina noſtra, Mediatrix noſtra.* S. Germanus, Serm. in Nativit. Mariæ: *Salve Legis atque gratiæ Mediatrix.* Albertus Magnus, Serm. 32. de Aſſumpt. B. Mariæ, eam vocat, *Mediatricem, Reparatricem, & Auxiliatricem.* Doct. Izquierdo, tract. de Deo Vno, diſp. 42. q. 9. prop. 3. juxta SS. PP. doctrinas hanc defendit concluſionem: *Beata Virgo fuit cauſa meritoria de cōgruo prædeſtinationis omnium hominum.* Et paucis lineis interpoſitis, inquit: *Probabilem mihi faciunt hanc propoſitionem plurima Patrum teſtimonia, quibus aſſeritur, Maria Mediatrix, & Redemptrix totius generis humani, eo modo quo pura Creatura tantum munus potuit attingere in conſortio Filij.* Videatur etiam Doct. P. Caniſſius, lib. 5. de Maria Deipara, cap. 12. vbi reſpondet hæreticis, impugnantibus inter alia hoc elogium Deiparæ, quo vocatur, *Mediatrix Gratiæ*: In aliquo igitur ſenſu Catholico defendi valet & debet, quod SS. Uirgo *Mediatrix Gratiæ* vocetur; & quod ſit *omnibus modis*, dum fiat abſque injuria Chriſti, nihil obeſt, prꝛterquam quod V. Author id non aſſerit in propoſitione confixa, vt ſupra vidimus evidentèr. *Seraph. Doct. & alij.* *Caniſsius.*

989 S. Birgitta, lib. 4. ſuarum Revelat. tom. 1. fol. 350. c. 19. col. 2. fin. ait ſic: *O dulcis Maria, pulchritudo nova, pulchritudo clariſsima. Sicut enim ſanguine vivificantur, & roborantur omnia membra corporis, ſic per te omnes vivificantur à peccato, & fructuoſiores fiunt ad Deum*; ſed omne hoc intelligi valet & debet abſque injuria Chriſti: clauſula igitur in propoſitione Notata, etiam prout in Articulo conſcripta, intelligi poterit in aliquo vero ſenſu abſque injuria Chriſti. *S. Birgitta.*

990 Eadem S. Birgitta, lib. 4. cap. 74. fol. 430. col. 1. *Eadem.*

 cir-

circa med. ſic ait: *O Domina benedicta, tu Domina omnium es: Quod enim tu vis, hoc factum eſt, &c.* Sed quamvis de Chriſto dicatur: *Tu ſolus Dominus*, abſque injuria Chriſti de Maria dicitur quod eſt *Domina omnium*: Ergo, &c.

Eadem. 991 Et tom. 2. lib. 6. cap. 23. fol. 38. col. 1. init. ſic loquitur: *Benedictum ſit os tuum, ò Maria, & labia tua, de quibus omnis miſericordia procedit in miſeros peccatores. Tu verè miſericordiæ Mater prædicaris & es, &c.* Notentur verba illa: *Labia tua, de quibus omnis miſericordia procedit*; ſed hoc intellectum videtur abſque injuria Chriſti: Ergo, &c.

S. Pazzis. 992 S. Maria Magdalena de Pazzis, lib. 2. cap. 24. divinarum intelligentiarum, fol. 34. col. 2. circa finem inquit: *O Glorioſa Maria! Maria Fons eſt ille ſignatus. Irrigat Fons iſte totum Cælum. O Maria, tu es porta illa, per quam nos ad Cæleſtem introducimur patriam, &c.* ſed elogia illa quanquam de Chriſto principalitèr intellecta, etiam Mariæ conveniunt abſque injuria Chriſti: Ergo, &c.

Albert. Magn. 993 Albertus Magnus, in Biblia B. Virginis Mariæ (apud Bibliothecam Virginalem, tom. 1. fol. 515. col. 2. lit. B.) exponens Ioannis Evangelium, ſuper cap. 5. ait ſic: *Item ipſa Virgo Maria eſt Piſcina ſanationis, quinque Porticus habens, quia ſanat & ſalvat potentèr, velocitèr, miſericorditèr, totalitèr, & finalitèr. Itē ipſa eſt Judiciſſa vivorum & mortuorum; &c.* ſed quamvis Chriſto Domino, juxta Verbum Dei, *poteſtatem dederit Pater Judicium facere*; & ipſe ſit *Judex vivorum & mortuorum*, abſque injuria Chriſti de Maria dicitur quod *Judiciſſa ſit vivorum & mortuorum*: Ergo, &c.

Caniſsius. 994 Præterea, Inſignis Caniſius, de Maria Deipara, lib. 1. à fol. 3. vſque ad 6. rationibus & authoritatibus declarat, cur & quomodo Maria dicatur *Spes noſtra*, & verè *Domina* abſque injuria Chriſti. Et lib. 3. cap. 8. fol. 210. & 211. conſimilitèr declarat, *quomodo abſque injuria Chriſti Maria vocetur & ſit Gratia Plena*. Et lib. 5. cap. 13. fol. 502. iterum hæreticos redarguendo, declarat qua ratione *Maria dici poſsit abſque injuria Chriſti & Fidei Catholicæ, Spes noſtra*. Quoniam autem ſuper hoc innumera paſsim inveniuntur SS. PP. teſtimonia, pluraque æſtimabilia leguntur in Cenſura Cenſuræ, fol. 74. editionis 1. ideo adhuc ex quæſitis & inventis non pauca reliqui. Cæterum, &

in-

infra Concert. 19. ſuper Articulum 18. §. 2. & 3. punctum hoc, de conferendis Elogijs SS Uirgini Mariæ abſque injuria Chriſti, vſque ad ſatietatem protenditur. *Vid. infra Cõcert.* 19 §. 2. & 3.

§. III.

QVALIFICATIONES CENSORVM SVper Notatam Propoſitionem examinantur.

995 PRopoſitio originalis omnino libera demonſtrata eſt à Cenſura, ſupra à num. 976. Propoſitio autem prout ab Interprete Gallico in Articulo Cenſuræ tranſcripta, ſic ait: *Vt omnibus modis Mater Miſericordiæ & Mediatrix Gratiæ foret.* Cenſura autem veſtra, ò Sorbonici, ſic apparet: *Licet SS. Virgo præ omnibus Sanctis Mediatrix ſit per Interceſsionẽ: Hæc tamen propoſitio quatenus aſſerit, illam eſſe omnibus modis Mediatricem, falſa eſt, erronea, & Chriſto, qui ſolus Redemptor, & Salvator noſter eſt, & vnus per Redemptionem Mediator, injurioſa.* Fatemini igitur, SS. Virginem eſſe Mediatricem per interceſſionem; ſed abſque dubio intelligetis ſine injuria Chriſti, qui vnus Mediator eſt per Redemptionem: SS. ergo Maria valet eſſe omnibus modis Mediatrix per interceſsionem ſine injuria Chriſti, qui vnus Mediator eſt per Redemptionem. Conſequentia ſequi videtur, nam ex vi rationis cum nunquam dicatur SS. Virgo Mediatrix per Redemptionem, ſemper manebit Chriſtus Dominus, vnus Mediator per Redemptionem. Jam igitur in aliquo vero ſenſu, id eſt, via interceſsionis, dici poteſt Regina Cœleſtis, *Mediatrix omnibus modis* abſque injuria Chriſti. Maneamus in hoc. *Not Prop* *Cenſ. Suppoſit.*

996 Quoniam vero non ſemel ſuper Epitecta & Elogia Sacratiſsimæ Uirginis concertavimus, vt ſimilibus diſceptationibus apponamus finem, nonnullas DD. Catholicorum ſententias, ſuperaddere decrevimus. Albertus Magnus, tract. de laud. Virg *ſuper Miſſus eſt*, in Bibliotheca Virginali, tom. 1. fol. 394. col. 2. in fine, ait ſic: *Ad hoc dicimus, quod Beatiſsima Virgo quolibet motu liberi arbitrij ad agendum vel patiendum merebatur. Nec tamen in hoc Domino Noſtro Ieſu Chriſto æquabatur, qui operabatur* *Albert. Magn.*

tur improportionabili Charitate: Quanquam igitur idipſum quod dicitur de Chriſto, dicatur etiam de SS. Virgine, non inde æqualem facimus SS. Virginem Chriſto Domino, cum alitèr in Chriſto, alitèr in Maria reperta ſint dona, alitèrque Chriſtus, aliterque Maria ſemper operaverint; Chriſtus quidem improportionabili charitate perfectiùs ac Maria. Hoc & V. Abbatiſſa ſæpèſæpiùs profitetur, & ſatis expreſsè tom. 1. quem legiſtis & judicaſtis num. 277. à lin. 12. vbi catholicè negat æqualitatem mathematicam inter Chriſtum & Mariam, & ſolum concedit æqualitatem proportionis, ita vt nulla gratia fuerit in Chriſto, quæ non fuerit ad proportionem in Maria, id eſt, alitèr in Chriſto, & aliter in Maria; quam ſemper inferiorem fatetur Chriſto: Verba Hiſpana ſunt hæc: *Ninguna Gracia criada huvo en Chriſto, que no eſtuvieſſe con proporcion en ſu Madre Puriſsima, no con igualdad matematica, porque Chriſto Señor nueſtro era hombre, y Dios verdadero, y ella era pura Criatura, &c.* Quod & alibi dictum vidimus à S. Hieronymo, illis verbis: *In Mariam vero totius gratiæ quæ in Chriſto eſt plenitudo venit, quanquam alitèr*: Dum igitur alitèr dicatur gratia de Chriſto, & alitèr de Maria, prę-ter gratiam ſubſtantialem, plenitudo gratiæ quæ in Chriſto eſt in Mariam venit.

Myſt. Civ. Dei.

Ibid.

997 Præterea, in ipſa 1. part. Myſticæ Civitatis Dei, quā legiſtis & cenſuraſtis, num. 66. à lin. 21. iterum atque iterum fatetur U. Author, Mare & Fontes gratiarum prius ingreſſas in Chriſtum Dominum, & à Chriſto in Deiparam redundaſſe, tanquam immediatam Vnigenito Filio ſuo: Hiſpana verba: *En el miſmo inſtante que todo eſte Mar, y Fuentes de la gracia tocaron à Chriſto Señor Nueſtro, como à inmediato à la Divinidad, redundaron en ſu Madre Santiſsima, como inmediata à ſu Vnigenito Hijo.* Expreſsius vtrunque continetur, num. 600. ejuſdem 1. p. Myſticæ Civitatis Dei, à lin. 12. vbi ait: *Y ſi los dones eſtavan en Chriſto Nueſtro Redentor, y Maeſtro como en fuente, y origen, eſtavan tambien en Maria, ſu digna Madre, como en Eſtanque, ò en Mar, de donde ſe diſtribuìan à todas las criaturas, porque de ſu plenitud ſuperabundante redundan à toda la Igleſia.* Hoc ipſum dictū legimus à Meliflùo Doctore: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret.* Et alibi: *Hæc eſt voluntas Dei, qui totum nos habere voluit per Mariam.*

998 Redeamus ad punctum principale. *Quod ſemel dictum eſt modificatione aliqua in eodem Opere, ſemper eadem modificatione intelligi debet in ipſo Opere*, ſivè in principio, ſivè in medio, ſivè in fine modificatio reperiatur, vt ex Bulla Nicolai III. *Exijt qui ſeminat*, in Decretalibus poſita, tit. *De verborum ſignificatione*, quam ſupra retulimus num. 63. ſatis liquet; ſed innumeris locis, tàm in 1. quàm in 2. & 3. part. Myſticæ Civitatis Dei, hanc præ alijs notationibus repetitam invenimus, quod SS. Virgo, licèt ſimillima Chriſto, eſt tamen in omnibus inferior Chriſto: modificatio igitur, inferioritatem explicans SS. Virginis reſpectu Chriſti, ſemper & vbique in ipſo Opere mirabili debet intelligi, & quamvis idem Privilegium vel eadem gratia de Chriſto dicatur & de Maria, in ſuperiori gradu, juxta mentem legitimam V. Abbatiſſæ, intelligitur de Chriſto, & in inferiori de Maria. *Decret. Nicol. III.*

999 Ambroſius Catherinus, Politius, Archiepiſcopus Cōpſanus, opuſc. de Immaculata Conceptione Virginis Mariæ, in Bibliotheca Virginali, to. 2. fol. 28. col. 2. ſic ait: *Multa enim de Chriſto dicuntur, ſivè in ſcripturis, ſivè in ſententijs Doctorum, tanquam ſingulari modo Chriſto competentia, id eſt, ſecundum naturam & eſſentialitèr, quæ tamen ex gratia ſimilitèr alijs conceduntur. Ecce enim ſicut dixit Angelus:* Quod ex te naſcetur ſanctum, &c. *ita dicit Scriptura:* Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem; *hoc de Chriſto ſingularitèr dicens, & nihilominùs id etiam de Mariæ corpore recipit Eccleſia, quod non viderit corruptionem. Quid ita, ſi de Chriſto ſingularitèr illud fuit dictum, niſi quia & ſingularitèr de illo intelligitur, quia de ſe, & ſui natura illud habuit? Quapropter, & Eccleſia Hymno canit Angelico:* Tu ſolus Sāctus, *& tamen ipſa eadem Eccleſia multos & Sanctos & Dominos vocare non veretur. Ille Filius Dei ſolus & Vnigenitus vocatur, cum tamen multi Filij Dei ſint, &c.* ibique quamplura proſequitur Scripturæ Sacræ teſtimonia Inſignis iſte Magiſter, quibus convincitur, multa de Chriſto ſingularitèr dici, quæ in alio inferiori gradu de Sanctiſsima Virgine Maria prædicantur. *Ambroſ. Cather.*

1000 Idem, *de conſumata gloria ſolius Chriſti, ac Divæ Virginis, liber vnus*, in eadem Bibliotheca Virginali, tom. 2. fol. 63. col. 2. lit. D. ait ſic: *Quod vero obijciunt, de Chriſto ſingularitèr eſſe dictum:* Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, *liben-* *Idem.* *Pſalm.*

bentèr recipimus, modò non ſegregetur à viro mulier, de quibus illud Geneſ. 2. *primum intelligi oportet, Geneſ. 2.* Erunt duo in carne vna, *vt quæ Chriſto jure ſuo debentur, ex Privilegio extendantur in Virginem, ſicut & alia multa, quæ ſonare videntur de Chriſto, extenſione etiam ad Virginem applicantur, vt illud:* Venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. *Item illud:* Adorent eum omnes Angeli Dei: *Hoc enim & Virgini ſuo modo competit. Nec propterea, quod hoc damus Matri, Filio derogamus, cum potiùs illi arrogemus quæcumque privilegia quę de Matre ejus aſſerimus, non ſuo ipſius jure, ſed in gratiam Filij ſui ei damus. Et idcircò omnia Filio, proptèr quem, & per quem ſunt omnia quæ tribuimus Matri.* Hæc applicatione non egent; mirificè quidem explicant, quomodo de SS. Virgine Maria dicuntur, quæ de dilectiſsimo Filio ſuo principalitèr prædicantur.

Hieronym Hormach. 1001 Nec contemnendus Hieronymus de Hormachea, Cantaber, Comment. in Cantica, fol. 350. vbi ait: *Quidquid repereris datum eſſe nomini Ieſu per naturam & debitum, hoc datũ eſſe ſcito Nomini Mariæ per gratiam & privilegium. Nec dubites in hoc, O Mariam amans, ò Mariam deſiderans honorare. Chriſtus Ieſus eſt omnipotens per naturam, Maria eſt omnipotens per gratiam, &c.* Pluraque inibi proſequuntur, in aſſumpti confirmationem argumenti.

Arg ſolv. 1002 Si dixeritis, quod jam in Cenſura veſtra dixiſtis, ſcilicèt, Chriſtum eſſe ſolum Redemptorem, vnumque & ſolum per Redemptionem Mediatorem: ex quo ſequitur, elogia iſta tribui non poſſe Sanctiſsimæ Virgini, quoniam vnus & ſolus, ſecundum non admittit. Reſp. Vnum & ſolum ſecundum non admittere in illo gradu, in quo eſt vnus & ſolus; verum in alio gradu communicare valet alteri privilegium abſque offenſione vnius & ſolius. Tota Eccleſia canit de Chriſto: *Tu ſolus Sanctus,* *Hym. Angelic.* *Tu ſolus Dominus, Tu ſolus Altiſsimus Jeſu Chriſte;* & tamen ipſamet Eccleſia ore pleno vocat Mariam *Sanctam, Dominam, & Altiſsimam.* Item ipſemet Spiritus Divinus dicit: *Remanſit autem ſolus Noe,* & remanſerunt cum illo octo Animæ, quæ erant cum eo in Arca. Item de Benjamin dicit Scriptura: *Et ipſum ſolum habet Mater ſua,* & habebat etiam Joſeph. Item dicitur: *Sola Rahab meretrix vivat,* & etiam vixit tota Domus ejus. Item de Jonata dicitur: *Tu ſolus reſiſtis nobis,* & tamen erant cum Jona-

nata alij quanplures. Denique vt alia plura omittamus exempla, in Apocalypſi dicit Ioannes: *Quis non timebit te Domine? Quia ſolus pius es?* & tamen de Maria canit Eccleſia: *O pia, ò dulcis Virgo Maria.*

1003 Profitemur libentèr, & vobiſcum aſſentimur, ò Sorbonici, vt verè catholici, Chriſtum Dominum vnum eſſe per Redemptionem Mediatorem, & quod Mediator Dei & hominum vnus eſt, homo Chriſtus Jesvs: vnde autem cogitaſtis, V. Matrem dicere voluiſſe, SS. Virginem Mediatricem fuiſſe per Redemptionem? Dum Uerſione Gallica legiſtis, *fuiſſe Mariam Mediatricem Gratiæ omnibus modis* (ſupponimus quod ſic non eſt in littera originali) *omnibus modis* potuit intelligi per interceſsionem, vt etiam ex contextu Gallico ſatis liquet: Quare igitur in malam partem projeciſtis, quod in bonam & legitimam abſque Verſionis injuria, imò cum Verſionis fundamento deduci poterat? Præterea, *omnibus modis*, via interceſsionis SS. Uirgo Gratiæ Mediatrix eſſe poterat ex vi Gallicæ Verſionis, abſque injuria Chriſti, Unici Mediatoris per Redemptionem, cum ibi dicatur, *omni inſtanti, omni tempore, omni opere, omnique exercitio pœnali lucraſſe ſibi & nobis SS. Virginem dona Gratiæ*: Adhuc ergo ex vi Verſionis Gallicæ in Catholicum ſenſum deduci potuit Notata propoſitio. *Verſ. Gall.*

1004 His ſic, dictiſque benè perpenſis, ad Notas Cenſuræ veſtræ deveniamus. *Falſa*, dicitis, *eſt, erronea, & Chriſto Domino injurioſa propoſitio aſſerens, Deiparam fuiſſe Mediatricem Gratiæ omnibus modis*. Excluſo modo Redemptionis, quem voluntariè addidiſtis; ſignate nobis modum, quo per interceſsionem non fuerit Maria Mediatrix Gratiæ? Vel potiùs, ex omnibus modis in littera textus, vel in Verſione ſignatis, dicite, quo modo non fuerit Mediatrix Gratiæ Regina Cœleſtis? Crux ſalutatur: *O Crux Ave ſpes vnica*: Nunquid ex hoc, ſalutari non valet Virgo Maria: *Spes noſtra Salve*? Quoniam Chriſtus vita eſt: *Ego ſum via, veritas, & vita*: Nùm ſalutari non valet Virgo Maria: *Vita dulcedo, &c*? Verùm ab alijs innumeris exemplaribus abſtineamus; ſat ſint nobis dicta, & quæ paſsim, Eccleſia duce, canimus quotidie. *Punctum hoc amplius elucidabitur infra Concert. 19. ſuper Art. 18. §. 2. & 3.* *Cenſ. Not.* *Eccleſ.* *Vid. infrà Concert. 19. §. 2. & 3.*

ARTIC. XVII.

CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM Pariſienſium.

1005 PAg. 14. num. 13. introduct. *Facies, ò Puriſsima pietatis Mater, rem tua clementia dignam, ſi miſeram de pulvere ſubleves, & ſubjectum prorſus debile, & omnino incapax aſſumas in inſtrumentum ad opera adeò difficilia & ſublimia, quibus exaltabis tuam gratiam, & gratias, quas Filius tuus tibi communicavit.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

1006 H*Æc propoſitio, quæ in SS. Virgine Deipara Gratiam admittit diſtinctam, ab illis, quas ei Chriſtus communicavit, falſa eſt, temeraria, & Verbo Dei contraria.*

CENSVRA SVPPOSITITIA.

1007 AVthores Suppoſititiæ Cenſuræ nihil dixerunt ſuper Notatam propoſitionem in hoc Articulo, agnoſcentes proculdubio, ex non recta intelligentia Deputatorum, eorum prodijſſe Cenſuram; quoniam in textu Originali, imò & in Gallica Verſione, ſatis liquido patet, ibi non loqui de gratia ſicut à Deputatis accepta, & intellecta videtur.

CONCERT. XVIII.

SVPER PROPOSITIONEM NOTAtam & Confixam in hoc Articulo 17.

Direct. 1008 OFFERVNTVR examinanda. 1. Diſcordia inter Verſionem Gallicam & litteram Originalem. 2. Siniſtra Deputatorum intelligentia, menſque genuina V. Abba-

batiſſæ in propoſitione confixa. 3. Qualificationes Cenſorum circa propoſitionem Notatam.

§. VNICVS.

EX INTELLIGENTIA LEGITIMA V. Authoris in propoſitione confixa, tota Deputatorum evertitur Cenſura.

1009 TExtus Originalis. *Obra ſerà (ò Puriſsima Madre) digna de vueſtra Clemencia levantar à la pobre de la tierra, y que de vn ſugeto flaco, y menos idoneo, hagais inſtrumento para obras tan dificiles, con que engrandeceis vueſtra Gracia, y las que vueſtro Hijo Santiſsimo os comunicò.* *Tex. Orig.*

1010 Verſio fidelis ex Hiſpano in latinum: *Opus erit (ò Puriſsima Mater) tua Clementia dignum, elevare pauperem à pulvere, & quod de ſubjecto debili, minuſque idoneo, ad opera ita difficilia facias inſtrumentum, quo tuam Gratiam exaltas, & gratias, quas Vnigenitus Filius tuus tibi communicavit.* *Verſ. ex Hiſpan. in lat.*

1011 Verſio ex Gallico in latinum, prout in Articulo: *Facies, ò Puriſsima pietatis Mater, rem tuâ clementiâ dignam, ſi miſeram de pulvere ſubleves, & ſubjectum prorſus debile, & omnino incapax, aſſumas in inſtrumentum ad opera adeò difficilia & ſublimia, quibus exaltabis tuam Gratiam, & gratias, quas Filius tuus tibi communicavit.* *Verſ. ex Gallic. in lat.*

1012 Diſcordia haud patet in multis, quanquam Interpres in terminis non videatur nimis fidelis. In primis, aliud ſignificat, *Facies*, ac verba illa Hiſpanica, *Obra ſerà*; verum ex ſignificato totius propoſitionis id tranſire poterat. Præterea, verba illa, *O Puriſsima pietatis Mater*, magis explicant quam Hiſpana verba, *O Puriſsima Madre*: terminus, *pietatis*, ſuperadditus eſt: omnia forent in hoc. Præterea, verba illa: *Subjectum prorſus debile, & omnino incapax*, non ſic reperiuntur in textu, nec ſic ſignificantur Hiſpana verba, *de vn ſugeto flaco, y menos idoneo*. Amplius quidem dicunt illa verba latina, quam iſta Hiſpanica, hæc ſiquidem ſolummodò ſignificant ſubjectum debile & minùs idoneum; illa autem exprimunt ſubjectum prorſus debile & omni- *Diſcordia* *Alia diſc.*

no incapax, & revera aliud eſt *ſubjectum debile*, ac *ſubjectũ prorſus debile*; & aliud valdè diverſum eſt, *ſubjectum minus idoneum, ac ſubjectum omnino incapax*, vt ex ſe patet: Verſio igitur quoad hoc minus fidelis eſt.

1013 His ſic de diſcordia Verſionis ab Originali; ad ſiniſtram intelligentiam DD. Deputatorum reſpectu propoſitionis confixæ jam deveniamus. Littera quippè, non ſolum in Hiſpanico textu, ſed etiam in Gallica Verſione, manifeſtè ſumit gratiam pro favore collato V. Abbatiſſæ à SS. Virgine Maria, in eo quod eam de pulvere ſuſcitaverit, & elegerit in Inſtrumentum ad manifeſtandas mundo ipſius SS. Uirginis Mariæ Gratias ſingulares, ab Unigenito Filio ſuo ipſi Almæ Parenti communicatas. Deputati verò ſignificatum propoſitionis non attingentes, Gratiam exiſtimarunt in Virgine Maria, non receptam ab Vnigenito Filio ſuo, vt ex ipſa eorum Cenſura manifeſtè comprobatur.

1014 Quod autem nonnunquam favor explicetur nomine Gratiæ ſatis apertè liquet ex S. Gregorio Papa, Homil. 12. in
S.Gregor. Evangelia vbi ait: *Hodierna Sancti Evangelij lectione compellor dicere, vt & bona quæ agitis, cum magna cautela teneatis: ne per hoc quod à vobis rectum geritur, favor aut Gratia humana requiratur*: Vbi notanda verba illa, *favor aut Gratia*: Favor igitur ſæpenumero explicatur nomine Gratiæ.

1015 Nec deficit in Sacris Litteris aſſumpti confirmatio; etenim Geneſ. 18. v. 3. dixit Abraham tribus viris, qui apparue-
Geneſ. 18. rant ei: *Domine, ſi inveni Gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum: ſed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes veſtros, &c.* Et Judith. 12. v. 17. dixit Holofernes ipſi Judithæ: *Vive nunc, & accumbe in jucunditate, quoniam inveniſti Gratiam coram me.*
Ruth. 2. Et Ruth 2. v. 2. *Dixitque Ruth Moabitis ad ſocrum ſuam: ſi jubes, vadam in agrum, & colligam ſpicas, quæ fugerint manus metentiũ:* Nunc notanda: *Vbicũque clementis in me Patris Familias repererο*
Baruch. *Gratiam.* Et Baruch 1. v. 12. *Dominus illuminet oculos noſtros vt vivamus ſub vmbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & ſub vmbra Balthaſar Filij ejus, & ſerviamus eis multis diebus, & inveniamus Gratiam in conſpectu eorum.* Ferè innumerabilia tacemus alia Scripturæ Sacræ teſtimonia, vbi *Gratia* ſumitur pro *Favore* humano.

Hoc

1016 Hoc ſic abundantèr comprobato, quis dubitare poterit, U. Abbatiſſam in illis verbis: *De vn ſugeto flaco bagais inſtrumento para obras tan diſſiciles, con que engrandeceis vueſtra gracia*, loquitur de *Favore* electionis & elevationis inſtrumenti debilis ad opera ſic difficilia & glorioſa? Ex contextu proximiori luce clarior videtur hæc intelligentia: Non igitur admittit V. Author in SS. Virgine aliquam Gratiam, non receptam à Chriſto Domino, vt ſiniſtrâ intelligentiâ putarunt Deputati. *Conf. intellig.*

1017 Nec negare tentamus in SS. Virgine Gratiam generalem; & aliam ſpecialem, vt cum Melifluo Doctore tenet Caniſsius de Maria Deipara, lib 3. cap. 4. fol. 198. col. 1. in fin. vbi ait: *Bernardus notat, Gratiam non modo generalem, ſed & ſingularem in Virgine prædicari: Generalem enim eſſe, quam de ipſa Chriſti velut fontis plenitudine accipiunt vniverſi; ſingularem vero, quod illa ſola præ omnibus plenitudinem Gratiæ ſit conſequuta.* Hoc tamen nihil facit, vt in Uirgine Gratia concedatur à Chriſto, vel ex meritis Chriſti non recepta. *Caniſsius.* *S. Bernar. Ser. 3. de Annũtiat*

1018 Præterea, convincitur amplius hæc eadem communiſſima intelligentia V. Abbatiſſæ in Propoſitione notata, ex eo quod ſæpèſępiùs beneficium iſtud electionis ad manifeſtanda Deiparæ privilegia, in tribus Introductionibus ad ſingulas Partes Myſticæ Civitatis Dei, ſingulari ponderatione ejus obijciuntur gratitudini. Proderunt videri in Introductione ad Primam Partem num. 3. 6. 7. 9. 13. 17. & in Introductione ad Secundam Partem num. 1. 12. 17. 31. & in Introductione ad Tertiam Partem num. 4. 7. 8. 11. 14. 15. 19. & 27. Verum quid immoramur quęrentes authoritates, dum ſuperant rationes? Supponamus ſic eſſe, V. Matrem electam fuiſſe à SS. Virgine Maria, vt ejus mirabilem & ſupermirabilem vitam mundo manifeſtaret. Caſu quo ſic ſit; quis rationis capax audebit negare, electionẽ hujuſmodi ſingularem fuiſſe Gratiam, ſingularemque favorem V. Abbatiſſæ à SS. Virgine Maria collatum? Gratia igitur hæc, Gratia fuit Virginis Mariæ non recepta, ſed facta, (niſi receptam dicas ea parte, qua juxta divinam voluntatem, concurrẽte Deo, ſine quo factum eſt nihil, electio V. Abbatiſſæ facta eſt) Potuit enim Regina Cœleſtis aliam creaturam eligere ad tantũ miniſterium; non aliam ſed hanc elegit: huic ergo fecit favorem & Gratiam, quam alijs creaturis non fecit. *Myſt. Civ. Dei, loc. hic citat.*

Ex

1019 Ex his apertius liquet intelligentia verborum illorum
Text. *Exaltabis, vel exaltas Gratiam tuam, & Gratias quas Filius tuus Sanctiſsimus tibi communicavit.* Sumpta Gratia pro favore, tunc magis exaltatur Gratia, quando elevatur debilius inſtrumentum; ſed dixerat V. Author, ſe fore debile ſubjectum minuſque idoneum ad Opera ſic magnifica: Exaltatur ergo favor Virginis hanc creaturam elevando. His conſonant illa Sacra verba, quæ in Feſto Sancti Didaci Complutenſis canit Eccleſia: *Humiliavit ſe in omnibus, & coram Deo invenit Gratiam: Quoniam magna potentia Dei, & ab humilibus honoratur:* Et in Oratione ipſius Solemnitatis: *Deus qui diſpoſitione mirabili infirma mundi eligis vt fortia quæque confundas:* Exaltatur igitur Gratia benefactoris ex humilitate & debilitate recipientis beneficium; ſed Regina Cœleſtis eligens creaturam, vt ſingulares Gratias & Glorias ſuas manifeſtaret mundo, beneficium fecit: Rectè igitur Venerab. Author ad hunc finem electa, ex vera humilitate cognoſcens indignitatem propriam, dicebat: *Exaltabis Gratiam tuam*, id eſt, *Favorem tuum*, ſic debile Inſtrumentum eligens ad manifeſtandas mundo *Gratias à Filio tuo tibi communicatas.* Hæc eſt veriſsima & invertibilis Notatæ propoſitionis intelligentia.

In Feſt. S. Didaci.

1020 Percipere reſtat, quomodo haud ſolum Gratia, ſeù Favor Virginis, quinimò & Gratiæ ipſius Virginis à Filio ſuo receptæ ex debilitate Inſtrumenti, vt fertur, exaltentur? Etenim vtrumque dicitur in illis verbis: *Exaltabis Gratiam tuam, & Gratias, &c.* Vidimus primum, nunc examinemus ſecundum. Magis exaltantur Gratiæ & Privilegia Deiparæ Virginis, dum à creatura publicãtur, cujus diſcurſui tribui non poſſunt, quã ſi à Viris Doctiſsimis prędicarẽtur. Hoc patet, & expreſsè profitetur à V. Matre num. 3. Introductionis ad Primam Partem, à linea prima, vbi inquit: *Bien juzgara yo* (loquitur de proportionatis inſtrumentis) *que lo fueran los Maeſtros, y Varones Santos de la Igleſia Catholica, ò los Doctores de las Eſcuelas, que todos nos han enſeñado el camino de la verdad. Pero los juyzios del Altiſsimo, y ſus penſamientos ſe levantan ſobre los nueſtros, como el Cielo de la tierra; y nadie conociò ſu ſentido, ni en ſus obras le pudo dàr conſejo. El es quien tiene el peſo del Santuario en ſu mano, y pondera los vientos; comprehende todos los Orbes en ſus palmas, y con la equidad de ſus ſantiſsimos conſejos, diſpone todas las coſas en peſo. Y me-*

Myſt. Civ. Dei.

medida, dando à cada vna oportuno lugar, y tiempo. Hic fatetur V Author Divinam æquitatem, & incomprehenſibilia judicia Dei, vt oportet, veneratur. Verum num. 658. 3 part à lin. 12. rationem oſtendit, SS. Virgo, cur non Magiſtros ſed ſimplicem elegerit Fœminam, his verbis: *En eſta Dignidad de hazerme Dios Madre ſuya, ſe contienen todas mis gracias, como en ſu origen; Por eſto el dia que me conocieron los hombres por Madre de Dios, conocieron implicitamente, y como en ſu cauſa las condiciones que para tal excelencia me pertenecẽ, dexando à la devocion, piedad, y corteſia de los Fieles, que para obligar à mi Hijo Santiſsimo, y merecer mi proteccion, fueſſen diſcurriendo dignamente de mi Sãtidad, y dones, y los colligieſſen, y confeſſaſſen conforme à ſu devociõ, y mi Dignidad.* Nunc notanda: *Y como en eſto muchos de los mortales han ſido, vnos cõ buẽ zelo timidos, otros cõ indevociõ mas tardos de lo q̃ deviá, ha querido mi Hijo Sãtiſsimo manifeſtarles eſtos ocultos Sacramentos ſin fiarlo del humano diſcurſo, ni de la ciencia à que ſe eſtiende, &c.* Alijſque pluribus in locis idipsũ repetit, verbis parũ diverſis, conſonantibus teſtimonijs in eo, quod ſimplex Mulier electa eſt, & non Docti Magiſtri, ad hæc Deiparæ Magnalia manifeſtanda, vt non ſcientiæ humanæ ſed Divinæ luci ſuperноque tribuantur Magiſterio: ex quo & ipſa Deiparæ dona, Gratiæ, ſcilicet, à Dilectiſsimo Filio receptæ, amplius magnificantur, ratione debilitatis inſtrumenti. *Myſt. Civ. Dei 3. p.*

1021. Nec exemplaribus caret punctum diſcurſus: Etenim ſcriptum eſt: *Ex ore Infantium & Lactentium perfeciſti laudem*; quaſi non Infantibus & Lactentibus tribuenda ſed diſpoſitioni Omnipotentis, *qui linguas Infantium* in gloriam ſuam *facit eſſe diſertas*. Cœterũ, & Chriſtus Dominus, non Doctores & Magiſtros elegit, ſed ſimplices Piſcatores ad Gloriam ſuam prædicandam, vt in eis non humana ſcientia, ſed mirabilis loqueretur lingua Cœlorum; imò & de ipſo Supremo Domino mirabantur homines dicentes: *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit*; Poſtmodumque & ipſa Sapientia Patris ajebat: *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*: Ex ſimplicitate igitur electæ creaturæ ad Magnalia Dei propalanda, & Gratia electionis, & inſimul Gratiæ ſive Dona revelata mirificè exaltantur. *Pſalm.* *Math.*

1022 Reſultat ex dictis, confixæ Propoſitionis adæquata in-

Adæquat. intellig. intelligentia litteralis. Dicit enim V. Mater loquens cum SS. Virgine: *Elevando pauperem à pulvere, & ſubjectum minus idoneũ ad Opera ita difficilia & magnifica, exaltabis Gratiã tuã*, id eſt, *favorem tuum*, quoniam favor exaltatur ex majori beneficio, majuſque beneficium eſt, quod meretur minus; & inſimul *exaltabis Gratias quas Vnigenitus Filius tuus tibi communicavit*. Quoniam Gratiæ magis exaltantur, dum Divina luce à ſubjecto ſimpliciori proferuntur. Dicite nobis Cenſores, ſi totum hoc verum eſt, ſuppoſita mirabili electione & elevatione V. Fœminæ, inſimulque ſuppoſito quod ita ſit elevata, ſicut piè credimus ſic eſſe?

1023 Circa qualificationes veſtras in Propoſitionem confixam, parum aut nihil miramur; quoniam ſiniſtra intelligentia textus ſemel poſita, nec exceſsivas judicamus. Intellexiſtis, vt ex Cenſura veſtra liquet, V. Authorem concedere Gratiam aliquam in Sanctiſsima Virgine, non receptam à Chriſto Domino. Abſque fundamento id cogitaſtis, poſito autem falſo judicio nihil mirum de Cenſura veſtra. De Sancto Tobia ſcriptum eſt: *Eleemoſynæ tuæ:: derelinquebas prandium tuum*, & alia hu- *In lib. Tobiæ.* juſmodi, quin per hoc concedatur Gratia in Sancto Seniore, à Domino non recepta. Non valet fieri, opus bonum ſine adjutorio Divino, ſicut *nec dicere* meritoriè *Dominus Jesvs, niſi in Spi- Apoſt. ritu Sancto*; verum ex hoc non ſequitur, opus non prædicari de operante, vt dicatur opus ejus; ſicut nec ſequitur, operanti libero non imputari. Elegit Sanctiſsima Virgo V. Abbatiſſam: Quamvis igitur hoc fieret diſponente Deo, potuit V. Author favorem hunc appellare Gratiam Virginis, ſivè *Gratiam tuam*, dum cum SS. Virgine loquebatur. Aliud quippè eſt, vt bene noſtis, Gratia recepta per modum qualitatis, ſivè doni; & aliud, opus à creatura procedens, etſi concurrat Gratia Divina, ſivè Donum Supernum. Gratia dicitur à Deo collata, ſivè à Deo recepta, quoniam *omne donum optimum deſurſum eſt*; opus autem liberum creaturæ, quanquam ex Gratia, ſivè ex diſpoſitione *3. Reg. 5.* Divina procedat, opus dicitur creaturæ. 3 Reg 5. v. 13. *Elegit Salomon operarios, &c.* Gratiam fecit his quos elegit, quam non fecit alijs quos dereliquit: Gratia autem hæc qua hi præ alijs ſic eliguntur, quæ & Favor vocatur, non attinet ad Gratias à Deo receptas: & ſi talis electio proveniret à Gratia à Deo recepta, electio operariorũ non diceretur Gratia à Deo recepta, ſed opus

Gra-

Gratię, ſivè opus ex Gratia à Deo recepta proveniens. Amplius quam opus erat, videbitur forsàn ſatisfactio noſtra protenſa.

ARTIC. XVIII.

CENSURÆ DD. DEPUTATORUM Pariſienſium.

1024 PAg 335. num. 300. *Si Mortales oculos haberent ſatis perſpicaces ad inſpiciendum lumen Puriſsimæ Mariæ, faterentur, illam ſolam ſufficere illuminandis omnibus Hominibus venientibus in Mundum, uſque ducendis per vias tutas ad Beatam Æternitatem: & quia omnes, qui pervenerunt ad notitiam Dei, ambulaverunt in lumine hujus S. Civitatis, dicitur à Ioanne: Ambulabunt Gentes in lumine ejus.*

CENSURA DD. DEPUTATORUM.

1025 HÆc Propoſitio, *quatenus Soli SS. Deiparæ tribuit, quod ſoli Chriſto competit, falſa eſt, ſcandaloſa, erronea, & Chriſto Salvatori noſtro injurioſa.*

CENSURA SUPPOSITITIA.

1026 HÆc *Propoſitio, quæ SS. Deiparæ tribuit, quod ſoli Verbo competit, falſa eſt, ſcandaloſa, & erronea,* In Libello Suppoſititiæ Cenſuræ eſt Artic. 13.

CONCERT. XIX.

SUPER PROPOSITIONEM NOTAtam & confixam in hoc Articulo 18.

1027 PROPONUNTUR examinanda 1. Diſcordia Verſionis Gallicæ cum Textu Originali. 2. Mens legitima V. Abbatiſſæ in Propoſitione confixa. 3. Conſonantia mira-

biis Notatæ propoſitioni, alijs SS. PP. Doctrinis. 4. Cenſurarum Notæ. De 1. & 2. fiet in §. 1.

§. I.

VERSIO GALLICA, TEXTVSQVE LITteræ Originalis conferuntur; & mens legitima V. Abbatiſſæ comprobatur.

1028 TExtus Originalis: *Si los mortales tuvieran claros ojos para vèr eſtas luzes de Maria Santiſsima, ella ſola baſtava para iluminar à todo hombre que viene al mundo, y para encaminarlos por las ſendas rectas de la eternidad. Y porque todos los que han llegado al conocimiẽto de Dios, han caminado con la luz de eſta Ciudad Santa, dize San Juan: Que las gentes caminaràn con ſu luz.*

Tex.Orig.

1029 Verſio ex Hiſpano in latinum: *Si mortales haberent oculos perſpicaces, vt has intuerentur luces Mariæ SS. ipſa ſola ſufficiens erat, ad illuminandum omnem hominem venientem in mundum, & ad eos dirigendos per ſemitas rectas æternitatis. Et quoniã omnes, qui pervenerunt ad cognitionem Dei, iter egerunt luce hujus Civitatis Sanctæ, dicit S. Ioannes: Ambulabunt Gentes in lumine ejus.*

Verſ. ex Hiſpan. in lat.

1030 Verſio ex Gallico in latinum, prout in Articulo Cẽſuræ. *Si mortales oculos haberent ſatis perſpicaces, ad inſpiciendum lumen Puriſsimæ Mariæ, faterentur, illam ſolam ſufficere illuminãdis omnibus hominibus venientibus in Mundum, iiſque ducendis per vias tutas ad Beatam Æternitatem: Et quia omnes, qui pervenerunt ad notitiam Dei, ambulaverunt in lumine hujus Sanctæ Civitatis, dicitur à Ioanne: Ambulabunt gentes in lumine ejus.*

Verſ. ex Gallic. in lat.

1031 Diſcordia ſubſtantialis, vna videtur: improprietates autem, nonnullæ. Inprimis illa verba: *Si mortales oculos haberẽt*, æquivocè ponuntur, nam intelligi valet expoſitione verborum, quod vox, *mortales*, adjectivè ſumitur, ita vt, *mortales oculos*, tanquam ſubſtantivum & adjectivum concordare judicentur, cum revera vox *mortales*, ſubſtantivè ſit ſumenda, juxta proprietatem litteræ textus.

Diſcordia

1032 Præterea, verba illa: *Ad inſpiciendum lumen Puriſsi-*

mæ

ma Mariæ, aliud ſignificant, quam Hiſpanicæ illæ voces : *Para vèr eſtas luzes de Maria Santiſsima*. Patet hoc, nam terminus ille, *eſtas luzes*, reſpectivus eſt ad ſupradicta in ipſo numero, quem reſpectum Interpres Gallicus tollit è medio. Vt autem intelligatur neceſſarius reſpectus illius vocis, *para vèr eſtas luzes*, legendæ ſunt anteriores clauſulæ, quæ Hiſpanicè ajunt ſic: *Si Chriſto Señor nueſtro llamò à los Doctores, y Santos luzes encendidas, y pueſtas ſobre el Candelero de la Igleſia, para que la iluſtraſſen de el reſplandor, y de la luz, que han derramado los Patriarcas, y Profetas, Apoſtoles, Martyres, y Doctores, han llenado la Igleſia Catholica de tanta claridad, que parece vn Cielo con muchos Soles, y Lunas: Que ſe podia dezir de Maria Santiſsima, cuya luz, y reſplandor excede incomparablemente à todos los Maeſtros, y Doctores de la Igleſia, y à los miſmos Angeles del Cielo?* Nunc ſequitur immediatè clauſula Notata: *Si los mortales tuvieran claros ojos para vèr eſtas luzes de Maria, &c.* Aliud igitur eſt ſignificatũ clauſulę litteralis, ac ſignificatũ Gallicę traductionis. Significatũ legitimũ litteralis clauſulæ id eſt, quod luces SS. Virginis Eccleſiæ Catholicæ præſtitæ, incomparabilitèr eminent luces Patriarcharũ & Prophetarũ, Apoſtolorũ, Martyrũ, & Doctorũ, imò & Angelorũ, quod vtique verum eſt, & non negabitur à Cenſoribus : ſignificatum autem Verſionis Gallicæ, prout ſumitur ab Authoribus vtriuſque Libelli, Mariæ Sanctiſsimæ luces elevat, vt compareutur cum lumine Chriſti. Vide igitur ſubſtantialem diſcordiam quoad hanc partem. *Alia diſc. ſubſt.*

1033 Præterea, verbum illud, *faterentur*, in Originali non reperitur, vt ex ſe patet. Aliæ poſtmodum diſcordantiæ minoris momenti, ex comparatione faciali Gallicæ Verſionis cum littera Textus Originalis facillimè notantur; de his tamen non curamus.

1034 Liquet ex dictis legitima V. Authoris intelligentia in Propoſitione confixa. Ait enim: *Sanctiſsimæ Virginis luces, Eccleſiæ Sanctæ collatas, improportionabilitèr excedere luces omnium ipſius Eccleſiæ Doctorum, & Angelorum Cœleſtium; ipſaſque Mariæ luces tales fore, vt ſi à mortalibus proſpicerentur, illuminare poſſent omnem hominem venientem in mundum, vt ambularent per ſemitas rectas Æternitatis.* Hoc quippè verum eſt: etenim cum luces hujuſmodi veritatem Catholicam oſtendant, viamque Chriſtianæ *Intelligẽt legitima.*

perfectionis: Quis dubitare poterit, quod ſi quilibet, lumen hoc refulgentiſsimum comprehenderet, ambulare poſſet itinere recto vſque ad fœlicem Portam Æternitatis?

§. II.

MIRABILIS CONSONANTIA V. ABbatiſſæ in Propoſitione confixa, alijs SS. PP. & DD. celeberrimis doctrinis.

1035 Eadem propoſitio, ferè in terminis formalibus, quæ vt falſa, ſcandaloſa, erronea, & Chriſto Salvatori noſtro injurioſa judicatur à Cenſoribus noſtris, ſcripta reperitur à tribus ſaltem Celeberrimis Doctoribus Pariſienſibus. Hi quidem ſunt: Seraphicus Doctor, Cancellarius Magnus Gersó, & Albertus Magnus. Noviſsimus ſit primus quoad expreſsioné quæſitam. Albertus itaque Magnus in Biblia B. Virginis Mariæ (apud Bibliothecam Virginalem, tom. 1. fol. 514. col. 2. ſub lit. D) exponens Evangeliũ S. Ioannis, ſuper illa verba: *In principio erat Verbum*, ait ſic: *Beatiſsima Domina Virgo Maria, ſecundum Evangelium Ioannis dicitur Mater reſtitutionis omnium. Sicut dicitur de ejus Filio*: Omnia per ipſum facta ſunt: *Sic dicitur de ipſa*: Omnia per ipſum refecta ſunt, *vt dicit Anſelmus.* Nunc notanda. *Item ipſa eſt lux vera, Ioan. 1. Quæ poſt Deum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quid amplius quæritis?

Albert. Magn.

1036 Nec minori claritate alter percelebris Doctor Pariſienſis loquitur Gerſon, tract. 12. *ſuper Magnificat*, Notula 1. vbi ait: *Et ipſa SS. Virgo Maria eſt lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Verè dicitur* Illuminatrix, *ſic enim ſonat Mariæ propriè Nomen; ſic Maria per ethymologiam dicitur* Stella Maris, *quam illuminatricem eſſe conſtat.* Sed Notata propoſitio nihil aliud affirmat, præter hoc quod à Magno Cancellario Pariſienſi dicitur expreſsè: Damnaſtis igitur, ò Cenſores, Doctorem veſtrum, cujus diſcipulatum tanquam honorem profitemini.

Gerſon.

1037 Sit tertius Magiſter Pariſienſis, qui & primus digni-

ta-

tate, ſcilicèt, Seraphicus Doctor Bonaventura, lect. 3. in Spec. vbi ſic loquitur: *Quid mirum, ſi Mariæ præſentia totum illuminat Cœlum, quæ etiam totum illuſtrat Orbem?* Sed modus nobiliſsimus illuſtrandi Orbem terrarum quæ illuminat Cœlum, eſt ſic illuminare homines habitantes in mundo, vt clariſsima luce dirigat greſſus noſtros in viam æternitatis: cum hoc ergo ipſum aſſerat Notata Propoſitio, laureata conſpicitur tribus Doctorum Pariſienſium inſignibus teſtimonijs. *Seraph. Doct.*

1038 Haud nimis diſcordat Meliſluus Doctor, Serm. de Nativit. B. Mariæ Aquæductæ, vbi conſueta dulcedine, ait ſic: *Tolle corpus ſolare, quod illuminat mundum: Vbi dies? Tolle Mariam hanc maris Stellā, Maris vtique materni & ſpatioſioris; quid niſi caligo & vmbra mortis, ac denſiſsimæ tenebræ relinquuntur?* Si igitur ablata luce Mariæ, nihil manet niſi vmbra mortis: Lux ergo Mariæ lux eſt vitæ ſalutaris, ducens homines in viam tutam æternitatis; ſed hoc eſt quod aſſerit Notata Propoſitio: Ergo, &c. *S. Bernar.*

1039 Conſonat dictis S. Maria Magdalena de Pazzis, lib. 6. Divinarum Intelligentiarum, cap. 3. fol. 197 col. 1. init. vbi ait: *O Maria, Sanctiſsimæ Trinitatis complacentia, Prophetarū Dioptra; ad quid Prophetæ, niſi ad adventum tuum aſpirabant? Quo voces emittebant, niſi ad te? Expectantes enim Meſiam, à te naſciturum ſciebant.* Nunc nobis. *Lux es, non modo Populi Hebræi, ſed etiam totius generis humani.* Ex Revelatione igitur privata, ita percelebri, jam conſtat, SS. Uirginem Mariam eſſe lucem totius generis humani; ſed ad nihil aliud principalius eſt hominum lux, niſi vt ejus ſplendoribus ducti dirigantur via tutiſsima in finalem portum æternitatis: Ergo, &c. *S. Pazzis.*

1040 Coadjubat non parum in ſuis Revelationibus Divinis S. Birgitta, lib. 1. cap. 46. fol. 99. col. 1. init. vbi dicitur: *Benedicta ſis tu ô Maria, quia ex pulchritudine tua gaudent Angeli. Ex virtute tua omnes qui invocant te ſincero corde liberantur.* Nunc quæſita. *In luce tua omnes dæmones contremiſcunt, nec audent ad tuum fulgorem ſubſiſtere, quia ſemper volunt eſſe in tenebris.* In tenebris ergo relinquuntur, qui Mariæ lucē, ejuſque fulgorē aufugiunt. Lux igitur Mariæ, ejuſque Cœleſtis fulgor, dum dæmones terret, animas lætificat & illuminat, vt viam ſalutis æternæ itinere recto percurrant. *S. Birgit.*

Adſ-

Amadeus. 1041 Adſtipulatur V. Amadeus, Epiſcopus Lauſanenſis, *de laudibus Glorioſæ Virginis Mariæ*, Homil. 1. *de fructibus & floribus SS. Virginis*, in Biblioth. Virginali, tom. 1. fol. 729. col. 1. in fine, vbi ait: *Hæc igitur Virgo Beata omni luce clarior, omni ſuavitate gratior, omnique Potentatu ſublimior, totum mundum illuminat, & vnguenti optimi perfuſsione innovans omnia, Cherubin & Seraphin agmina poteſtate tranſcendit & maieſtate, &c.* Proſunt nobis verba illa: *Maria totum mundum illuminat*, nihil quippè aliud quærimus, niſi quod in favorem Notatæ Propoſitionis conducit.

Auguſt. Ancon it. 1042 Æſtimabili ſubtilitate ad finem noſtrum, calamum direxit Inſignis Auguſtinus Anconitanus, præclariſsimi ſui Patriarchæ Auguſtini ſingularis Diſcipulus, in ſanctitate admirabilis Filius, qui floruit circa annum 1243. diſcipulatu gaudens Angelici Doctoris & Seraphici Bonaventuræ, Lutetiæ Pariſiorum. Hic enim Tractatu *in Salutationem & Annuntiationem Angelicam*, quæſt. 2. circa finem, & in Bibliotheca Virginali, to. 3. fol. 319. col. 2. ſub lit. B. ait ſic: *Igitur Virgo Sanctiſsima nominata eſt Maria, id eſt, illuminatrix, quia illuminavit Apoſtolos, Evangelicæ Doctrinæ veritate; Martyres, Fidei Catholicæ firmitate; Confeſſores, recepti talenti fœcunditate; & Virgines, munditiæ puritate; vt de ipſa intelligatur dictum, quod ſcribitur Eccl. 24.* Ego feci in Cœlis *id eſt, in omnibus Sanctis*, vt oriretur *Sol*, lumen eis indeficiens, *Beata Virgo, quantum ad ejus vniverſalem illuminationem*; Prodeſt authoritas etiam ad Articulum 12. vbi de *Magiſterio SS. Virginis Mariæ* tractatum ſuſcepimus. Hic enim conſtat, Reginam Cœleſtem illuminaſſe Apoſtolos Chriſti, & Sacros Evangeliſtas, Martyres, Confeſſores, & Uirgines, totumque mundum, quod facit ad confixam Propoſitionem ſub hoc Articulo 18. Coronari valet aſſumptum verbis dulciſsimis Meliflui Doctoris, Serm. ex verb. Apoc. *Signum magnum apparuit in Cœlo Mulier amicta Sole*, vbi Maria vocatur: *Abyſſus luminum*, ſivè *Abyſſus luminis*, vt exponitur à Caniſsio, lib. 3. de Maria Deipara, cap. 13. fol. 233. col. 1. in fine.

Sup. Concert. 17. 1043 Quoniam autem haud ſemel hoc notarunt Noſtri Cenſores, quod SS. Virgini applicentur elogia, ſoli Chriſto convenientia; præter ea quæ ſupra diximus Concertat. 17. nonnulla hic ſuperaddere decrevimus, vt nimius Cenſorum timor

in

in Epitetis Deiparæ finem accipiat. Ad hoc enim deprecamur enixè vt ſequentes authoritates legere patiantur.

1044. S. Hieronymus, Serm. de Aſſumpt. Virginis: *Etſi in Sanctis Patribus & Prophetis Gratia fuiſſe credatur, non tamen catenus plena: In Mariam vero totius gratiæ quæ in Chriſto eſt plenitudo venit, quanquam aliter:* Dum ergo aliter ponatur in SS. Virgine Donum, ſivè Gratia, quam in Chriſto, non obeſt quod in Chriſto ſit, vt Mariæ conveniat. *S. Hieronym*

1045 S. Bernardus, Homil. 1. in Evang. *Alitèr quippè Chriſtus fortitudo, vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus:* Si ergo hoc ſufficit, quod aliter Angelus quam Chriſtus ſit fortitudo, vt nomen Chriſto proprium conveniat Angelo: Conſimiliter ſufficiet, vt aliter Attributum dicatur de Chriſto, & aliter de Maria, vt Elogia Chriſti Mariæ conveniant. *S. Bernar.*

1046 Idem, ſuper Miſſus eſt: *Altiùs ergo intuemini, quanto devotionis affectu à nobis eam voluerit Dominus honorari, qui totiùs boni poſuit plenitudinem in Maria, vt proindè ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare, quæ aſcendit delitijs affluens;* ſed ſpes noſtra in Chriſto eſt, & aliter ſpei ratio pro nobis ponitur in Maria: Non ergo impedit quod Attributum ſit proprium Chriſti, vt aliter in Maria ponatur. *Idem.*

1047 Idem, Serm. in Nativit. Mariæ de Aquæductu: *Filioli, Maria eſt peccatorum Scala, hæc mea maxima fidutia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ.* Dicant Cenſores, ſi hæc Propoſitio eſt Salvatori noſtro injurioſa? Dùm igitur id non dicent, reverentia tanti Doctoris, & quoniam rei veritate ſalva id intelligi poteſt ſine injuria Chriſti, fateantur jam, ea quæ de Chriſto dicuntur, SS. Virgini poſſe convenire quanquam aliter. *Idem.*

1048 Seraphicus Doctor in ſuo Pſalt. *Venite ad eam Virginem, qui laboratis & tribulati eſtis, & dabit refrigerium animabus veſtris;* ſed hoc principalitèr dictum eſt de Chriſto, ore ipſius: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, &c.* non ergo implicat, quod aliter dicatur de Maria id, quod principalitèr de Chriſto dicitur. *S. Bonavēt*

1049 S. Petrus Damianus, Serm. de Annunt. *Juxta Prophetam init Deus concilium, cogit conſilium. Et ſtatim de theſauro Divinitatis, Mariæ nomen evolvitur, & per ipſam, & in ipſa, & cum ipſa totum hoc faciendum decernitur, &c.* Sed principalitèr *S.P.Dam.*

de

de Verbo Divino, ſivè de Chriſto, dictum eſt: *Omnia per ipſum, & cum ipſo & in ipſo facta ſunt*: non igitur repugnat, quod aliter dicatur de Maria, &c.

S. Anſelm. 1050 S. Anſelmus Cantuarienſis, opuſc. de Beata Deigenitrice Maria, in Bibliothec. Virg. tom. 2. fol. 418. col. 2. ſub lit. D. *Per fœcunditatem tuam, Domina, mundus peccator eſt juſtificatus; damnatus, ſalvatus; exul, reductus: partus tuus, Domina, mũdum captivum redemit, ægrum ſanavit, mortuum reſuſcitavit. Cœlũ ſydera, terra, flumina, dies, nox, & quecunque humanæ poteſtati, vel vtilitati ſunt obnoxia, in amiſſum decus ſeſe gratulantur, Domina, per te quodammodo reſuſcitata, & nova quadam ineffabili gratia donata. Quaſi enim omnia mortua erant, & quaſi reſuſcitata lætantur. Beneficijs tuis plenus eſt mundus, &c.* Aſpicite, ò Cenſores, quot elogia prædicantur de Maria, quæ principalitèr Chriſto convenire videntur.

S. Epiphã. 1051 S. Epiphanius, Hæreſ. 78. *Si Chriſtus Leonis Catulus, profecto ejus genitricem Leenam dicerim: Ita ſi Chriſtus eſt Rex, profecto Mater ejus eſt Regina.* Sic diſcurſum protendere poteſtis, ò Cenſores, ita vt quęcunque de Chriſto dicta ſunt, alitèr quoque de Maria dicantur.

S. Cat. Sen. 1052 S. Catharina Senenſis, Orat. 11. *O Maria Redemptrix humani generis, ex eo quia carne tua patiente in Chriſto redemptus eſt mundus*; ſed elogium Chriſto ſingularius eſt eſſe Redemptorem: ſi ergo in aliquo vero ſenſu alitèr ac Chriſto convenit Mariæ eſſe Redemptricem abſque injuria Chriſti; videte, qualis excellentia ita Chriſto conveniet, quæ & Mariæ nequeat convenire, quanquam aliter.

S. Birgitta 1053 S. Birgitta in ſuis privatis Revelationibus extravagantibus, tom. 2. poſt lib. 8. cap. 3. fol. 416. col. 1. circa med. *Propter hanc igitur voluntatem* (loquitur Chriſtus) *ego Deus ab æterno Filius Dei, factus ſum homo in Virgine, cujus cor erat quaſi cor meum. Et ideo bene dicere poſſunt, quod Mater mea & ego, quaſi cum vno corde, ſalvavimus hominem, ego patiendo corde & carne, ipſa cordis dolore & amore.* His exponitur, & intelligitur amplius S. Catharinæ teſtimonium, quod nuper retulimus, aſumptumque principale roboratur, quod quidquid de Chriſto dicitur, etiam applicatur Marię, quanquam aliter.

Albert. Magn. 1054 Albertus Magnus in Biblia Virginis Mariæ, quam cita-

citavimus alibi, in Bibliotheca Virginali tranſcriptam: *Et hæc ſi Joannes propter officium Baptiſmi interrogatus fuit à Judæis*: Tu quis es? *ſic, & nos ſi interrogaverimus eam*: Tu quis es? *Reſpondebit nobis, quia non ſum Chriſtus, ſed Chriſti Mater*: Quidquid igitur applicatū Mariæ ex his quæ Chriſto conveniunt, inveneritis, ſcitote, docti Cenſores, quod Maria non eſt Chriſtus, ſed Mater Chriſti, & quod alitèr Mariæ conveniunt, quæ de Chriſto prędicantur.

1055 Idem, ibid. in Bibliotheca Uirginali, tom. 1 fol. 485. col. 2. ſub lit. B. *Pro regula enim infallibili habere debemus omnes qui diligimus Mariam, quod quidquid vnquam in aliquo SS. bonitatis, vel pulchritudinis fuit, in ipſa non dubitemus minimè defuiſſe, & per ipſam in nos.* Ultima verba ſunt notanda, ea ſcilicet: *Et per ipſam in nos*; ſed hoc ipſum de Chriſto dicitur principalitèr, quod *per ipſum omnia dona ſuperna deſcendunt in nos*: non ergo repugnat, quod quæ de Chriſto dicuntur, etiam de Maria verificentur, quanquam alitèr. *Idem.*

1056 Idem, *ſuper Miſſus eſt*, cap. 198. in eadem Bibliotheca Virginali, tom. 1. fol. 420. col. 2. ſub. lit. D. loquens *de plenitudine gratiæ, quæ eſt receptiva, & dativa, & non retentiva*, inquit: *Sic Beata Virgo, plena eſt gratia omnium, quantum ad numerum gratiarum, quæ omnes tranſeunt per ipſius manum. Vnde Eccleſ.* 24. Ego quaſi aquæductus exivi de Paradiſo Dei, *hoc eſt, delicijs miſericordiarum Dei.* Item S. Bernardus: *Diu defuerunt fluenta gratiarum, quia nondum venerant aquæductus. Et iſta eſt Aquæductus mirabilis, &c.* Sequitur ex hoc, quod omnes gratiæ tranſeunt ad nos per Mariam, & reddimus ad nuper dicta, hoc, ſcilicèt, intelligi, ſine injuria Chriſti, Mariæque convenire per gratiam, quæ Chriſto per naturam. *Idem.* *S. Bernar.*

1057 Ambroſius Spiera, Serm. 32. *In Sabbatis de B. Virgine*, in Bibliotheca Virginali, tom. 2. fol. 154. col. 1. ſub lit. B. *Tota anima mea eſt vnitus Virginis Glorioſæ ad dulciſsimum Chriſtum; vt dignitates, quæ Chriſto conveniunt per naturam, Virgini conveniant per gratiam: ſicut hodiè Chriſtus per naturam inquit:* Ego ſum lux mundi: *Sic Virgo glorioſa per gratiam dicere poteſt: Ego ſum lux mundi. Vnde ait S. Bernardus: ò Maria, noſtram noctem illuminas, vt qui vias tuas inſecutus fuerit, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Hæc ille. Quid, quæſo, nos miſeri & ob- *Ambroſ. Spiera.* *S. Bernar.*

tenebrati in hujus ſæculi nocte faceremus, ſi tàm lucidam lucernam, ſi tàm luminoſam columnam non haberemus? Hæc applicatione non indigent; vtrunque enim quod aſſumpſimus perſuadent: Inprimis Notatā propoſitionem valdè roborant, & deinde aliam propoſitionem vniverſaliorem, ſcilicèt, de Maria dici quod de Chriſto, quanquam alitèr, valdè confirmant.

Ambroſ. Spiera. 1058 Item, ibid. fol. 186. col. 2. ſub lit. C. *Quantum ad ſecundam veritatem dico brevitèr, quod Hieronymus, Bernardus, & omnes Sancti clamant, videlicèt, quod nulla gratia deſcendit de Cælis ad terras, niſi tranſeat per manus Mariæ*: Nulla igitur lux hominibus communicata, vt æternitatis ſemitam rectam arripiāt, confertur, niſi per Mariam: in hoc ergo ſenſu: *Illuminat omnem hominem, &c.*

Ægidius. 1059 Ægidius Romanus, ſuper Salutat. Angel. in Biblioth. Virg. tom. 3. fol. 488. ſuper illud Eſth. 13. *In ditione tua cuncta ſunt poſita,* inquit: *Ipſa etiam SS. Virgo omnium Domina credi debet. Vnde Eccleſia de ea dicit, Regina Cæli, Porta Paradyſi, Domina mundi, &c.* Ibique proſequitur, quamplura Epitheta, quæ Chriſto Domino principalitèr convenire videntur, prædicans de Virgine Maria, quanquam aliter.

Adamus Brovver. 1060 Adamus Brovverius, in Salutatione Angelica coronata, apud Biblioth. Virgin. tom. 1. fol. 32. col. 2. ſub lit. B. *Ave Domina præcellentiſsima: Per te vivit Orbis terrarum. Ad tui memoriam hilareſcunt, & recreantur fideles animæ.* Revera per Chriſtum vivit Orbis terrarum; verum quod de Chriſto principalitèr intelligitur, hoc videtur de Maria prædicatum, quanquam alitèr.

Caniſsius. 1061 Poſtmodum apud Caniſsium, *de Maria Deipara,* paſſim invenies. Elogia multa, & ferè omnia quæ de Chriſto principalitèr intelliguntur, accomodata Mariæ Virgini, quanquam alitèr. Etenim fol. 30. & 31. quamvis SS. Virgo Maria Concepta ſit, vt defacto concepta eſt ſine peccato originali, explicatur ibi Privilegium hoc abſque injuria Chriſti concedi Virgini Mariæ; quoniam alitèr Chriſtus, & alitèr Maria concipiuntur ſine peccato originali. Et fol. 145. ſimilitèr explicatur, quomodo Maria dicitur abſque injuria Chriſti, *Caput Virginum.* Et fol. 487. Epitheta varia dicta de Chriſto, tribuuntur Mariæ abſque injuria Chriſti. Et fol. 495. alia Epitheta Deo propria exponū-

tur

tur Mariæ communia. Et fol. 207. 210. & 211. Gratiæ plenitudo aliter ponitur in Chriſto, & aliter in Maria, cum verum ſit, Chriſtum dici plenum gratia, & Mariam inſimul gratia plenam, quamobrem idem Elogium dicitur de Chriſto & Maria, quanquam alitèr de Chriſto, & aliter de Maria.

1062 Ex hactenus dictis ſperamus, ò Docti Cenſores, quod amplius non trepidabitis timore, vbi non eſt timoris occaſio; & quamvis multa in poſterum inveniatis, quæ Chriſto conveniunt, intellecta de Maria ſic eſſe cogitabitis abſque injuria Chriſti, ea ducti potiſsima SS. PP. ratione; quod in Mariam totius Gratiæ, quæ in Chriſto eſt, plenitudo venit, quanquam alitèr. *SS. PP.*

§. III.

VTRIVSQVE CENSVRÆ VITIA NOtantur, & convelluntur.

1063 ASſerit V. Abbatiſſa, quod *ſi mortales haberent oculos peſpicaces ad videndum lumen Puriſsimæ Mariæ, ipſa ſola ſuſſiceret ad illuminandum omnem hominem venientem in hunc mundum.* Dicitis, Docti Cenſores, quod *hæc propoſitio falſa eſt, ſcandaloſa, erronea, & Chriſto Salvatori noſtro injurioſa*; quoniam Deiparæ tribuit, quod ſoli Chriſto competit. Si totum numerum, vbi Notata reperitur propoſitio attenta conſideratione legiſſetis, ibi erat manifeſta ſolutio, in primis ejuſdem numeri verbis. Ait quidem ſic Venerabilis Mater: *Si Chriſto Señor nueſtro llamò Luzes à los Doctores; que ſe podia dezir de Maria Santiſsima, cuya luz, &c.* Exceſſus igitur inter Mariam & Doctores ex vi contextus, ſupponit Chriſtum prædicantem, Doctores eſſe luces. *Vos eſtis lux, &c.* Si ergo V. Author ſolum comparat lucem Virginis Mariæ cum luce Doctorum & Angelorum: quare & vos comparationem feciſtis inter lucē Mariæ & lucem Chriſti? Luces ſunt Doctores abſque injuria Chriſti: Lux ergo eſt SS. Virgo Maria ſplendidior Doctoribus, abſque injuria Chriſti. *Ipſa ſola ſuffiiceret*, ideſt, diviſivè a lumine Doctorum. *Prop. Not. Myſt. Civ. Dei.*

1064 Dicitis, ſoli Chriſto convenire, eſſe lucem illuminātem omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc Chriſ- *Elud. arg.*

to principalitèr convenire non negamus: ſed quare minùs principalitèr nequeat Mariæ convenire, non intelligimus. Præterea, non abſolutè dicit V. Author, quod SS. Virgo Maria illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſed quod ſi mortales haberent oculos claros ad videndum lumen Mariæ, ſufficiebat SS. Virgo ad illuminandum omnem hominem, &c. Poſita conditione, in textu formalitèr expreſſa, non ſolum Vir-
A ſim. go Maria, ſed etiam quilibet Sanctus Doctor, etſi minus principalitèr quam Regina Cœleſtis, ſufficere poterat cum aſsiſtentia Divina, ad illuminandum quemlibet hominem venientem in mundum, ſcilicèt, ſi mortalis homo perſpicaces oculos haberet vt oportet, ad videndum lumen Sancti Doctoris, nam de Doctoribus dixit Chriſtus: *Vos eſtis lux mundi*. Si hoc verum eſt, ſicut videtis ſic eſſe: dicite nobis, vbi eſt falſitas? Vbi ſcandalum? Vbi error? Vbi doctrina Salvatori noſtro injurioſa? Quis negare poterit, quod ſi quilibet homo mortalis haberet oculos perſpicaces & claros ad videndum lumen SS. Virginis Mariæ, quæ Mater eſt Divinæ lucis, ei ſufficiens erat ad dirigendos pedes ejus in viam tutam æternitatis? Hoc eſt quod in ſubſtantia dicit Notata propoſitio: Vbi eſt error? Non loquitur de oculis corporalibus, ſed de oculis mentis, quibus homo clarè videret, & quæ ſcivit, & quæ credidit, & quæ operata eſt SS. Virgo Maria.

1065 Nec dicatis, ſolum Deum poſſe illuminare corda hominum: Fatemur ſic eſſe, de cauſa principali loquendo: Sed nũquid SS. Virgo impetrare non valet, vt Spiritus Sancti gratia illuminet ſenſus & corda noſtra? Præterea, non aliter dicitur de Maria, etſi in incomparabili gradu majori, eſſe lucem mundi, ac dicitur de Doctoribus Eccleſiæ; ſed quamvis certum ſit, ſolum Deum poſſe mentes illuminare, hoc non obſtanti de Magiſtris Eccleſiæ dicitur, fore lucem mundi: Ergo, &c.

Aug. arg. 1066 Cœterum, ſi mortales perſpicaces oculos haberent, ad videndam lucem Mariæ, dirigentem in viam tutam æternitatis, ſupponuntur ipſi mortales cum auxilijs ſupernaturalibus internis, ſine quibus, vel ſine comprincipio ſuperno nihil ſupernaturalitèr operantur: Lux ergo Mariæ, prout in littera textus, hoc ſupponit vel includit: ex hac igitur parte non reſultat falſitas, ſcandalum, nec error in propoſitione confixa.

Ro-

1067 Roboratur argumentum noſtrum ex ipſo contextu: Luces ſunt Doctores illuminātes mundum: Lux eſt Maria, ſplédidior Doctoribus, illuminans mundum: de vtriſque loquitur in textu: Non igitur diverſimodè ſumenda proponitur lux Mariæ illuminans mundum, ac luces Doctorum illuſtrantes Orbē; ſed Doctorum luces ſic ſummi debent, vt abſque injuria Chriſti illuminent, imò ex privilegio Chriſti: Ergo, &c. *Conf. arg.*

1068 Si autem inſtantia veſtra ſemper ſteterit, quod SS. Virgini tribuitur in Propoſitione Notata, quod ſoli Chriſto competit, ad vlteriorem conventioné parallela formemus. Chriſtus ait: *Ego ſum lux mundi.* Ipſe Dominus inquit Apoſtolis & Doctoribus: *Vos eſtis lux mundi.* Conſonantiam adhuc terminorum intuemini: *Ego ſum lux mundi: Vos eſtis lux mundi.* Nunquid, ſecundum dicitur cum injuria primi? Dicetis vtique quod non, aliàs Chriſtus Dominus, qui vtrunque dixit, ſibi foret injurioſus: non ergo cum injuria Chriſti dicuntur Apoſtoli & Doctores, *lux mundi*: Nec ergo cum injuria Chriſti dicetur Virgo Maria, *lux mundi*. Habemus hoc: Nunc tranſeamus ad aliud. Dicitur Chriſtus: *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Dicitur SS. Virgo Maria: *Clariſsima Lux, quæ ſi videretur ab oculis mortalium poſſet illuminare omnem hominem venientem in mundum.* Dicitis hoc aſſeri de Virgine Maria cum injuria Chriſti. Rationem expectamus. Non dicitur de Uirgine Maria, quod ſit, *Lux mundi*, cum injuria Chriſti: Nec ergo dicetur, quod *poſsit mundum illuminare*, cum injuria Chriſti. *Parallel. form.*

1069 Si dixeritis, diſparem eſſe rationem, quoniam dum dicitur Maria, *Lux mundi*, de luce intelligitur participata à Chriſto Domino, & non eſt injuria Chriſti participare lucé à Chriſto. Idem dicimus vobis: *Chriſtus eſt Lux vera quæ illuminat per naturam omnem hominem venientem in hunc mundum*: SS. Virgo Maria eſt *Lux participata, quæ in ſenſu propoſitionis confixæ poteſt illuminare omnem hominem venientem in mundum*: Si non eſt ergo injurioſum Chriſto, participare lucem ab ipſo; erit injurioſum Chriſto, participare lucem ab ipſo ad illuminandum omnem hominem venientem in mundum? *Occurrit. inſtant.*

1070 Si adhuc forsān dixeritis, in textu Propoſitionis Notatæ nihil dici de luce participata. Quamvis hoc concedamus, dum infinities in eodem Opere Myſticæ Civitatis Dei id dicatur, *Evaſ. alt.*

tur, videlicèt, quod omnia dona Gratiæ, & Prærogativæ, quæ in Mariam deſcendunt, prius in Chriſto; tanquam in Capite, & ſicut in Origine reperiuntur, de quo jam ſatis alibi; quid officeret, quanquam in Propoſitione Notata non diceretur expreſsè? Præterquam quod & in eodem numero, vt jam notavimus, expreſsè loquitur de luce participata à Chriſto Domino, dum teſtimonio Chriſti initiatur idem numerus, ſicut videri poteſt in illis verbis: *Si Chriſto dixo, &c.*

1071 Præterea, quod conceditur Sanctis inferioribus Mariæ, negabitur & ipſi SS. Virgini? In Solemnitate Cherubici S. P. N. Dominici ſic orat Eccleſia: *Deus qui Eccleſiam tuam Beati Dominici Confeſſoris tui illuminare dignatus es meritis & doctrinis, &c.* Et in Feſto Doctoris Angelici orat ſic: *Deus qui Eccleſiam tuam Beati Thomæ Confeſſoris tui mira eruditione clarificas, & ſancta operatione fœcundas: da nobis, quæſumus, & quæ docuit intellectu conſpicere, &c.* Dum illuminata fertur Eccleſia meritis & doctrinis vnius Sancti, abſque injuria Chriſti, vel imò ex Privilegio ipſius Chriſti; illuminata non poterit affirmari abſque injuria Chriſti, à SS. Uirgine Maria ex privilegio dilectiſsimi Filij ſui, talibus meritis, talibuſque doctrinis? Si prodeſt hominibus, ſicut poſtulatur à Deo, quæ docuit Angelicus Doctor intellectu conſpicere: non proderit mortalibus, quæ docuit & quæ egit ſapientiæ Mater intellectu conſpicere, & quę egit imitatione complere? Sinamus hoc, quoniam & talia diſputationi ſubijcere videtur injurioſum Virgini. Certum eſt enim ex vi contextus, Mariæ non tribui quod ſoli Chriſto competit; & ſi Mariæ tribuitur, quod competit Chriſto; aliter dicitur de Maria, & aliter de Chriſto, & hoc ſat, vt Mariæ conveniat abſque injuria Chriſti.

In Feſt. S. Dominici. S. Thom. Aquinat.

1072 Poſtmodum, vt hiſcè Concertationibus, jam moleſtis, finem apponamus; non meis, ſed verbis vobis loquar Ingenioſi Doctoris Cornelij Muſsij, tom. 2. de Maria Deipara, Serm. B. Uirg. ad Nives: *Date mihi aliquod de Chriſto Myſterium, in quo Maria non concurrit tanquā neceſſaria copula? Chriſtus ab æterno fuit prædeſtinatus, vt fieret homo; ſed vt eſſet Filius Mariæ; Incarnatus eſt Chriſtus, ſed in Mariam; Natus eſt, ſed de Maria, in Præſepio poſitus eſt, ſed à Maria; Magi & Stella invenerunt eum, ſed cum Maria; inviſitur à Paſtoribus, ſed non abſque Maria; adora-*

Cornelius Muſsius.

ratur ab Angelis, ſed prius à Maria; fugit in Ægyptum, fugit cum eo Maria; Symeon ei benedixit, benedixit vnaquoque Mariæ; ſedet inter Doctores, quærit & invenit illum Maria; Concionatur Populo, audit eum Maria; incipit operari miracula, petente id Maria; Pendet in Cruce, ſtat juxta Crucem Maria; reſurgit, ante omnes viſitat Mariam; aſcendit in Cœlum, paulòpoſt aſſumpſit Mariam; Miſsit Spiritum Sanctum in Apoſtolos, & cū Apoſtolis inventa eſt Maria. *O Beatiſsima Virgo Maria, non ſine ratione dixit Angelus* : Dominus tecum: *Quia nunquam fuit* Maria *abſque Domino. Fuit quidem Verbum Æternum ante Mariam, ſed Verbum in carne nunquā fuit abſque Maria*. Núc notanda & æſtimabilia: *Qui itaque confidit in Maria, confidit in Chriſto: Qui honorat Mariam, honorat Chriſtum: Qui laudat Mariam, laudat Chriſtum. O infælices illos, qui ſub prætextu Gloriæ Chriſti ſinunt ſe paulatim abduci à devotione Mariæ, Sanctorum, Sanctarumque omnium. Diabolus & Hæretici eos quoque brevi ab ipſo abducent Chriſto, qui Sanctorum Sanctus eſt*. Hucuſque Cornelius. *Not.*

1073 Faxit Deus, ò Cenſores dilectiſsimi, vt vltimæ clauſulæ relatæ authoritatis non pertingant vos, neque comprehendant vllos ex vobis. Conſulite Doctores veſtros Inſigniſsimos, Seraphicum Magiſtrum, Doctorem Angelicum, Melifluum Abbatem, Magnum Cancellarium, alioſque quos ſupra retulimus, & diſcite ab eis, quomodo *Dignitas SS. Virginis infinita judicatur*; Quomodo eſt *Abyſſus luminū*; Quomodo *illuminare, valet omnem hominem venientem in hunc mundum*; Quomodo dici valet, *tota ratio ſpei noſtræ*; Quomodo *in nobis omnia per ipſam*, Et quomodo omnia hæc, aliaque hujuſmodi intelligenda ſunt abſque injuria Chriſti? ſequimini eos, quoniam Magiſtri veſtri ſunt, & etiam noſtri. Abſcindamus diſputationes circa glorias Mariæ diminuendas, omniaque talenta vertantur in Gloriam Virginis, quoniam, *Qui honorat Mariam, Chriſtum honorat*; Qui Mariam laudat, & Chriſtum lætificat. Hoc verum putemus, & conveniamus in pace. Janua Cœli eſt Maria, vt quotidie canitur in Prece Lauretana, & tamen ex Apocalyp. 12. *In duodecim Portis Chriſtus, & vna Porta Chriſtus*: Non ergo impedit quod vna Porta Cœli ſit Chriſtus, & in duodecim Portis Cœli ſit Chriſtus, vt etiam SS. Virgo Maria dicatur, *Janua Cœli*: Sit nobis. Amen. *Ex SS. PP. relat.* *Apoc.* 12.

ARTIC. XIX.
CENSVRÆ DD. DEPVTATORVM *Pariſienſium.*

1074 SVb hoc Articulo vltimo congregaverunt DD. Deputati 36. Propoſitiones configendas eorum Notis; quaſi iterum totum percurrendo Librum, quem cenſurandum acceperunt. Propoſitiones autem, prout in Libello Cenſuræ reperiuntur, hujuſmodi ſunt.

1 Pag. 237 num. 218. *Prima, Conceptio Corporis B. Virginis Mariæ facta eſt in die Dominica, correſpondente diei creationis Angelorum, quorum Regna & Domina futura erat.*

2 Ibid. *Nihilominus virtus Divina imminuit tempus naturale in formatione Corporis SS. Virginis; & id quod fieri debebat in octoginta diebus (aut in illis qui naturalitèr requirebantur) majori cum perfectione factum eſt in ſeptem.*

3 Pag. 240. num. 221. *Vſus perfectiſsimus rationis, qui proportionatus eſſe debebat ad dona Gratiæ, quæ recipiebat, fuit etiam ipſi conceſſus.*

4 Pag. 248. num. 229. *Cum magna penetratione cognovit ab inſtanti ſuæ Conceptionis omnes homines, omnes Angelos; eorum ordinem, dignitatem, & operationes, & omnes creaturas irrationales cum eorum inſtinctibus, & qualitatibus, &c.*

5 Pag. 238. num. 219. *Sabbato ſequenti, & proximo huic primæ Conceptioni, facta fuit ſecunda, Altiſsimo creante animam ſuæ Matris, eamque in corpus ejus infundente.*

6 Pag. 246. num. 226. *Fuit repleta ſcientia infuſa, & habitibus omnium ſcientiarum, & aliarum omnium artium naturalium.*

7 Pag. 247. num. 227. *Reddidit humillimas actiones gratiarum, vna cum profundis inclinationibus corporalibus, quas protinus fecit in ſinu Matris ſuæ cum corpore iſto tàm parvo.*

8 Pag. 241. num. 221. *Parvum iſtud corpus non erat majus, quam vna parva apis.*

9 Pag 250. num. 231. *Dominus in iſto inſtanti* (Conceptionis) *manifeſtavit ei Angelos, quos illi dabat in cuſtodiam; ipſa vidit illos, & cognovit, eoſquè gratiſsimè ſuſcepit.*

Pag.

10 Pag. 251. num. 231. *In cognitione & dolore, quem habebat de lapſu hominis, ploravit, & lachrimas fudit in vtero Matris ſuæ.*

11 Ibid. num. 232. *Rogavit cum hac teneritudine miraculoſa, ab illo inſtanti quo recepit eſſe, pro remedio hominum, & incepit ex tunc exercère officium, ipſorum Mediatricis, Advocatæ, & Reparatricis.*

12 Pag. 371. num. 329 *In inſtanti, quo nata eſt noſtra Regina Maria, Altiſsimus miſit Sanctum Archangelum Gabrielem, vt annuntiaret Sanctis Patribus Limbi hunc nuncium, tàm fælicem, & jucundum ipſis.*

13 Pag. 372. num 330. *Multitudo innumeralis Angelorum ordinavit novam, & ſolemnem proceſsionem, elevantes, cum Canticis incomparabilis gaudij, veram Arcam Novi Teſtamenti, vt eſſet pro aliquo ſpatio, non in domo Obededòn, ſed in Templo Supremi Regis Regum, & Domini Dominantium.*

14 Pag. 376. num. 334. *Fuit determinatum in hoc Conſiſtorio, & Tribunali Divino SS. Trinitatis, dare Nomen Infanti Reginæ.*

15 Ibid. *Sua Maieſtas voluit illud ei imponere, & dare per ſe ipſum in Cælo.*

16 Pag. 378. num. 334. *Vnus Angelus Cuſtodiæ SS. Virginis occupavit locum ejus, ſumpto corpore aëreo ad hunc effectum.*

17 Ibid. num. 335. *Octavo die poſt Nativitatem Magnæ Reginæ, multitudo pulcherrimorum Angelorum deſcendit de Cælo, modo magnificentiſsimo, habentes ſinguli ſcutum lucidum, in quo inſculptum erat Nomen Mariæ, totum radians, & lumine ſplendens.*

18 Pag. 398. num. 352. *Quando ipſa dormiebat, actiones interiores amoris, & alij effectus ejuſdem gratiæ, qui non dependebãt ab exterioribus ſenſibus, non ceſſabant, & nullatenus interrumpebantur in illa.*

19 Pag. 399. num. 352. *Quando ipſa erat ſola, vel quando ponebatur in cunabulis ad dormiendum (quod nõ niſi ſobriè faciebat) conferebat ſuper Myſteria & Laudes Altiſsimi cum Sanctis Angelis ſuæ cuſtodiæ, & fruebatur viſionibus Divinis, & colloquijs ſuæ Maieſtatis.*

20 Pag. 428. num. 377. *Si non locuta eſt à Nativitate ſua; non fuit, quia non potuit; ſed quia noluit.*

21 Ibid. *Silentium fuit in illa maxima virtus, & particularis perfectio.*

22 Pag. 429. num. 378. *Diſpenſavit ſolùm in hac ſilentij lege verſus Angelos ſuos Cuſtodes; vel quando in ſolitudine orabat Dominum vocaliter.*

23 Pag. 451. num. 399. *Ante ætatem trium annorum, ſæpè tentabat exercere miniſteria majoris humilitatis, ſicut purgare & verrere domum ſuam. Sed quia nolebant hoc illi permittere, conabatur hoc facere dum ſola remanebat; & tunc Spiritus Angelici adjuvabant eam, vt in aliquo fructum reciperet humiliationis ſuæ.*

24 Ibid. num. 400. *Quando incepit loqui ipſa (matrem ſuam) rogavit humilimè, vt non apponeret ſibi veſtes alicujus pretioſitatis, vel oſtentationis, ſed è contrario, humiles & pauperes, & (ſi fieri poſſet) coloris cinericij, quales hodie portant Religioſæ Sanctæ Claræ.*

25 Pag. 452. num. 401. *Permiſit ſe veſtiri ſicut S. Anna diſpoſuit, quæ tamen ſatisfecit ei in colore, & forma, quam ipſa poſtulabat, ſervando aliquam ſimilitudinem habitibus devotionis, qui frequentèr imponuntur infantibus Deo voto dicatis.*

26 Pag. 220. num. 201. *Altiſsimus determinavit, & deſignavit Angelos, in miniſterio adeò ſublimi occupandos, & de ſingulis novem Choris centum ſelegit, qui ſunt nongenti.*

27 Ibid. *Demum deſtinavit duodecim alios, vt SS. Virgini ſervirent in forma corporali, & viſibili, cum majori aſſiduitate, & illis impreſſa erant ſigna, ſeù alegorici Typi Redemptionis.*

28 Pag. 221. num. 201. *Vltra illos aſſignavit Dominus octodecim alios de ſublimioribus, vt aſcenderent, & deſcenderent per Myſticam Scalam Jacob, ad legationes ferendas Reginæ ad Regẽ, & ejuſdem Domini ad Reginam.*

29 Ibid. num. 202. *Supra numerum omnium iſtorum Angelorum, de quibus mentionem fecimus, elegit Altiſsimus adhuc ſeptuaginta de ſublimioribus Seraphinis, & proximioribus Throno Divinitatis, vt conferrent, & communicarent cum Regina Cæli.*

30 Pag. 224. num. 205. *Ad melius ordinandum hoc invincibile agmen, poſitus eſt in capite Princeps Militiæ Cæleſtis S. Michael.*

31 Ibid. *Princeps S. Gabriel fuit etiam deſtinatus, vt deſcenderet ex ordine Patris Æterni pro legationibus & Myſterijs, concernentibus hanc Cæli Principiſſam.*

32 Pag. 414. num. 362. *Dùm hi Angeli viſibiliter apparebant,*

bant Reginæ Cœleſti, ſumebant formam adoleſcentis, excellentis & amabilis pulchritudinis.

33 Ibid. num. 363. *Vltra hoc ſplendens ornamentum, geſtabant in capitibus ſuis coronas florum ſingularium, qui dulciſsimum exhalabant odorem.*

34 Pag. 415. num. 363. *Portabant etiam in manibus ſuis palmas, varietate, & pulchritudine contextas.*

35 Ibid. *Portabant itidem ſuper pectora ſua certa ſigna, nonnullam ſimilitudinem ad illa glorioſa ſigna Ordinum militarium habentia, & quæ ſignificabant,* Notis ſplendẽtibus *& myſterioſis, hæc verba:* Maria Mater Dei.

36 Pag. 422. num. 372. *Octodecim Angeli apparebant Sanctiſsimæ Mariæ cum admirabili pulchritudine: erantque ornati plurimis ſignis Paſsionis, & aliorum Myſteriorum Redemptionis; habebantque particulariter ad pectora ſua Crucem vnam, & aliam inter brachia, ambas pulchritudinis ſingularis, fulgoris, & ſplendoris extraordinarij.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

1075 H*Æ omnes propoſitiones temerariæ ſunt, & contra Eccleſiaſticæ Regulæ modeſtiam aſſertæ; pleraquè fabulas, & ſomnia apocryphorum redolent, & Religionem Catholicam impiorum & hæreticorum contemptui exponunt.*

1076 *Non intendentes alia multa, quæ in dicto libro continentur, approbare, & præcipuè ea loca, in quibus Sacræ Scripturæ teſtimonijs ad privatum ſenſum Author paſsim abutitur, ſicut nec ea, in quibus opiniones merè ſcholaſticas, à Deo revelatas aſſerit, & vt tales omnibus proponit.*

1077 Sic terminatur Libellus Sententiæ Doctorum Deputatorum, qui vt fertur, abſque Præfatione, & ſine dat. diei, vel anni ſignatura percutrit.

CENSVRA SVPPOSITITIA.

1078 H*Æ omnes Propoſitiones, reſpectivè, temerariæ ſunt, & contra Eccleſiaſticæ Regulæ modeſtiam aſſertæ, pleraque fabulis, & ſomnia apocryphorum redolent, & Religionem Catholicam, impiorum & hæreticorum contemptui exponunt.*

1079 *Cæterum non intendit Sacra Facultas alia multa, quæ in dicto libro continentur, approbare, & præcipuè ea loca, in quibus Sacræ Scripturæ teſtimoniis ad privatum ſenſum Author paſsim abutitur; nec ea, in quibus Opiniones merè ſcholaſticas à Deo revelatas aſſerit, & vt tales omnibus proponit. Dat. in Aula Sorbonæ, decimo quinto Kalend. Octob. & confirmatum Kalend. ejuſdem menſis, anno Domini milleſſimo ſexcenteſſimo nonageſſimo ſexto.*

1080 Sic terminatur Libellus Suppoſititiæ Cenſuræ, qui vt alibi notavimus, 14 continet Articulos. In vltimo, ex 36. Propoſitionibus Notatis in Libello DD. Deputatorum, adimerunt octo, & aliàs octo ſubrogarunt, de quibus infra.

CONCERT. XX.

SVPER 36. PROPOSITIONES A DD. Deputatis confixas in hoc Articulo 19.

Direct. 1081 QVAMVIS breviori calamo, idipſum quod facere tentavimus ſuper alias Propoſitiones in cæteris confixas Articulis, ſequemur & ſuper Notatas in hoc Articulo 19. Videntes in primis, ſi fortè cum Originali textu diſcordent. Deinde ſi cujuslibet propoſitionis aſſertum ex aliqua parte repugnet, vel fiat incredibile. Poſtmodum ſi in favorem cujuslibet aſſumptæ propoſitionis authoritas SS. PP. vel DD. inveniatur expreſſa. His pro directione.

§. I.

SVPER QVAMLIBET EX PROPOSITIOnibus in Articulo relatis, breviſsima conſtruitur Reflexio.

1082 QVoniam tot propoſitiones ſimul examinandas aſſumere, non levis videretur confuſio; ideo claritati deſideratæ vacantes, propoſitiones ſingulas, qualibet ab alia ſejuncta, tranſcurremus, prout ſequitur.

PRO-

PROPOSITIO 1. ARTIC. 19.

1083 Pag. 237 n. 218. *Prima Conceptio Corporis B. Virginis Mariæ facta eſt in die Dominica, correſpondente diei creationis Angelorum, quorum Regina & Domina eſſe debebat.*

REFLEXIO.

1084 IN ſubſtantia non diſcordat ab Originali. Conceptionem primam, qua conceptum eſt Corpus Reginæ Cœleſtis, fuiſſe die Dominica, nec repugnat, nec incredibile ſit. Recolantur quæ ſupradiximus Concert. 10. ſuper Art. 9. §. 3. num. 595. vbi Opera ſex dierum, & requies Domini die ſeptimo, æquiparantur Conceptioni & animationi Sacratiſsimæ Virginis Mariæ. Prætetea, eadem Concert. abundantèr comprobatur, credibile fieri, animationem Reginæ Cœleſtis fuiſſe factam die Sabbati, conſimilibuſque fundamentis piè credibile fiet, primam Conceptionem, ſivè conceptionem corporis ejuſdem SS. Virginis, die Dominica eveniſſe. Poſtmodum, quam probabile ſit, Angelos fuiſſe creatos die Dominica, videatur Suarez, tract. de Angelis, lib. 2. cap. 3. à num. 11. Ex Recentioribus noſter Delgadillo, tract. de Angelis, cap. 1. difficult. 3. num. 6. & Francès de Vrrutig. to. 3. diſp. 1. *de Virgineo partu*, fol. 168. num. 240.

Sup. Concert. 10.

Suarez.

PROPOSITIO 2. ARTIC. 19.

1085 Pag. 237. num. 218. *Nihilominus virtus Divina imminuit tempus naturale in formatione Corporis SS. Virginis; & id quod fieri debebat in octoginta diebus (aut in illis qui naturalitèr requirebantur) majori cum perfectione factum eſt in ſeptem.*

REFLEXIO.

1086 NEc propoſitio hæc diſcordat ab Originali. Aſſertũ ex parte rei, ſivè ex parte objecti, non repugnat ſic eſſe; prætetea decet Virginem, in qua Redemptio noſtra ſumpſit

ſit initium: non eſt ergo ratio, cur SS. Virgini denegetur. Cæterū, mirabilis fuit cōditio rerū, ſed mirabilior reformatio, juxta illud Eccleſiæ: *Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatē mirabilitèr condidiſti, & mirabilius reformaſti &c.* ſed conditio rerū ſex diebus facta profitetur, & in ſeptimo requievit Dominus: In Sacratiſsima igitur Virgine Maria, in qua mirabilior incepit humanæ ſubſtantiæ reformatio, incredibile non ſit, quod Notata Propoſitio reſolvit. Quæ inſuper dicta ſunt Reflexione antecedenti, ad hanc quoque prodeſſe judicamus. Videatur etiam Bibliotheca Virginalis, tom. 2. fol. 86. col. 2. ſub lit. D.

Eccleſia in Sacrif. Miſſæ. *Biblioth. Virg.*

PROPOSITIO 3. ARTIC. 19.

1087 Pag. 240. n. 221. *Vſus perfectiſsimus rationis, qui proportionatus eſſe debebat ad dona Gratiæ, quæ recipiebat, fuit etiam SS. Virgini Mariæ conceſſus.*

REFLEXIO.

1088 TRaductio haud nimis propria comprobatur; ſed dicti veritatem attingit. Idem intelligendum de propoſitionibus ſequentibus, niſi aliter in Reflexione notetur. Adeſt pro aſſerto Notatæ Propoſitionis S. Birgitta in ſuis Revelationibus Divinis, tom. 2. lib. 8. cap. 47. fol. 313. vbi dicitur: *Regina Cœli aperuit Sponſæ, dicens ei: Audi tu, quæ ſpiritualia vides, & veni mecum in Spiritu Sancti collocutionem. Ego ſum vas repletum, &c. Sicut enim vas repletur aqua, ſic anima mea, quando creata fuit, & conjuncta corpori, replebatur ex decurſu torrentis, ſcilicèt, Spiritus S. quo nunquam poſtea evaquata eſt, &c.* Conſonat eodem tom. 2. Serm. Angelico, de Uirginis excellentia, cap. 1. circa medium. Expreſsè itidem defendit vſum perfectiſsimum rationis in Regina Cœleſti à primo ſuæ Conceptionis momento. Doct. Novat. tom. 1 cap. 7. quæſt. 27 his verbis: *Dico ſecundo: Probabiliſsimum eſſe, Beatam Virginem Mariam à primo Cōceptionis momento, vſu rationis fuiſſe irradiatam, innumeris gratijs illuſtratam, virtutibuſque infuſis decoratam.* Hoc probat & confirmat varijs authoritatibus & rationibus, ſcholaſtica ſubtilitate diſpoſitis.

S. Birgitt. *Doct. Novat.*

PRO-

PROPOSITIO 4. ARTIC. 19.

1089 Pag 248. n 229. *Cum magna penetratione cognovit ab inſtanti ſuæ Conceptionis omnes homines, omnes Angelos; eorum ordinem, dignitatem, & operationes, & omnes creaturas irrationales cum eorum inſtinctibus, & qualitatibus, &c.*

REFLEXIO.

1090 SEmel conceſſo, SS. Virginem Mariam à primo ſuæ Conceptionis inſtanti perfectiſsimum habuiſſe rationis vſum, fuiſſeque Vas repletum donis Cœleſtibus, vt nuper ajebat S. Birgitta, ex conſequenti ſit piè credibile quidquid in Notata Propoſitione continetur. Præterea, V. Amadeus, in Bibliotheca Virginali, tom. 1. fol 697. col. 1. ſub lit. C ſcientiam Joanni Baptiſtæ infuſam in Vtero matris ſuæ, ſtatim vt ipſi communicatus eſt vſus rationis, extenſivè declarat, quaſi conſequens Privilegium Scientiç infuſæ ad Privilegium vſus rationis: cum igitur Sacratiſsimæ Uirgini concedatur vſus rationis à primo ſuæ Conceptionis momento, valdè credibile ſit, ei fuiſſe conceſſum ſcientiæ infuſæ Privilegium, juxta Propoſitionem Notatam. Deinde, cum jam in illo primo inſtanti foret Angelorum & hominum Regina (eo quod ſemper Domina creaturarum, quæ ſemper Mater Creatoris, Chryſologo teste) juſtû videtur, vt Angelos & homines cognoſceret, &c. Uideatur S. Ambroſius, lib. 1. in Lucam. S. Leo Papa, Serm. 10. de Nativitate, & alij quos citat Cenſura Cenſuræ ſuper hoc puncto.

V. Amadeus.

S. Ambr.

PROPOSITIO 5. ARTIC. 19.

1091 Pag. 238. n. 219. *Sabbato ſequenti, & proximo huic primæ Conceptioni, facta fuit ſecunda, Altiſsimo creante animam ſuæ Matris, eamque in corpus ejus infundente.*

REFLEXIO.

1092 DE hac Prooppoſitione latiſsimè & ferè vſque ad ſatietatem egimus Artic. 9. Concert. 10 per totã.

Sup. Concert. 10.

PRO-

PROPOSITIO 6. ARTIC. 19.

1093 Pag. 246. n. 226. *Fuit repleta ſcientia infuſa, & habitibus omnium ſcientiarum, & aliarum omnium artium naturalium.*

REFLEXIO.

1094 IDem tenuit Amadeus, de B. Virgine Maria, vt videri poteſt in Bibliotheca Virginali, tom. 1. fol 678. col. 2. ſub lit. B. his verbis: *Fatendum igitur eſt, Mariam Reginam noſtram* (loquuntur Angeli) *à principio ſuæ creationis, ita noviſſe omnia, ſicut & Adam, imò & ſicut nos Angeli novimus. Noverat Grammaticam, Dialecticam, Rethoricam, Artes Mathematicas, tàm puras, quàm mixtas, tàm ſuperiores, quàm inferiores. Noverat Phyſicam & Metaphyſicam, & quæcunque illi ſubſunt ſcientiæ. Noverat optimè Theologiam, & ideo omnia verba, & opera Chriſti conſervabat ab initio. Et quando illa fieri videbat, conferebat in corde ſuo, &c.* Cœterum ab his Revelationibus abſtrahendo, rationi conſonum videtur, non fuiſſe negatum Privilegium Reginæ Angelorum & hominum, quod aliàs conceſſum legimus & Angelis in eorum creatione, & Adam in ſtatu innocentiæ. Præterea, dum dicta in Propoſitione confixa ex ſe non repugnant, & aliàs decēt Reginam creaturarum, & Matrem Sapientiæ; non eſt cur ei negetur privilegium in Propoſitione relatum; præterquam quod & ſcholaſticè defenſabile tenet Francès ſup. cit. tom. 1. pro Concept. Deip. ſect. 25.

Biblioth. Virg.

Francès.

PSOPOSITIO 7. ARTIC. 19.

1095 Pag. 247. n. 227 *Reddidit humillimas actiones gratiarum, vna cum profundis inclinationibus corporalibus, quas protinus fecit in ſinu Matris ſuæ cum corpore iſto tàm parvo.*

REFLEXIO.

1096 E*Xultavit Infans Joannes in vtero matris ſuæ*, gratias agens vnà cum profundis inclinationibus corporalibus, vt paſsim invenitur apud Doctores. Præterea, U. Amadeus,

deus, in Bibliotheca Virginali, tom. 1. fol. 697. col. 1. ſub lit. C. ait ſic: *Humillima Virgo ſalutavit Eliſabeth, &c. Joannes illico ſe ad Chriſtum convertit, etiam facie & vultu corporali, & vnus ad alterum inſpexit oculo mentali. Joannes primum ante Jeſum curvavit ſe, & Chriſtum Regem adoravit, &c.* Si hæc creduntur de Joanne: Quid incredibile fiet de Maria? Alphonſus ab Orozco, Vita Venerabili, & omni ſcientia præclarus, in Encomijs Almæ Virginis, apud Bibliothecam Virginalem, tom 1. fol 770. col. 1. ſub lit. B *Saltavit jubilans Joannes ad præſentiam Salvatoris. Moderator hujus melodiæ, Spiritus Sanctus erat, quo repletus Joannes in vtero Matris jubilabat, &c.* Præterea, Antipater Boſtrenſis, Epiſcopus Græcus, in eadem Bibliotheca, tom. 2. fol. 442. col. 1. ſub lit. A. *Hæ erant exultationes Joannis, vel verba potius. Verba enim erant pueri nondum nati ſaltationes. Quis ab ævo apud Græcos talia ſapientèr docuit, qualia ante faſcias narravit hic Præcurſor? Talia ſunt Myſteria hujus celebritatis, quæ ſi vellim prædicare, inveniar obrui profundo miraculorum, & per aërem ingredi, narrando Cæleſtia, &c.* Et S. Antoninus Archiepiſcopus Florent. Opuſc. de B. Virg. Maria, §. 4. in eadem Bibliotheca, fol. 548. col. 1. ſub lit. A. *Ipſa quoque Virgo Maria videtur Ioannem conſtituiſſe Prophetam. Nam vt audivit Salutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit Infans in vtero ejus*, ſcilicèt, Joannes Baptiſta. *Vnde, niſi quia cognovit Myſterium occultiſsimum omnibus, & illud oſtendit modo quo potuit, ſcilicèt, exultando, adorando, &c?* V. Angelus del Pas, *ſuper Miſſus eſt*, cap. 38 ad illa verba: *Exultavit Infans in vtero ejus*, in Biblioth. Virginali, tom. 3. fol. 139. col. 2 ſub lit. D. inquit: *Solus Baptiſta Domini vltra legem naſcentium, Nativitatem ſuam lætitiæ exultatione prævenit.* Vnde Chryſol. Ser. 88. *Beatus Ioannes, qui ante Dei Spiritu intonaret, quam hominis vagiret in fletu. Beatus qui ante divina poſsidere meruit, quam ſortiretur humana. Beatus, qui ante meruit ſcire Cælum, quam terram. Beatus, qui antequam videret præſentia, futura meruit nuntiare.* Talia ac tanta, vt *in vno prodigia elucerent factum eſt, &c.* Exultavit Infans in vtero. *En tria ſimul miracula, quæ vnius voce in Orbe prodierunt, &c.* Poſtmodum Antonius Bitontinus, vel Guilhelmus Pariſienſis, de Beatæ Mariæ Feſtivitatibus, pro Feſto Viſitationis, in Biblioth. Virginali, fol. 540. col. 2 ſub lit. B. *Exultavit Infans in vtero ejus, congaudens ad præſentiam Domini. Oportet di-*

Alphonſ. Oroz.

Antipater

S. Antoninus.

Ang. de Paſ.

Guilhelmi

 ce-

cere, quod in eo fuit acceleratus vſus rationis. Illa tamen motio Pueri & exultatio facta eſt à Deo, ad declarationem ſanctitatis Virginis, & Prolis in ea exiſtentis, &c. Si igitur Præcurſor Domini, in vtero Matris exiſtens, ſic gracillimas actiones, vna cũ profundis inclinationibus & adorationibus corporalibus, ad præſentiam Regis operatus eſt; quomodo fiet incredibile, SS. Virginem in vtero Matris exiſtentem, vſu perfectiſsimo rationis ditatam, humillimas actiones gratiarum pro Cœleſtibus donis acceptis, vna cum profundis inclinationibus corporalibus egiſſe? Nec obeſt, Corpuſculum Sacrum, parvum fuiſſe, vel magnum, ſemel poſito vſu rationis, & divino miraculo comitante, vt ex ſe patet. Minoris corporis eſt Cyniphs, & movetur.

PROPOSITIO 8. ARTIC. 19.

1097 Pag. 241. num. 221. *Parvum iſtud corpus non erat majus, quam vna parva apis.*

REFLEXIO.

1098 VBi calumnia ſuper Notatam Propoſitionem fundari quæat, prorſus ignoramus. In parvis mirabilia fecit Dominus; & in debilioribus, mirabilior elucet ejus Omnipotentia. Corpuſculum ſeptem diebus efformatum, (quod & ſi aliâs virtute Omnipotentis ad animæ receptionem aptum evaſerat, proportionis tamen naturæ jura ſervabat) quam magnæ quantitatis decet cogitari? Futurum erat vt Camellus, vel vt Elephâs? Parvum erat corpus, ſed quaſi immenſus animus, Spiritu Sancto repletus. Capax erat vſu rationis, vt viribus opinantur Pitigianus in 3. diſt. 3. quæſt. 1. art. 8. Ovandus quæſt. 5. concl. 2. & 3. Bazquez tom. 2. in 3. part. diſput. 119. cap. 4. in fine. Suarez, tom. 2. in 3. part. diſput. 4. ſect. 7. §. dico ergo 1. &c. & Ægidius, lib. 4. de Concept. quæſt. 4. art. 1. & alij per multi inter quos S. Bernardinus, tom. 2. Serm. 51. cap. 2. & & tom. 1. Serm. 61. art. 3. cap. 3. & Dyoniſius, lib. de Laudibus Virginis, art. 12. Capax erat inquam vſu rationis, & in parvitate corporis fiet diſputatio? Corpus neceſſario debebat eſſe breve, minuſque hoc, quam contrarium mirandum. Præterea,

Pitigian.

S. Bernardin.

rea, ſi omnia hæc virtute divinâ facta referuntur, conceſſo miraculo, neceſsè eſt, vt fiat aliquid ex conſequenti mirabile.

PROPOSITIO 9. ARTIC. 19.

1099 Pag. 250. n. 231. *Dominus in hoc inſtanti* (Conceptionis) *manifeſtavit ei Angelos, quos illi dabat in cuſtodiam; ipſa vidit illos, & cognovit, eoſquè gratiſsimè ſuſcepit.*

REFLEXIO.

1100 ANgelorum vigilantia circa cuſtodiam Sacratiſsimę Virginis Mariæ in vtero Matris ſuæ, illuſtrato calamo deſcribitur in Divinis Revelationibus S. Birgittæ, Sermone Angelico, cap. 4. in to. 2. fol. 378. col. 1. vbi dicitur: *O omnium conſolatio, Virgo Maria, hoc ipſum tu es, ad quod Angeli à principio ſuæ creationis tanta arſerunt charitate, quod, licet ex ſuavitate & claritate, quam ipſi in Dei viſione & appropinquatione habebant, ineffabilitèr lætabantur; plurimum tamen ex eo gaviſi ſunt, quod tu ipſi Deo eis propinquior fieri debebas, &c.* Et cap. 10. ejuſd. Serm Angelici, fol. 386. col. 1. *O Anna Mater Reverenda, quam pretioſum Theſaurum in tuo bajulaſti Vtero, quando Maria, quæ Mater Dei fieri debebat, in ipſo quievit. Verè ſine omni ambiguitate credendum eſt, quod materiam illam ſtatim, quando in Annæ Vtero concepta & collecta fuit, ipſe Deus plus diligebat, quā omnia humana corpora a Viro & Muliere generata, & generanda per mundum vniverſum. Et ideo credibile eſt, Angelos ex hoc theſauro non modicum exultaſſe, quando materia illa in Annæ Vtero concepta fuit, ex qua benedictum corpus Matris Dei formari debebat, quam ipſe Deus & omnes ejus Angeli in tanta charitate peramabāt, &c.* Habes igitur Cœleſtes, Angelos Conceptam Mariam diligentes: Quod autem ex divina diſpoſitione eos ſimilitèr cognoverit Regina Cœleſtis gratiaſque egerit pro tanto beneficio, & congruum videtur, & rationi conſonum, vſu rationis ſemel admiſſo, de quo jam ſuprà. Prætereà, notanda ſunt illa verba: *Quam ipſe Deus & omnes ejus Angeli peramabant*, vbi ly, *ejus*, indicat, Angelos eſſe Mariæ, alias non diceret, *ejus*, ſed, *ſui*, vt liquet ex humanitatis regulâ. S. Birgitta

PROPOSITIO 10. ARTIC. 19.

1101 Pag. 251. nu. 231. *In cognitione & dolore, quem ſenſit de lapſu hominis, ploravit, & lachrimas fudit in vtero Matris ſuæ.*

REFLEXIO.

1102 HOc ipſo motivo, in confixa Propoſitione ſignato, lachrimas fudiſſe SS. Virginem alio tempore, expreſsè fatetur Andreas Hieroſolymitanus, vel, vt ab alijs fertur, Andreas Cretenſis, Serm. in Salut. Mariæ, his verbis: *Veriſimile eſt, ipſam de clara Stirpe David, haud ignaram divinorum, quæ in Scripturis habentur oraculorum fuiſſe, vt cogitationes ſuas ſtatim converterit ad primæ parentis lapſum, in animo ſecum ſuo volvens deceptionis primæ caſſum, &c.* Præmit inſuper & ratio: Etenim, ſi ex motivo gaudij lætatus eſt Ioannes in vtero matris ſuæ: Quid mirum quod ex motivo mœroris lachrimas fuderit in vtero matris ſuæ, Pietatis Mater? Minus miraculum eſt, exultare in vtero Matris, quam triſtari in vtero Matris? Ioannes in vtero Matris capax eſt gaudij, & SS. Virgo Maria in vtero Matris incapax eſt doloris? Punctum difficilius erat vſum rationis concedere Reginæ Cœleſti in primo ſuæ Conceptionis inſtanti; hoc tamē poſito, & ex ſententijs SS. PP. & DD. admiſſo, quod in illo inſtāti habitus infuſos obtinuit, quod Deū offenſū cognovit, quod ingratitudinem primi parentis penetravit, & alia hujuſmodi: vnde repugnat quod lachrimas fuderit? Nec parvitati corporis incongruunt, ſiquidem ad proportionem corporis intelligendæ ſunt lachrimæ. Præterea, ex miraculo facilè eſt, quod ex natura difficile. Per miraculum exultavit Ioannes in vtero Matris ſuæ, cognito motivo gaudij: potuit ergo per miraculum triſtari, cognito motivo triſtitiæ. Quid ex hoc? Legatur inſuper ſubſequens Reflexio.

Andreas Hieroſol.

SS. PP.

PROPOSITIO 11. ARTIC. 19.

1103 Ibid. n. 232. *Rogavit cum hac teneritudine miraculoſa, ab illo inſtanti quo recepit eſſe, pro remedio hominum, & incepit ex*

tunc exercère officium, ipſorum Mediatricis, Advocatæ, & Reparatricis.

REFLEXIO.

1104 NOn repugnare precationes, cui conceditur vſus rationis, ex ſe ſatis notum videtur. Etenim ſi SS. Virgo Maria in primo ſuæ Conceptionis inſtanti perfectum habuit vſum rationis: Perfectam ergo tenuit Animæ libertatem. Nec ratione ſolum, quinimò & authoritate loquimur V. Alphōſi, in Bibliotheca Virginali, tom. 1. fol. 763. col. 2. ſub lit. C. vbi ait: *Sane ex vtero matris ſuæ SS. Virgo, vt abſque peccato Cōcepta fuit, gratias Deo optimo egit, pro dono creationis ſibi impenſo; necnon pro ſingulari privilegio accepto, videns ſe immunem ab omni labe peccati, & gratia ſummi numinis ab originali culpa præſervatam. Tunc exclamare cœpit, vti Sponſa gratiſsima Deo:* Oſculetur me oſculo oris ſui, &c. *Ne, obſecro, quis excandeſcat, quia dixi, Virginem Glorioſam ex vtero Matris ſuæ cecinisſe hoc canticum; nam cum D. Bernardo aſſerere auſim, quod quidquid alijs Sanctis, quamvis paucis, à Deo conceſſum eſt, Virgini Chriſtiferæ non eſt denegandum; atqui Præcurſori Ioanni ſex nactus menſes datum eſt, vt cognoſceret Salvatorem, quem exultans adoravit: non ergo Matri Sacratiſsimæ, quod de ſervo SS. DD. aſſerunt, adimere audeamus.* Habes hic authoritatem & rationem; & quidem nec alijs indigemus. De puncto Reparatricis alibi diſſeruimus. Bibliotb. Virg. S. Bernar. Epiſt 175.

PROPOSITIO 12. ARTIC. 19.

1105 Pag. 371. n. 329 *In inſtanti in quo nata eſt noſtra Regina Maria, miſit Altiſsimus Sanctum Archangelum Gabrielem, vt annuntiaret Sanctis Patribus Limbi hunc nuntium, tam felicem, & iucundum ipſis.*

REFLEXIO.

1106 NAtivitatem Virginis Glorioſæ, gaudium annunciaſſe vniverſo mundo, Ritu ſolemni canit Eccleſia Vniverſalis; & quidem Limbi Patres extra vniverſum mundum non degebant. Præterea, S. Athanaſius Alexandrinus, in Bibliotheca Virginali, tom. 2. fol. 802. col. 1. ſub lit. C. expreſ- S. Athanaſius.

preſsè fatetur, S. Simeonem, Limbi SS. Patribus lætiſsimum fuiſſe Nuntium, eumque loquentem introducit, his verbis: *Me cito dimitte Domine, dimitte rogo, ne ad longum me tempus detineas: Ne tardus Nuntius, primis parentibus generis humani plena gaudij Nuntia perferam. Ne me Domine præveniant infantes, qui tua cauſa ab Herode necati ſunt. Pueri ſunt, vegetique ac agiles; ego autem ſenex, tarduſque, ac ægrè mobilis; timeoque, ne velotius me præcurrentes, ſummorum adeo, præclarorũque, ac lætorum bonorum Nuntij, humani generis primis parentibus fiant, &c.* Non eſt igitur incredibile, Angelos nonnunquam Nuntiorum munus executos, ad anuntiandum Sanctis Parentibus Limbi myſteria gratiæ. Præterea, ſi ad Paſtores miſsi ſunt Angeli, ad annuntiandum gaudium magnum Nativitatis Chriſti; cur ad annuntiandam Nativitatem lætiſsimam Angelorum Reginæ ineptes nuntij judicantur Angeli? Summa lætitia Angelorum, in die qua nata eſt SS. Virgo Maria, mirè deſcribitur in Bibliotheca Virginali, to. 2. fol. 121. col. 1. ſub lit. C.

Biblioth. Virg.

PSOPOSITIO 13. ARTIC. 19.

1107 Pag. 372. nu 330. *Multitudo innumerabilis Angelorum ordinaverũt novam, & ſolemnẽ proceſsionem, elevantes, cum Canticis incomparabilis gaudij, veram Arcam Novi Teſtamenti, vt eſſet pro aliquo ſpatio, non in domo Obedêdon, ſed in Templo Supremi Regis Regum, & Domini Dominantium.*

REFLEXIO.

1108 DE hac Propoſitione latiſsimũ fecimus diſcurſum, Concertatione 6. §. 4 & 5. & Concert. 15 per totam, vbi de elevationibus SS. Virginis in Empireum haud brevi calamo pertractavimus. De circumſtantia vero multitudinis Angelorum, Reginam eorum comitantium, loquitur S. Bernardinus, tom 2. Serm. 51 Art. 3. cap. 1. vbi ait ſic: *Primo ſeſo affuit ei Angelorum protectio: aſsiſtebant enim illi innumerabiles multitudines Angelorum in ejus protectionem. Et de hoc, Propheta ad Virginem ait: Angelis ſuis Deus mandavit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Piè etenim credo, *quod plurimas legiones habuit An-*

Sup. Concert. 6. & 15.

S. Bernardinus.

Angelorum ad cuſtodiam & protectionem ſuam. Cum & Eliſæus, vt legitur 4.Reg. 6. Angelorū multitudinem habuit ad ſui defenſionem. Et Serm. 61. Art 1. cap. 6. inquit: *Tot enim creaturæ ſerviunt Mariæ, quot ſerviunt Trinitati, ſivè Angeli, ſivè homines, ſivè corpora cæleſtia, vel elementa, & omnia quæ ſunt in Cælo, & in terra: Ipſe, qui Deus erat, Matri famulabatur in terra, & erat ſubditus illis.* Et to. 3. Ser. 3. de Glorioſo Nomine Mariæ, art. 3. cap 3. *Omnes igitur Angelici Spiritus ſunt hujus Glorioſæ Virginis Miniſtri, atque Servi.* Alias authoritates SS. PP. aſſumptum comprobantes, omittimus, quaſi non neceſſarias; & quoniam paſsim præ oculis habentur.

PROPOSITIO 14. & 15. ARTIC. 19.

1109 Pag. 376 n. 334. *Fuit determinatum in hoc Conſiſtorio, & Tribunali Divino SS. Trinitatis, imponere Nomen Infanti Reginæ.*

1110 Pag. 377. num. eodem. *Voluit Altiſsimus, ei Nomen imponere per ſe ipſum in Cælo.*

REFLEXIO.

1111 H*Abent hoc merita Sanctorum*, (inquit S. Ambroſius, lib. 2. Comment. in Lucam, cap. 1. circa finem) *vt à Deo nomen accipiant. Sic Jacob Iſrael dicitur, quia Deum vidit. Sic Dominus Noſter Jeſus nominatus eſt, antequam natus; cui non Angelus, ſed Pater nomen impoſuit.* Et quidem, ſi Mariæ haud negandum, quod alicui Sanctorum invenitur eſſe conceſſum; dum impoſitum nomen à Deo Joanni cognoſcimus, alijſque Sanctis, etſi paucis, nulla ratione negatum Virgini credamus. In terminis autem, idipſum quod in relatis propoſitionibus affirmatur, prius dixit S. Andreas Cretenſis, Orat. 1. de Nativ. Uirg. Mariæ, in Biblioth. Virg. tom. 2. fol. 786. col. 2. ſub lit. A. & S. Petrus Damianus, Serm. 2. de Annunt. ibi: *Init Deus Conſilium: & de theſauro divinitatis, Mariæ Nomen evolvitur, &c.* *S. Ambr.* *S. Andr. Cret.*

PROPOSITIO 16. ARTIC. 19.

1112 Pag. 378. nu. 334. *Vnus Angelus Cuſtodiæ SS. Virginis occupavit locum ejus, ſumpto corpore aëreo ad hunc effectum.*

RE-

REFLEXIO.

1113 Angelum aſſumere poſſe corpus aëreum opinione fertur multorum SS. PP. quamvis alia neceſſariò concomitentur accidentia, vt viſibiliter conſpiciantur. Ita Scotus in 2. diſt. 8. §. in iſta quæſt. verſ. 2. *Dico*, *&c.* Angelicus Doctor, Seraphicus Bonaventura; Alenſis, Ricardus, Gabriel, & Durantus, quos citat & ſequitur Suarez, lib. 4 c. 34. num 5. Ex quo patet, quod quoties Angelus non aſſumit corpus humanum realitèr verum, vt fieri poteſt juxta Scotum in Reportatis in 2. diſt. 8. §. ad quæſtionem, verſ. *Sed illud*, illud format ex aëre ſimul & ex nube, vel ex exhalationibus, aut vaporibus, aut ex aliquo alio mixto imperfecto, quod ſit capax nimiæ compræſſionis, aliarumque diſpoſitionum neceſſariò concurrentium, vt fiat corpus formatum & viſibile. Hoc ita ſuppoſito, & ſemel admiſſo, quod Angelus ſubrrogaret loco Mariæ, dicant Cenſores, qua ratione repugnet Angelum corpus aſſumpſiſſe ad hunc effectum? Nec deſunt qui dicant, ex aere exiſtente in cubiculo Virginis formatum corpus Angeli Incarnationem nuntiantis. Vid. Francès, tom. 2. Certam. pro Deip. in tab. verb. *Angeli*. Vide infra, Reflex. ſup. Prop. 32.

Scotus. *Francès.*

PROPOSITIO 17. ARTIC. 19.

1114 Ibid. nũ. 335. *Octavo die poſt Nativitatem Magnæ Reginæ, multitudo pulcherrimorum Angelorum deſcendit de Cœlo, modo magnificentiſsimo, habentes ſinguli ſcutum lucidum, in quo inſculptum erat Nomen Mariæ, totùm radians, & lumine ſplendens.*

REFLEXIO.

1115 Hic duo videnda, ſcilicèt & Angelos apparuiſſe viſibili forma, & ſculptum Nomen Mariæ ſecum Angelos portaſſe, ſplendoribus radians. Primum, nec impoſſibile, nec incredibile; ſecundum autem non repugnare, & decère Nomen Sanctiſsimum, ſatis ſuadetur ex ſuprema Nominis dignitate, juxta SS. PP. repetitas ſententias, cujus abdita myſteria mirificè refert S. Antoninus Archiepiſcopus Florent. Opuſc. de

S. Antoninus.

B.

B. Virgine Maria in Bibliotheca Virginali, tom. 2. §. 8. & 9. cap. 22. à fol. 572. vſque ad 579. Similes Angelorum Apparitiones, hujuſmodi Myſteriorum Notis illuſtratas, apud Eccleſiaſticas Hiſtorias haud ſemel invenimus. Etenim, *Seraphico P. N. Franciſco apparuit Angelus Domini, Phialam Cryſtallinam & limpidiſsimam aquæ geſtans*, vt in noſtris Chronicis refertur. Prę terea, in ſolemnitate quadraginta Martyrum, lectione quinta, dicitur, *Janitorem vigilantem quoſdam è Cælo deſcendentes Angelos vidiſſe, tanquam à Rege miſſos, qui coronas triginta novem militibus diſtribuerent, &c.* Nihil ergo novum, Angelos ſic apparere his vel illis emblematibus, vel figuris, &c. *Eccleſia.*

PROPOSITIO 18. ARTIC. 19.

1116 Pag. 398. n. 352. *Quando ipſa dormiebat, actiones interiores amoris, & alij effectus ejuſdem gratiæ, qui non dependebāt ab exterioribus ſenſibus, non ceſſabant, & nullatenus interrumpebantur in illa.*

REFLEXIO.

1117 ASſertum Notatæ propoſitionis communiſsimum eſt, frequentèrque apud Expoſitores Sacræ Paginæ, illa Canticorum verba: *Ego dormio & cor meum vigilat*, de SS. Virgine videntur intellecta, quæ, vt inquit S. Ambroſius, lib. 2. de Virginitate, part. 1. *Dum quieſceret corpus vigilabat animus.* Et Melifluus Doctor, in Bibliotheca Uirginali, tom. 1. fol. 225. col. 2. circa finem, ſic ait: *Iſta Filia ſimul & Mater Altiſsimi, non ſolum vigilans, ſed etiam dormiens rerum Cæleſtium contemplatione fruebatur; cum nihil in rerum natura eſſet, quod vel tātiſper ſpiritale ejus, aſsiduumque cum Deo comertium poſſet interrumpere, adeò, vt etiam cum altiſsimè ſoporaretur, & in vtramque aurem (vt dicitur) dormiret, altius divinuſque contemplaretur, quā Sancti quicunque, etiam perfectiſsimi, cum maximè vigilarent, & orarent ardentiſsimè.* Ibidemque proſequitur Inſignis Alexius à Salò: *Ego dormio & cor meum vigilat, vt lepores palpebris patentibus, & Leones apertis oculis ſomnos capere dicuntur: ſic animo pervigilante Deipara, ſolo corpore dormiebat. Effuderat Dominus ſuper Deiparam ſpiritum gratiæ & precum, vt loquitur Zacarias,* *S. Ambr.* *S. Bernar.* *Alexius à Salò.*

cap. 12. Non amplius immoremur ſuper hoc; qui voluerit legere poterit idipſum apud Seraphicum Doctorem, & Bernardinum Senenſem.

PROPOSITIO 19. ARTIC. 19.

1118 Pag. 399. nu. 352. *Quando ipſa erat ſola, vel quando ponebatur in cunabulis ad dormiendum (quod nõ niſi ſobriè faciebat) conferebat ſuper Myſteria & Laudes Altiſsimi cum Sanctis Angelis ſuæ cuſtodiæ, & fruebatur viſionibus Divinis, & colloquijs Altiſsimis divinæ Maieſtatis.*

REFLEXIO.

1119 SEmel poſito vſu rationis perfectiſsimo in SS. Virgine Maria: Quando convenientius cum Sanctis Angelis comitari decebat, quam in ſolitudine? *Omnes quidem Angelici Spiritus ſunt hujus Glorioſæ Virginis Miniſtri*, vt inquit S. Bernardinus de Sena, ſupra citatus; & Gregorius Nicomedienſis, de oblatione Deiparæ, ſic ait: *Oportebat non vnum ſolum inſervire Angelum, ſed decies millia eam ſtipare.* Et Inſignis Caniſſius de Maria Deipara, lib. 1. cap. 12. fol. 66. & cap. 13. fol. 70. col 1. in fine, & lib. 2. cap. 1. fol. 83. *Multimodis ſuadet, Mariã parvulam inſigniter placuiſſe Salvatori, & cum Angelis converſaſſe.* Cum igitur hoc fiat valdè credibile, in ſolitudine conſiderata Puella Cœleſti, potentijs vigilantibus, menteque ſupernorum cogitationum inflammata: cum quibus quieſceret, niſi cum Angelis Cœleſtibus? Imò contrarium incredibile foret, id ſcilicèt quod SS. Virgo, in ſolitudine poſita, non levaret ſe ſupra ſe, vel ocioſa maneret.

S. Bernard. *Caniſſius.*

PROPOSITIO 20. 21. & 22. ARTIC. 19.

1120 Pag. 248. nu. 377. *Si non locuta eſt à Nativitate ſua; non fuit, quia non potuit; ſed quia noluit.*

1121 Ibid. *Silentium fuit in illa maxima virtus, & particularis perfectio.*

1122 Pag. 429. n. 378. *Diſpenſavit ſolùm in hac ſilentij lege verſus Angelos ſuos Cuſtodes; vel quando in ſolitudine orabat Dominum vocaliter.*

RE-

REFLEXIO.

1123 QVi linguas infantium facit diſertas, linguam benedictam digniſsimæ Matris ſuæ ſolvere nequivit? *Pueri linguâ Ambroſium Epiſcopum exclamante, vniverſi populi vox erupit, Ambroſium Epiſcopum depoſcentis*: Quod igitur puero conceſſum eſt, vt ante tempus naturale loqui poſſet, denegandum exiſtimamus Reginæ creaturarum? Juribus naturæ diſpoſſuit Altiſsimus; *vt mutus, inſimul ſurdus evaderet*; quaſi intolerabile indicans, audire & intelligere poſſe, & loqui non poſſe; vel potiùs, quaſi connexum regulare (haud neceſſarium) deſignans inter poſſe intelligere & audire, & poſſe loqui: vti conſequens eſt igitur, vt ſi SS. Puella Virgo Maria vſum perfectiſsimum rationis acceperat, etiam loquendi poteſtatem obtineret. Præterea, hujuſmodi Privilegium nec repugnans, nec indecens ex vlla parte conſpicitur: Non eſt ergo SS. Virgini denegandum, juxta regulam communem SS. PP. id de facto Reginæ Cœleſti concedétem, quod poſsibile comprobatur & decens. *In Offic. S. Ambroſij*

1124 Aſſertum 21. Propoſitionis, id ſcilicèt, ſilentium SS. Virginis Mariæ cum cœteris creaturis, dum loqui potuit, maximam fuiſſe virtutem, ſingularemque perfectionem, ita certum eſt, ſicut ſilentium diſcretè regulatum, ſecundum ſe fore perfectum; quod vtique negari non valet juxta Paginæ Sacræ ſententias, & SS. PP. doctrinas. S. Ambroſius, lib. 2. de Offic. *Quamplures vidi loquendo peccatum incidiſſe, vix autem tacendo: ſapiens eſt ergo qui novit tacère.* S. Gregorius in Moral. *Ille ſcit rectè dicere, qui & tacère novit ordinatè.* Caſiod. lib. 3. Epiſt. *Hæc regalis proculdubio virtus, celerius neceſſaria ſentire, & tardius in verba prorrumpere.* Seneca, in Prov. *Taciturnitas ſtulto homini pro ſapientia eſt: Tacere qui neſcit, neſcit loqui.* Sed quid quærimus Phyloſophorum Proverbia, dum ſic abundant Sacra teſtimonia? Iſaiæ 30. verſ. 15. *In ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra.* Et cap. 32. verſ. 17. *Cultus juſtitiæ ſilentium.* Et Thren. 3. verſ. 26. *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.* Et alibi: *Ducam eam ad ſolitudinem & loquar ad cor ejus.* Item: *Sedebit ſolitarius & tacebit, & levabit ſe ſupra ſe, &c.* Tacuiſſe igitur Virginem Mariam, dum loqui potuit, ſingularis perfectio fuit, & maxima virtus. *S. Ambr.* *S. Gregor.* *Iſaia 30.*

1125 Circa Propoſitionem 22. protinus occurrit; SS. Virginem, cunctas hæreſes interimentem in vniverſo mundo, noviſsimum errorem interemiſſe vocibus ſuis, negantem perfectionem orationis vocalis. *Orabat vocalitèr*, vt os, lingua, mens, ſenſus, vigor, confeſsionem Altiſsimi perſonarent. *Orabat vocalitèr*, quæ loqui poterat, & loqui cum creaturis non optabat. *Orabat vocalitèr*, vt omnibus modis ſibi poſsibilibus Dominum benediceret. Etenim ſi Propheta dicebat: *Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi?* Clamantibus oſsibus, expedita lingua taceret? Ex abundantia cordis loquitur os: non ergo lingua Virginis loqueretur ex abundantia cordis, Spiritus Sancti gratia exuberantis, pleni & ſuperpleni ſuper omnem creaturam Cœli & terræ? Semel convicto, loqui potuiſſe: de facto fuiſſe locutam cum Angelis Cœleſtibus, & oratione vocali, vnde repugnabitur? Ad quid potentia, niſi aliquando reduceretur ad actum? Peccatum foret loqui cum Deo, vel cum Angelis Dei?

Pſalm.

PROPOSITIO 23. ARTIC. 19.

1126 Pag. 451. n. 399. *Ante ætatem trium annorum, ſæpè tentabat exercere miniſteria majoris humilitatis, ſicut purgare & verrere domum ſuam. Sed quia nolebant hoc illi permittere, conabatur hoc facere dum ſola remanebat; & tunc Spiritus Angelici adjuvabant eam, vt in aliquo fructum reciperet humiliationis ſuæ.*

REFLEXIO.

1127 Q*Voniam reſpexit Dominus humilitatem Ancillæ ſuæ: Ecce enim ex eo Beatam prædicabunt eam omnes generationes.* Quę Magiſtra erat veræ humilitatis, miramur in primævis annorum vitæ ſuæ curſibus humiliari? Beati Nicolai Sanctitas, Eccleſia teſtante, quanta futura eſſet, jam ab incunabulis apparuit; nam infans, cũ reliquos dies lac nutricis frequens ſugeret, quarta & ſexta Feria ſemel dumtaxat, idque veſperi ſugebat. Hoc haud incredibile fertur: & incredibile fiet, SS. Virginem ab incunabulis humiliari? *Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*, vt inquit Ambroſius, lib. 2. Comment. in Luc. cap. 1. Si ergo in ſpiritu humilitatis jam diſ-

In Offic. Lect. 4.

S. Ambr.

ci-

ciſpulatum profitebatur Divini Magiſtri dictum: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*: quid mirum humiliaretur, quæ ſpiritum verę humilitatis infuſum acceperat? Nec indecebant exercitia ſic humilitatis exterioris Cœleſti Reginæ, vt ex S. Hieronymo tranſcribit Seraphicus Doctor, his verbis: *Hanc ſibi regulam Virgo Beata ſtatuerat, vt à mane vſque ad horam tertiam orationibus inſiſteret; à Tertia vſque ad Nonam externo opere ſe occuparet; à Nona vero iterum ab oratione non recedebat, quouſque dum illi Angelus appareret, de cujus manu eſcam accipere ſolebat.* Et paucis interpoſitis proſequitur: *De eſca, quam de manu Angeli accipiebat, ipſa reficiebatur, quam vero à Pontificibus Templi accipiebat, pauperibus erogabat. Quotidie videbatur ei Angelus loqui, & quaſi Chariſſimæ Sorori, vel Matri obtemperabant ei.* Hucuſque Hieronymus in Sancto Bonaventura, & videri poteſt apud Caniſsium, lib. 1. de Maria Deipara, cap. 13. Habes hic duo quæſita deſiderabilia, ſcilicèt, & SS. Virginem, in operibus externis occupatam, & Angelos Domini obtemperantes ei. Præterea, inter alia SS. Infantis exercitia, voluntaria hoc in tempore ablactatio, abſtractioque ab vberibus maternis recenſetur, iejuniumque prudentiæ regulis directum, vt ex Metaphraſte & Raynaudo fert Cancellotus, anno Virginis 3. à num. 2. Expreſsius autem & in terminis, in ejſdem Annalibus Marianis à fol 275. his verbis: *Ad actuoſam quoque Virginis Mariæ vitam pertinent obita Domus identidem miniſteria, verrendo pavimentum, officinam purgando, & exhibendo Parentibus, vbicunque opus foret, impigram ſervitutem, quibus illa reipſa dicere quodammodo videbatur, quæ dicta deinde Apoſtolis Evangeliſta teſtatur*, Luc. 22. v. 27. Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. *Maria vero Mater*, domeſtico (*vt ait Ambroſius, lib. 2. de Virginit*) operola ſecreto, *à contemplatione rerum divinarum ad opera manuum muliebria, animum ſtatutis horis revocabat, &c.* Nec indecet Angelorum dignitati, eorum Coadjubare Reginam in relatis humiliationis exercitijs: etenim modus id faciendi, ſapientes non latet. Poſtmodum, nec mirandum, SS. Puellam ad talia humilitatis exercitia, vltra quod vires poſtulabant & ætas, ſe obtuliſſe: incipere enim quod perfectum eſt, perfectione non caret. Laudamus quidem in Seraphica Thereſia, & ſic eſſe credimus, quod futuræ ſanctitatis in tenerrima adhuc ętate ſpecimen dedit: hoc enim

Seraph. Doctor.

Caniſsius.

Cancellot.

S. Ambr.

Eccleſia Lect. 4.

enim credibile eſt: & incredibile fiet, quod SS. Virgo Maria in tenerrima adhuc ætate, trium ſcilicèt aunorum, vel paulòminus, futuræ humilitatis, qua rapuit oculos Domini, ſpecimen daret?

PROPOSITIO 24. & 25. ARTIC. 19.

1128 Pag 451. n. 400. *Quando incępit loqui ipſa (matrem ſuam) rogavit humiliè, vt non apponeret ſibi veſtes alicujus pretioſitatis, vel oſtentationis, ſed è contrario, humiles & pauperes, & (ſi fieri poſſet) coloris cinericij, quales hodie portant Religioſæ Sanctæ Claræ.*

1129 Pag. 452. n. 401. *Permiſit ſe veſtiri ſicut S. Anna diſpoſuit, quæ tamen ſatisfecit ei in colore, & forma, quam ipſa poſtulabat, ſervando aliquam ſimilitudinem habitibus devotionis, qui frequenter imponuntur infantibus Deo voto dicatis.*

REFLEXIO.

1130 Q*Vi molibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt*, dixit ſupremus paupertatis amator. Prima poſt Chriſtum in amore paupertatis altiſsimæ fuit Regina Cœleſtis, ait Albertus Magnus, in *Biblia Beatæ Virginis Mariæ*, exponens illa verba Math. 5. *Beati pauperes ſpiritu, &c.* Non igitur eligeret indui pretioſis & molibus veſtimentis. Idem tract. *ſuper Miſſus eſt*, de Laudibus Virginis Mariæ, cap. 95. de Modeſtia SS. Virginis, & cap. 96. de Modeſtia ejuſdem in cultu veſtium, inquit: *Cum Beatiſsima Virgo fuerit prudentiſsima, ipſa elegit vilitatem in veſtitu. Quod autem mediocritatem elegerit, videtur per Beatum Hieronymum, qui dicit: Ornatus veſtium, & ſordes, pari modo fugiendi ſunt, &c.* Vid. Baptiſtam Cancellot. in Annalibus Marianis, pag. 272. circa finem, vbi eleganti calamo, authoritate S. Ambroſij reſolvit, SS. Virginem laneas veſtes amaſſe.

Albert. Magn.

S. Ambr. ap. Cācellot.

1131 Præterea, Doct. Alexius á Salò, tract. de Arte piè amandi & collendi Deiparam, in Bibliotheca Uirginali, tom. 1. fol. 196. col. 1. ſub lit. C. de honeſtiſsimis veſtibus SS. Uirginis, ait ſic: *Dedecet fœminam, in qua modeſtiam omnem & ſpeciem ſanctitatis elucere oporteat, ad Heroinam noſtram accedere, corpore nimis phalerato, & ornamentis ſuperfluis compoſito, à quibus Deipa-*

Alex. à Salò.

para ipſa ſemper vehementiſsimè abhorruit. Nam S. Epiphanius, aliique multi Doctores ajunt, veſtes Deiparæ fuiſſe ex pretij mediocris materia, ſine vlla illuſtratione, mundas tamen ſemper, &c. Cum igitur dici non poſit, Reginam ſapientiæ mutaſſe ſententiā, credibile fit, laneas veſtes ſemper appetiviſſe. Cœterum, Eximius Doct. Armandus de Uellovilſu, ex Dominicana Familia mihi ſemper amabili, collatione 31. de Feſto Purificationis B. Mariæ Virginis, ſumpto themate ſuper illa verba, Pſal. 34. *Quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam, &c.* ait ſic: *Dic ſi vis de Fratrum Minorum habitu, quia eſt in modum Crucis: Ita Chriſtus habitum aſſumptum in Cruce extendit, ideo ad Philip. 2. In ſimilitudinem hominum factus & habitu inventus vt homo.*

Armādus de Vellovisu. *Philip. 2.*

1132 Poſtmodum & ratione ſatis convincimur, nunquam virtutum Reginam oſtentationis veſtes amaſſe, quinimò è contrario pauperes & honeſtas. Quod autem fuerint coloris cineritij, quales hodie portant Religioſæ Sanctæ Claræ, nec repugnat nec indecet; minuſvè qnod aliquam gererent ſimilitudinem habitibus devotionis, qui frequentèr imponuntur infantibus Deo voto dedicatis. Dicant Cenſores, vnde hoc repugnet, vel qua parte dedeceat SS. Virginem?

PROPOSITIO 26. 27. 28. & 29. ARTIC. 19.

1133 Pag. 220. n. 201. *Altiſsimus determinavit, & deſignavit Angelos, in miniſterio adeò ſublimi occupandos, & de ſingulis novem Choris centum ſelegit, qui ſunt nongenti.*

1134 Pag. 220. num. eod. *Demum deſtinavit duodecim alios, vt SS. Virgini ſervirent in forma corporali, & viſibili, cum majori aſsiduitate, & illis impreſſa erant ſigna, ſeù alegorici Typi Redemptionis.*

1135 Pag. 221. n. 201. *Vltra illos aſsignavit Dominus octodecim alios de ſublimioribus, vt aſcenderent, & deſcenderent per Myſticam Scalam Jacob, ad legationes ferendas Reginæ ad Regē, & ejuſdem Domini ad Reginam.*

1136 Pag. 221. n. 202. *Supra numerum omnium iſtorum Angelorum, de quibus mentionem fecimus, elegit Altiſsimus adhuc ſeptuagita de ſublimioribus Seraphims, & proximioribus Throno Divinitatis, vt conferrent, & communicarent cum Regina Cæli.*

RE-

REFLEXIO.

1137 LOquatur in primis S. Birgitta, in ſuis divinis Reve- *S.Birgitta* lationibus, tom. 1 lib. 4. cap. 107. circa finem, vbi ait, Chriſtum ſibi dixiſſe: *Angeli mei cuſtodiebant & honorabant corpora illa beata; quia ſicut locus ille diligentèr excollitur, vbi roſæ & plantæ ſeminandæ ſunt: ſic iſte locus cathacumbas diu antea præparabatur, & honorabatur, de quo Angeli & homines lætarentur, &c.* Ex quo ſic: Si quoniam locus ille præparabatur à Deo, vt depoſitum foret corporum Sanctorum, ideo diſpoſitione divina, Angelorum miniſterio cuſtodiebatur: Quid mirum, quod SS. Virgo, à primo ſuæ Conceptionis inſtanti dignè præparata, vt Mater foret Divini Uerbi humanati, ſingulari vigilantia cuſtodiretur ab Angelis Domini?

1138 Anonymus, in Bibliotheca Virginali, tom. 2. fol. 241. *Biblioth. Virg.* col. 2. ſub lit. C. ait ſic: *Nec ſolum vnicum Angelum habuit SS. Virgo Maria in ſui cuſtodiam; ſed creditur, quod infinitos; vnde ei dicitur Pſalm.* Angelis ſuis Deus mandavit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, *ſcilicèt, cogitationibus, locutionibus, actionibus, & hujuſmodi, &c.* S. Anſelmus Cantuarienſis, de Annun- *S. Anſelm* tiatione Angelica, cap 3. *Nulli denique dubium, Sanctiſſimā Virginem jugi Angelorum cuſtodia fuiſſe protectam, vtpotè Aulam, quā omniū Creator Deus corporalitèr inhabitaturus erat, & ex quā hominem in ſuæ perſonæ vnitate ineffabili fuerat operatione ſuſcepturus.* Item, Ambroſius Spiera, Natione Gallus, doctrina & ſanctita- *Ambroſ. Spiera.* te valdè celebris, noſtri S. Bernardini Senenſis conſotius & defenſor, Serm. 39. concluſ. 2. de Fortificatione Virginis, ſic ait: *Prima armatura exterior eſt Angelica protectio. Vnde accipe regulam. Quod quanto quis eſt in majori dignitate, tanto plures Angeli ei ad cuſtodiam dantur, licèt vnicuique pro perſona particulari detur vnus Angelus ab ortu Conceptionis ſuæ, ſive nativitatis, vt patet in 2. diſt. 11. Vnde plures Angeli dantur Papæ ad cuſtodiam, quam alys Prælatis; plures Imperatori, quam alijs Varonibus. In cujus ſignum, quia Chriſtus major erat omnium, multitudo Angelorum gloriam in ejus nativitate decantavit. Item & in pugna facta in 1. Dominica Quadrageſimæ cum Diabolo, & habita victoria dicit textus, Math. 4. Aſtiterunt Angeli & miniſtrabant ei:* Nunc pro no-

nobis. *Cum ergo nulla major in creaturis eſſe poſſit dignitas, quàm eſſe Reginam Cœli, & Matrem Dei, concludendum eſt, Virginem multitudine Angelorum fuiſſe comitatam. Vnde illud Pſal. Angelis ſuis Deus mandavit de te, vt cuſtodiant te, &c.* Item Amadeus, cap. 4 in Biblioth. Virginali, fol. 681. col. 1. ſub lit. D. aſſerit, Angelos ſibi dixiſſe: *Maria aſsiduè ſtipata erat multitudine Angelorum, quia à principio Deus juſſerat nobis Angelis, vt eam pro noſtra Regina teneremus, nullus ex noſtris fuit tantum potens, aut magnus, qui non cuperet eam videre; nam inter nos, majores ſunt ita humiles, vt inferiores; quamobrem alternatim veniebamus, & recedebamus ab ea; omnes mirabamur tantam gratiam, & tàm amplum dominium in Puella tàm formoſa, tàm ſtudioſa, tàm humili. Et gratias agebamus Deo, qui nos ſubijciebat tàm præſtanti Virgini, &c.* *Amadeus*

1139 Verum non levius argumentum efformari valet ex verbis S Antonini Archiepiſcopi, qui opuſc. de B. Virgine Maria, in Biblioth. Virginali, tom. 2. fol. 667. col. 1. ſub lit. B. ait ſic: *Factum eſt gratiſsimum commertium inter Cœlum & terram, inter Angelos & Apoſtolos, &c.* Si ergo inter Angelos & Apoſtolos ſic gratum factum eſt commertium; quid miramur, quod Sanctiſsima Virgo Maria, Regina Angelorum & Apoſtolorum mille Angelos Cuſtodes habuerit? Nec diſtributio facta juxta Notatas propoſitiones impoſsibilis eſt, nec incredibilis fit, imò valdè conſonat Supremæ dignitati Reginæ omnium Angelorũ: etenim & Princeps Provinciarum ab aliquibus cujuſcunque Provinciæ ſibi ſubjectæ magnifacit inſerviri. Aliàs authoritates æſtimabiles ad aſſumptam videre poteris in *Cenſura Cenſuræ* ſub Articulo vltimo. *S. Antoninus.*

PROPOSITIO 30. & 31. ARTIC. 19.

1140 Pag. 224. n. 205. *Ad melius ordinandum hoc invincibile agmen, poſitus eſt in capite Princeps Militiæ Cœleſtis S. Michael.*

1141 Ibid. *Princeps S. Gabriel fuit etiam deſtinatus, vt deſcenderet ex ordine Patris Æterni pro legationibus & Myſterijs, concernentibus hanc Cœli Principiſſam.*

REFLEXIO.

1042 P*rinceps Glorioſiſsimus* vocatur ab Eccleſia S. Michael Archangelus: Item & *Princeps Militiæ Cœleſtis* alibi *Eccleſia,*

bi dicitur. Quod autem deſtinatus ſit in Caput Angelorum Cuſtodum Sacratiſsimæ Reginæ, ex nulla parte repugnare comperimus Præterea, S. Michaelem vnum fuiſſe ex duobus Angelis, qui Deiparam confortarunt in Martyrio, varijs DD. Authoritatibus & rationibus oſtendit noſter Francès, in ſuo Certamine ſcholaſtico pro Deipara, part. 1. diſp. 5. ſect. 3. à num. marginali 34. Videatur ibi.

Francès.

1143 Id quod de S. Gabriele affirmat Notata propoſitio, valdè credibile fiet, ſi ſubſequentes conferantur ſententię. Doct. Anonymus, tract. cui titulus: *Corona duodecim coronarum Beatæ Virginis Mariæ*, in Biblioth. Virginali, tom. 2. fol. 241. col. 2. ſub lit. C. ait ſic: *Habuit SS. Virgo Maria Gabrielem ad ſui cuſtodiam deputatum, qui interpretatur, Fortitudo Dei, quo patrocinante, nihil in ea proficere potuit inimicus; nec ſolum vnicum Angelum Cuſtodem habuit, &c.* S. Cyrillus Hieroſolymitanus, in Luc. 1. *Cum ex Virgine naſci debebat Vnigenitus Patris, miniſtrabat Reginæ Cæleſti S. Gabriel, propriam dignitatem reputans ipſi miniſtrare, &c.* S. Andreas Cretenſis, in Biblioth. Virginali, tom. 2. fol. 194. col. 2. ſub lit. A. *Solet vtique Gabriel in Dei Myſterijs Miniſter adhiberi, vt patet in Daniele. Abijt igitur in Nazaret, &c.* Daniel Agricola, in eadem Biblioth. & eodem to. 2. fol. 306 col. 1. ſub lit. B. *Tradita eſt enim Regina Cæleſtis cuſtodienda Ægeo Eunucho, exemplo Reginæ Eſther, per quem ſcilicèt Eunuchum ſignatur Gabriel; vel etiam pluribus Eunuchis, qui deſignant Angelos, juxta illud Pſalm. 90. Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te, &c.* S. Alphonſus, ſivè Ildephonſus, Archiepiſcopus Toletanus, in Corona Beatæ Virginis Mariæ, ex 12. lapidibus pretioſis, &c. cap. 24. in Biblioth. tom. 2. fol. 382. col. 1. init: *Ad te Spiritus Angelici aſpirant: duo Cherubim obumbrantes propitiatorium, ſunt Gabriel Archangelus, & Joannes Euãgeliſta, ante Thronum tuum, ò Maria, Carmina laudis & Gloriæ jubilantes, &c.* S. Anaſtaſius Synaita, Serm. 2. de Annunt: *Quid nobis iterum in terra S. Gabriel? Qualibus Dei Myſterijs ſeruit? Nõ minoribus, ſed verè tremendis miniſtrat mandatis. Magna ſunt, quæ ei creduntur, &c.* His Doctorum ſententijs, provt oportet appenſis, & aliàs, ſuppoſita non repugnantia rerum, quæ in Propoſitionibus relatis afferuntur, ſumopere pia credibilitas coadjubatur.

Biblioth. Virg.

S. Cyrillus

Daniel. Agric.

S. Ildephõ.

S. Anaſt.

PRO-

PSOPOSITIO 32. ARTIC. 19.

1144 Pag. 414. n. 362. *Dùm hi Angeli viſibilitèr apparebant Reginæ Cæleſti, ſumebant formam adoleſcentis, excellentis & amabilis pulchritudinis.*

REFLEXIO.

1145 Littera Originalis non dicit, *amabilis pulchritudinis* ſed, *amabilis ſeveritatis*, quod valdè diverſum eſt. Circa principale verò Notatæ Propoſitionis, ſcilicèt, Angelos apparuiſſe in humana forma, in ſpecieque adoleſcentis: Nihil communius in Sacra Pagina, & in Eccleſiaſticis Hiſtorijs. In eadem forma legimus, Angelos apparuiſſe Geneſ. 16. verſ. 7. & Act. 1. verſ. 10. alijſque pluribus in locis, tàm Veteris, quàm Novi Teſtamenti. Pro Doctoribus loquatur Albertus Magnus, *ſuper Miſſus eſt*, cap. 23. vbi loquendo de apparitione Gabrielis Archangeli, hæc reſolvit: *Videtur autem, quia debuit fieri apparitio in juvenili ſpecie*, quod authoritatibus & rationibus haud inefficacibus oſtendit. Et Auguſtinus Anconitanus, vtriuſque Doctoris Angelici & Seraphici Diſcipulus, quæſt. 2. cui titulus: *An Angelus in forma hominis Beatam Mariam ſemper Virginẽ ſalutaritì* Reſolvit ſic: *Ad ſecundam quæſtionem eſt dicendum, quod communitèr Doctores dicunt, in forma hominis Angelum Virgini apparuiſſe. Nam Auguſtinus in Perſona Virginis loquens, dicit: Venit ad me Gabriel Archangelus facie rutilans, veſte coruſcans, inceſſu mirabilis.* Hoc idem dicit S Bernardus, *ſuper Miſſus eſt*. Et S. Hieronymus, in Serm. de Aſſumpt. to. 9. & Epiſt. 10. ad Paulam & Euſtochium: *Poſſumus autem dicere, quod multum rationabilitèr factum eſt, vt in forma hominis Angelus Virginem ſalutaret, propter quatuor rationes, &c.* S. Hildegardis, in Bibliotheca noviſsima Veterum Patrum, to. 23. à fol. 585. interrogat: *Qualia corpora habuerunt Angeli, qui apparuerunt Habrahæ?* Et reſolvit: *In forma humana apparuerunt, qui naturalitèr inviſibiles ſunt, ſed per corpora quæ de aëre ſumunt, eis, ad quos mittuntur, in humana forma viſibiles apparent.* Hæc ſufficiant pro ſententia ſic communi.

Diſcord. Verſ.

Geneſ.16.

Albert. Magn.

Auguſt. Anconit.

S.Bernar.

S.Hildelg.

PROPOSITIO 33. 34. 35. & 36. ARTIC. 19.

1146 Pag. 414. num. 363. *Vltra hoc ſplendens ornamentum, geſtabant in capitibus ſuis coronas florum ſingularium, qui dulciſſimum exhalabant odorem.*

1147 Pag. 415. nu. 363. *Portabant etiam in manibus ſuis palmas, varietate, & pulchritudine contextas.*

1148 Pag. 415. num. eod. *Portabant itidem ſuper pectora ſua certa ſigna, nonnullam ſimilitudinem ad illa glorioſa ſigna Ordinum militarium habentia, & quæ ſignificabant, Notis ſplendentibus & myſterioſis, hæc verba:* Maria Mater Dei.

1149 Pag. 422. nu. 372. *Octodecim Angeli apparebant Sanctiſſimæ Mariæ cum admirabili pulchritudine: erantque ornati plurimis ſignis Paſsionis, & aliorum Myſteriorum Redemptionis; habebantque particulariter ad pectora ſua Crucem vnam, & aliam inter brachia, ambas pulchritudinis ſingularis, fulgoris, & ſplendoris extraordinarij.*

REFLEXIO.

1150 APparitionibus Angelorum, varijs ſignis, enigmatibus, & figuris, nonnulla myſteria ſignificantibus, pleni videntur Scripturæ Sacræ Libri. Legatur Apocalypſis, & Viſiones Prophetarum: *Vidit* Joannes *alterum Angelum, aſcendentem ab Ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi, &c.* Vidit inſuper quatuor *Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram, nec ſuper mare, &c.* Vidit alibi ſeptem *Angelos habentes ſeptem tubas, &c.* Ad Revelationes privatas deſcendentes: *Vidi* (ait S. Hildegardis, in Bibliotheca noviſsima Veterum Patrum, tomis 27. comprehenſa, tom. 23. fol. 581. col. 2.) *vigilans corpore & animo, pulcherrimam imaginem, muliebrem formam habentem, candidiſsima etiam veſte ex albo ſerico induebatur, & pallio pretioſiſsimis lapidibus, ſcilicèt, Smaragdo, Saphiro, Baccis quoque & Margaritis ornato circumdabatur; calceamenta ex Honychino circa pedes habens. Sed facies ejus pulvere aſperſa erat, & veſtis in dextro latere ſciſſa fuerat, atque pallium ejus elegantem pulchritudinem ſuam amiſerat, & calceamenta ejus denigrata erãt. Et ipſa voce magna & lugubri, in alti-*

Apocalyp

S. Hildelg

titudinem Cœli clamabat dicens: Audi Cœlum, quod facies mea ſordidata eſt; & terra luge, quod veſtis mea ſciſſa eſt; & abyſſe contremiſce, quod calceamenta mea denigrata ſunt, &c. quod explicat de Eccleſia, & ait: *Audivi vocem de Cœlo dicentem: Imago hæc Eccleſiam deſignat, &c.* Non igitur novæ ſunt apparitiones & viſiones, ſignis enigmatibus illuſtratæ.

1151 Præterea, nec novum eſt diſtinguere Angelos ab Angelis inter SS. Virginis Cuſtodes. Etenim V. Angelus del Pas, *ſuper Miſſus eſt*, cap. 35. & in Biblioth. Virginali, to.3. fol.136. col. 2. ſub. lit. A. ait ſic: *Ab ea* (id eſt à Maria SS) *diſceſſit Angelus, ſed in ea remanſit Filius Dei: diſceſſit quidem quantum ad apparentiam, ſed remanſerunt multi quantum ad cuſtodiam. En lectulum Salomonis, ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſrael. Iſti ſunt Angeli beatiſsimi, qui cuſtodiebant SS. Virginem, tanquam locum Divinæ habitationis electiſsimum. Vnde inferius paulò, deſignata fuit per illam Scalam, cui Dominus innixus, & Angeli per illam aſcendebant & deſcendebant, quam vidit Jacob. Et poſt ſequitur. Nõ eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta Cœli, quia nullus poteſt jam in Cœlum intrare, niſi per Mariam tranſeat, tanquam per Portam.* Authoritatem protendi, etenim vſque ad vltima verba ad diverſa ſupra relata, vel incepta, prodeſt. Quoniam autem alij Defenſores hujuſmodi cauſæ, ſubtiliori calamo, vt Notatas hìc propoſitiones oſtenderent piè credibiles, exemplaria multiplicarunt de ſimilibus Angelorum apparitionibus, tùm ex Sacra Pagina, tùm & ex Hiſtorijs Eccleſiaſticis deſumpta, in his finem facimus. *V. Angel. del Pas.*

§. II.

DE ADIECTIS OCTO PROPOSITIONIbus ab Authoribus Suppoſititiæ Cenſuræ.

1152 Jam ſupra notavimus, Authores Suppoſititiæ Cenſuræ ab Indiculo DD. Deputatorum octo Propoſitiones ademiſſe, & earum loco alias totidem introduxiſſe. Hæ igitur octo Propoſitiones hujuſmodi ſunt.

1 Pag. 139. num 122. *Tota prima ſtante Hebdomada, quam Geneſis refert, in qua Deus creationem peragebat Orbis, ejuſque*

crea-

creaturarum: Lucifer & Dæmones occupati ſunt in machinando, & inter ſe conferendo iniquitates adverſus Verbum humanitatẽ aſſumpturum, & adverſus mulierem, ex qua aſſumpturus erat carnem humanam.

2 Pag. 140. num. 122. *Cum primum Lucifer cum aſſeclis ſuis Tartara intravit, omnes congregati, concilium inierunt, quod finitum non eſt vſque ad initium diei, qui dicitur feria quinta.*

3 Pag. 154. num. 136 *Ex Adamo Deus Evam formavit, Virgini ſimilem, ita vt ipſam imitaretur in forma, & in perſona.*

4 Pag. 152. num. 134. *Altiſsimus reſpiciebat Filium ſuum vnigenitum humanatum, ejuſque Sanctiſsimam Matrem, tanquam duo exemplaria, quæ formaverat magnitudine ſuæ ſapientiæ & potẽtiæ, vt eſſent ipſi tanquam prototypi, inſtar quorum vniverſum genus delinearet humanum, vt ipſo delineato, inſtar harum duarum imaginum ſuæ divinitatis, cæteri omnes juxta horum exemplarium normam ad imaginem conditi evaderent.*

5 Pag. 185. num. 172. *Nam niſi ſe obligaſſent,* (Joachimus & Anna) *particulari voto ad eam Templo conſecrandam, antequam illam cognoſcerent, & cum ea agerent; videntes eam poſtea tàm ſuavem, tàmque placidam, non poſſent eam devovère tâm prompto animo, ob ingentem amorem, quo ipſam proſequebantur.*

6 Pag. 204. num 185. *Prudens Matrona Anna, nec Sancto* Joachimo, *nec creaturæ alteri aperuit arcanum illud, videlicèt, quod Filia ſua extitura erat Meſsiæ Mater. Nec Sanctus Parens toto vitæ ſuæ tempore amplius agnovit, quam quod futura erat magna & præcellens mulier. Aſt Altiſsimus illi hoc Arcanum aperuit in articulo mortis.*

7 Pag. 238. num. 220. *Propter hoc Myſterium Conceptionis Mariæ Sanctiſsimæ Spiritus Sanctus diſpoſuit, quod dies Sabbati eſſet Virgini dicata in Eccleſia Sancta.*

8 Pag. 367 num. 325. *Et ipſa pluſquam Beata Infantula in ipſo tempore (quo egreſſura erat ex alvo Matris ſuæ) rapta fuit in extaſim altiſsimam, in qua, cum abſorta eſſet, ab omnibuſque operationibus ſenſibilibus abſtracta, ipſa egreſſa eſt in mundum, quin hoc ſenſibus percepiſſet.*

RE-

REFLEXIO.

1153 Circa primam & ſecundam Propoſitionem, quibus agitur de conciliabulis dæmonum, ſtatim poſt lapſum, videatur in primis illud 3. Reg. 22. *Quis decipiet Achab?* Videatur inſuper S. Petrus Chryſologus ad illud Math. 4 *Ductus eſt Jesvs*, vbi diabolicam malitiam, diſcordias, turbationes, & tentationes parantem, deſcribit Ad Revelationes particulares deſcendentes, expreſsè leguntur dæmonum conciliabula apud S. Birgittam, tom. 1. lib. 4. cap. 108 fol. 484. col. 1. circa finem, vbi dicitur: *Poſtquam nata eſt Mater mea* (loquitur Chriſtus) *ſic erat pulchra, quod non erat in ea macula. Quod bene cognoſcentes dæmones, ſic ægrè tulerunt, per ſimilitudinem loquendo, quaſi quod quædam vox dæmonum tunc ſonuiſſet de inferno dicẽs: Vna Virgo, tam virtuosè & mirabilitèr procedit, quod omnes ſuperat in terra & in cælo. Sed & nos ſi procedimus contra eam, &c.* Ecce manifeſtum conciliabulum. Aliud invenies paulò infra in illis verbis: *Nato verò Joanne Baptiſta, ipſe etiam diſplicuit dæmonibus, in tantum, quod quaſi vox quædam ſonuit tunc de inferno dicens: Natus eſt Puer mirabilis. Quid faciemus? Si procedimus contra eum, comtemnit audire nos; ſi prætendimus ei divitias, vertit ad nos occiput, &c.* Sed ſi mavis, tabulam earundem Revelationum attentè perlege, verbo, *Diabolus*, & quidquid ad punctum evincendum deſiderari valet, abundantèr invenies. Nec apud Eccleſiaſticas Hiſtorias, vitaſque Sanctorum exemplaria deſunt; vnum pro nunc ad memoriam revocamus, in Chronicis Seraphicis, tàm antiquis, quàm noviſsimis relatum, ſcilicèt, conciliabulũ illud a dæmonibus congregatum juxta Civitatem Aſiſsiam in initijs Religionis noſtræ, à Patriarcha Noſtro detectum, & ab ipſo propalatum Fratribus ſuis, in ſolemni Capitulo congregatis. Sat de hoc.

S. Petr. Chriſolg. — *S. Birgitt.* — *Ibid.* — *Chron. Seraph. 1. p.*

1154 Circa tertiam Propoſitionem, vbi de ſimilitudine inter Evam & Mariam, loquatur etiam S. Birgitta, to. 2. Serm. Angelico, cap. 7. fol. 381. col. 2. circa finem vbi ait: *Credebat idcirco Adam, quod de vna perſona in corpore ſimili Evæ, humanam carnem Deus vellet aſſumere.* Ponderanda ſunt verba illa, *in corpore ſimili Evæ*, quæ difficultatem enervare videntur.

S. Birgitt.

Cir-

1155 Circa quartam Propoſitionem, nihil expreſsius Tertuliani ſententia, lib. de reſurrectione carnis, cap. *6.* vbi de Adami formatione loquens, ſic ait: *Recogita illic totum Deum occupatum, manu, opere, conſilio, ſapientia, providentia, & ipſa in primis affectione, quæ lineamenta ducebat: Quocunque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur futurus.* Circa vtramque Propoſitionem, tertiam ſcilicèt & quartam, alias offerimus videndas ſententias apud S. Epiphanium, in explicatione Salutationis Angelicæ; Et apud DD. Bibliothecæ Virginalis, ſequentibus paginis correſpondentes, tom. 1. fol. 530. col. 2. ſub lit. D. & fol. 678. col. 1. ſub lit. C. & tom. 2. fol. 48 col. 1. ſub lit. A & tom. *3.* fol. *393.* col. 2. B. & fol. 457. col 1. A. Et apud BaptiſtamCancellotum in Apparatu ad Annales Marianos, pag. 18 & 19. per tot. Et poſtmodum apud Caniſsium, de Maria Deipara, fol. 90. & 91. vbi Chriſti & Mariæ cum Adam & Eva elucidatur comparatio.

Tertulian. *S. Epiphã.* *Cancellot.*

1156 Circa Propoſitionem quintam, videantur quæ dicta ſunt ſuper Art. 7. Concert. 8. per totam, vbi authoritatibus & rationibus devictum punctum exiſtimamus.

1157 Propoſitio ſexta potiùs commendat SS. Parentes Joachim & Annam, quam ab eis gloriam retrahat. Neſcimus vnde repugnet, myſterium ibi relatum non potuiſſe revelari Sanctis Genitoribus tempore diverſo, prout inibi refertur. Silentium SS. Matris Annæ ſatis eſt commendabile.

1158 Cœterum, Propoſitio ſeptima controverſa eſt ſupra, Art *9.* Concert. 10. §. 2. & *3.*

1159 Poſtmodum, octava propoſitio, rationi conſona ſatis apparet. Etenim cum juxta SS. PP. doctrinas convictum relinquamus, Sanctiſsimæ Uirgini vſum perfectiſsimum rationis in vtero Matris ſuæ fuiſſe conceſſum, & ante Nativitatem ſuam fœliciſsimam, contemplativam vitam egiſſe. Quid mirum, quod in extaſim rapta naſceretur? Cœterum Nativitas Reginæ Cœleſtis, plena fuit miraculis, vt fert Pelbartus, part. 2. lib 5 art. 2. ex Theophilo hiſtoriapgraho, his verbis: *Mariæ Nativitas fuit portentis & ſignis clarificata, quoniam ipſo die plus ſolito Sol refulxit in duplo, &c.* Inter tot miracula, hoc ſolum negabitur, quod SS. Virgo Maria in extaſim rapta naſceretur? Si perfectiſsimũ vſum rationis acceperat, quid decentiæ congruentius, quam ex-

Pelbart.

tra

tra ſe raptam intelligere, dum ex vtero materno tranſibat in lucem. Credimus certè, quod Authores vtriuſque Libelli non dicent, hujuſmodi Privilegium impoſsibile fore; deinde neque indecens: tenebuntur igitur præſtare rationem, quare non ſic de facto fuerit Virgini conceſſum, juxta regulam Magni Auguſtini, ſupra tranſcriptam num. 612. & 881. Nec deſunt DD. affirmantes, SS. Virginem eſſe natam in actuali Viſione Beatifica. Vid. Lizana, Serm. de Nativ. Virg. fol. 122. & 319. §. 3. & ap. ipſum Magiſt. Pintre, in Manuali Sacræ Scripturæ. *S. Auguſt.*

§. III.

REDARGVVNTVR AVTHORES vtriuſque Cenſuræ.

1160 DIcitis ſic, Sorbonici: *Hæ omnes Propoſitiones*, (ſcilicèt, relatæ ſub Articulo vltimo) *temerariæ ſunt, & contra Eccleſiaſticæ Regulæ Modeſtiam aſſertæ; pleraque fabulas & ſomnia apocryphorum redolent; & Religionem Catholicam, impiorum & hæreticorum contemptui exponunt.* Bone Deus! Quid in relatis Propoſitionibus dixit V. iſta Sanctimonialis? Quid aſſeruit? Etenim, vt vidimus, ſolum ſcripſit; Conceptionem Reginæ creaturarum, ejuſque corporis formationem ſeptem diebus, omnipotentis virtute fuiſſe concluſſam; perfectiſsimum vſum rationis à primo ſuæ Conceptionis inſtanti ab Altiſsimo recepiſſe. Ei fuiſſe deſtinatos mille Angelos in Cuſtodiam; infuſâ ſcientiâ fuiſſe repletam; humiles rediddiſſe gratiarum actiones; quantitate parvum corpus ejus, ſeptima die à prima Conceptione formatũ; cognoviſſe Angelos Cuſtodes; Ploraſſe culpam primorum parentum; ex tunc officium Mediatricis accepiſſe; Limbi Patribus nuntiatam Nativitatem ejus, quæ gaudium annuntiavit vniverſo mundo; Angelorum multitudine comitatam; in Templum Supremi Regis aſſumptam; Sanctiſsimum Mariæ nomen acceptũ à Deo; Angelum manſiſſe loco Mariæ; Angelos Cuſtodes his vel alijs emblematibus viſibiles apparuiſſe; potuiſſe loqui ex Divino Privilegio, ſilentiumque perfectiſsimum obſervaſſe; ante ætatẽ trium annorum exercitia humilitatis pertentaſſe, coadju- *Cenſur.* *Reſumpt. Prop.*

vantibuſque Angelis aliquando ea feciſſe; veſtes humiles & modeſtas appetiviſſe; Evæ fuiſſe ſimilem; in extaſim raptam, dum naſcebatur; Dœmonum conciliabula, &c Hæc & alia nonnulla his ſimilia retulit ſibi revelata, & dicitis, *Omnia hæc temeraria fore, contra Eccleſiaſticæ Regulæ modeſtiam aſſerta; fabulas fore, ſomniaque apocryphorum, &c.* Vidiſtis pro ſingulis propoſitionibus fundamenta, vt piè credibiles judicentur.

Redarg. 1161 Verum, quod mirabilius eſt, inter alias attuliſtis eã, qua dicitur, Sanctiſsimam Virginem perfectiſsimum vſum rationis à primo ſuę Conceptionis inſtanti recepiſſe. Dicite nobis, ſub qua Cenſura veſtra, hæc propoſitio continetur? Nùm falſa eſt, vel temeraria, vel contra Regulam modeſtiæ Eccleſiaſticæ; vel fabuloſa, vel ſomnia apocryphorum redolens; vel Religionem Catholicam, impiorum & hæreticorum contemptui exponens? Doctores Catholici, idem privilegium concedentes SS. Virgini, tantum malum dixerunt, & damnati non ſunt? Exiſtimamus certè quod nec falſum dixerunt, nec temerarium, nec contra Regulam Eccleſiaſticæ modeſtiæ, nec quid fabuloſum, nec ſomnum apocryphum, nec quod in ea Religionem Catholicam contemptui hæreticorum expoſuerunt. Vid. ſup. num. 228.

Ad Not. 1 1162 Ad Notas autem ſingulas devenientes, incipiamus à prima. Dicitis: *Omnes hæ propoſitiones falſæ ſunt.* Quomodo probabitis, quod falſæ ſunt? Nulla earum, vt vidimus, repugnat ex parte rei, nec expreſsè contrariatur ſcripto Dei Uerbo; deinde nec SS. PP. concordi teſtimonio; cum revera Doctores Sancti, vel nihil de talibus Propoſitionibus dixerunt, vel ſi aliquid dixerunt, potiùs eſt in favorem, quã in contrariũ: Non eſt igitur vnde falſitas in relatis propoſitionibus convincatur.

Al. Not. 1163 Alia inſuper Nota ſic eſt: *Hæ omnes Propoſitiones reſpectivè temerariæ ſunt.* Oſtendite, rogamus, in quo ſit temeritas? Si V. Author ſpiritu proprio loqueretur, & abſque Divino lumine, temeraria & pluſquam temeraria foret; dum autem ex obedientia refert, ſic ſibi fore revelatũ; & aliàs id ipſum quod revelatum aſſerit, ex nulla parte repugnat, ceditque in majorem Virginis gloriam, vbi temeritas? Minus à temeritate diſtare videtur, qui abſque fundamento negat fore revelatum, quod ex nullo capite revelatum fore repugnat, dum alias etiam credibile

le ſit teſtimonium de revelatione ſuſcepta ex parte ſubjecti. Credat vel non credat vnuſquiſque, & abundet ſuo ſenſu; dehoneſtare autem abſque fundamento V. Abbatiſſam, Sanctitatis opinione famoſam, hoc nec decet, nec licet.

1164 Qualificationis ordo proſequitur ſic: *Hæ omnes Propoſitiones reſpectivè contra Eccleſiaſticæ Regulæ modeſtiam ſunt aſſertæ.* Adverbium modificativum, *reſpectivè*, ab Authoribus Suppoſititiæ Cenſuræ ſuperadditum eſt: in Libello Deputatorum ſic non erat. Eccleſiaſtica, regula modeſtiæ, contra quam omnes vel nonnullæ Propoſitiones relatæ, ſunt aſſertæ, ignoramus vbi ſit. Aliam regulam Eccleſiaſticæ modeſtiæ haud novimus, niſi dicere verum, & decens, ex motivo laudabili; ſed U. Author ex motivo laudabili Obedientiæ, quidquid in Libris Myſticæ Civitatis Dei continetur, manifeſtavit, vt latiſsimè patet ex tribus ejuſdem Operis Introductionibus: non igitur contra Eccleſiaſticæ modeſtię regulam locuta eſt. *Cenſ.*

1165 Præterea, quidquid dixit V. Author in relatis Propoſitionibus, non repugnare comperimus, & in gloriam Virginis reffundi: Non ergo modeſtiæ regulas præterivit. Prima quippè Regula modeſtiæ in privatis Revelationibus propalandis, ea videtur, vt Obedientia duce manifeſtentur. Hæc patet ex pluribus ſignis, quæ tranſcripta reliquimus Concert. 4. ſuper Artic. 3. §. 8. & 9. ſingularitèr num. 255. vbi Eminentiſsimus Cardinalis Bona, lib. de diſcretione ſpirituum, loquens de ſignis Revelat. S. Thereſiæ Virginis, hoc ſignum inter alia deſignavit: *Suis Directoribus exactiſsimè obediebat*: Si igitur V. Author ex obedientia Directorum ſuorũ ſcripſit hæc, non vtique ſcripſit contra Eccleſiaſticæ regulæ modeſtiam. Præterea, examina rigidiſsima præceſſerunt, antequam revelationes hujuſmodi ederentur in lucem, vt alibi notavimus, dictaméque Epiſcopi Diœceſani ſequutum eſt, cujus Inſignis Approbatio in initijs eorundem librorum, juxta primam editionem Matritenſem, præfertur Operi. Poſtmodum & Proteſtatio requiſita, juxta Decreta SS. Papæ Vrbani VIII. & S Tribunalis Vniverſalis Inquiſitionis Romanæ 13. Martij 1625. 5. Junij 1631. Et 5. Julij 1634. anteponitur eiſdem libris; ſed ex his capitibus regulam Eccleſiaſticæ modeſtiæ noſcimus reſultare: non ergo aliquid prætermiſ- *Car. Bona* *Proteſt.*

miſſum eſt ex his, quæ ad Eccleſiaſticæ regulæ modeſtiam attinere videntur.

1166 Notæ proſequuntur: *Pleræque dictarum Propoſitionum fabulas, & ſomnia apocryphorum redolent.* Concionatores ad fabulas convertendos, vaticinavit Apoſtolus, luce divinâ, 2. ad Timoth. 4. v. 4. *Ad fabulas autem convertentur*, *id eſt*, (exponit Lyranus) *ad doctrinam humanitus confectam, & veritate carentem.* Angelicus autem Doctor exponit ſic: *Fabula eſt compoſita ex miris, in quibus deficit veritas, & talia homines habentes in auribus pruritum volunt audire.* Dicitis ergo, Propoſitiones relatas fore humanitus confectas, & veritate carere? Tot ſapientes, qui revelationes hujuſmodi legerunt & approbarunt; totque fideles, qui Myſticam Civitatem Dei legendo, vitia deteſtarunt, vitamque ſuam mutaverunt in melius, credendum eſt, omnes in auribus habuiſſe pruritum? Etenim de tot tantiſque viris prudentibus, & doctiſsimis Theologis, haud facilè fit credibile, (ſalva ſemper Eccleſiæ deciſione) omnes fuiſſe deceptos aurium pruritu. Demùm, Cenſura veſtra quoad hanc partem vagè procedit, cum determinatas Propoſitiones, fabulas, ſomniaque apocryphorum redolentes, non aſsignet; etenim, adverbio ſuperaddito, *reſpectivè*, quælibet ſigilatim liberatur, ex quo ad Certamen ſingulare clauditur janua.

Thimot. 4

Angel. D.

1167 Amplius Cenſura progreditur: *Hæ omnes Propoſitiones*, (aut ſub illud: *Pleræque*, legatur) *Religionem Catholicam, impiorum & hæreticorum contemptui exponunt.* Ab antiquo noverũt hæretici contemnere veritatem: haud igitur hæreticorum timore eſt veritas tacenda. Cœterum, nec impijs timendum, qui juſtos inſimul & juſtitiam perſecuti ſunt, & perſequentur: in fine tandem proclamabunt: *Ergo erravimus: hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperij; nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, &c.* Dictum Auguſtini potiùs ſequendum: *Minus intelligantur, minus placeant, vera tamen dicãtur & juſta.* Et lib. de libero arbitrio: *Si de veritate ſcandalum ſumitur, vtilius permittitur naſci ſcandalum, quam veritas relinquatur.* Ad idem expreſsius loquitur Fulgentius Petrell. tom. 1 q 22. art 1. vbi ait: *Non ſunt tacendæ Excellentiæ Reginæ Cœleſtis propter ſcandalum, quod ex eis accipiunt nonnulli; alias nec miſericordia* di-

S. Auguſt. lib. de Doctr. Chriſtiana.

Petrell.

divina prædicanda foret, quoniam ex ea peccatores occaſionẽ accipiunt ad peccandum. Conſonat Caniſsius, lib. 5. cap. 2. vbi refert: *Religionem falſam Mahometanorum ab apparitionibus falſis pendère*; ſed propter hoc Eccleſia Catholica non reprobat vniverſaliter viſiones & revelationes, quinimò examine diſcreto committit, Apoſtolicam regulam ſequendo: *Nolite omni ſpiritui credere, Prophetias nolite ſpernere. Omnia autem probate: Quod bonum eſt tenete*: Ergo, &c. *Caniſsius.* *1. Theſal. 5. v. 20.*

1168 Cœterum, Hæreſiarcha Melacton irridet cultum Sanctarum Imaginum, id aſſerens per errorem, adorationes Imaginum quas Catholici faciunt, ab Ethnicis idolatrijs non diſtingui; ſed propter hoc, ſivè metu hæreticorum, non prohibet Eccleſia Catholica adorationes Imaginum, & invocationes Sanctorum: Ergo, &c. Præterea, Apoſtolus ad Rom. 5. inquit: *Juſtificati ergo ex fide, &c.* ſed quamvis ex hoc aberrent hæretici, judicantes otioſa fore opera ad juſtificationem, non prohibet Eccleſia Sacrum Textum Apoſtoli: Non eſt ergo timendum hæreticis. Idem Apoſtolus, cap. 7. ejuſd. Epiſt. ad Rom. deffinit: *Peccatum non novi niſi per legem*, & ſtatim interrogat: *Lex peccatum eſt?* Et reſolvit: *Abſit.* Uideatur Angelicus Doctor in Expoſit. hujus Apoſtolicæ ſententiæ, lect. 2. vbi comprehendit, quidquid deſiderabile ad aſſumptum, id reſolvens, non eſſe relinquendam veritatem, vel notam vtilitatem, propter malitiæ vel ignorantiæ pericula; præterquam quod, non Cenſura veſtra, ò Sorbonici, ſed Eccleſiæ judicio dirigemur. *Rom. 5.* *Angel. D.*

1169 Coadjuvat Fulbertus, Serm. de Ort. Mariæ, vbi ait: *Sanè, ſi qui ſolicita mente, & inveſtigatione ſtudioſa perquirant, cur Sanctorum præcedentium memoria hujus præfatæ Virginis temporanea initia ſuis fidelibus ſequacibus enucleatim non exornaverũt, & ad omnium notitiam vulgaverunt? Noverint, non ignaros eos extitiſſe hæreſim, quæ pro inſigni, & admirando hujus Puellæ præconio exoritura erat: Et obid, ſi quid ex Ortu ejus protulerunt, ſagaci induſtria celandum æmulis & infidelibus decreverunt; ne inveniret cæca garrulitas perfidorum, vnde maternum ſignum Eccleſiæ verberaret.* Sed notum eſt, haud propter hoc motivum fuiſſe hactenus Deiparæ præconia, tùm in Conceptione, tùm in Nativitate, tùm in Aſſumptione Glorioſa Corpore & Anima, ſub ſilentio derelicta: Ergo, &c. Recolite memoriam conviciorum, quæ *Fulbertus*

dic-

dicta ſunt Defenſoribus Immaculatæ Conceptionis SS. Virginis Mariæ, & ex effectu comprobatur, non oportuiſſe tacère, nec deſiſtere propter metum adversãtiũ, neque propter ſcandalum hæreticorum. *Cęcutiunt hæretici in cognoſcenda perfectione* Canisſius. *Deiparæ*, vt inquit Caniſsius, lib. 1. fol. 51. Ferè non eſt veritas in Eccleſia, de qua non irriſerint hæretici: Num proptèr hoc celandæ ſunt veritates Eccleſiæ? Paulo prædicante de reſurrectione mortuorum: *Quidam quidem irridebant, quidam autem dixerunt: Audiemus te de hoc iterum*, & certè proptèr metum incredulorum non deſtitit Apoſtolus prædicare. Nec propter hoc, quæ ſcripta ſunt in Libris Myſticæ Civitatis Dei, veritatibus Eccleſiæ volumus comparare, ſed argumentum facimus, ſervatis ſervandis.

1170 Redeuntes ad principale, nulla ex relatis Propoſitionibus, ſub Articulo conſcriptis, inventa eſt repugnans, impoſsibilis, indecens, nec incredibilis: Si autem forsàn Privilegia Deiparæ in eis ſignata, magna judicantur, jam convicimus, ratione magnitudinis non indecère, cui majus conceſſum eſt in Divina Maternitate.

CONCERT. XXI.

SVPER CLAVSVLAM CONCLVSIvam vtriuſque Libelli.

1171 CLAVSULA vtriuſque Libelli concluſiva, ſic eſt: *Non intendentes alia multa* (Suppoſititia Cenſura: Cenſura. *Cæterum non intendit Sacra Facultas alia multa*) *quæ in dicto Libro continentur, approbare, & præcipuè ea loca, in quibus Sacræ Scripturæ teſtimonijs ad privatum ſenſum Author paſsim abutitur; nec ea, in quibus opiniones merè Scholaſticas à Deo revelatas aſſerit, & vt tales omnibus proponit. Dat. &c.* Occurrunt examinanda 1. An frequens vſus Scripturæ Sacræ non compatiatur cum revelationibus privatis. 2. Utrum revelabiles ſint opiniones Scholaſticę, & quid tunc de controverſijs? His peractis, allocutione pacifica cum Authoribus vtriuſque Cenſuræ, totius laboris noſtri fiet concluſio.

§. I.

§. I.

AN FREQVENS SCRIPTVRÆ SAcræ vſus indeceat Revelationes privatas; vtrumvè ſit ſignum in bonum?

1172 CIrca primam quæſiti partem, alijs inſpectis Revelationibus privatis, in quibus Scripturæ Sacræ frequentiſsimus eſt vſus, & alias Eccleſiæ permiſsione cum vberrimo animarum fructu leguntur à Fidelibus, dicere tenemur, haud indecère Revelationibus privatis vſus frequens Scripturæ Sacræ. Etenim in Revelationibus S. Hildegardis, (cujus vita multis miraculis decorata odorem ſuæ Sanctitatis in longinquas diſperſit regiones, & Eugenius III. in Concilio Trevirenſi, Sancto Bernardo præſente, ſcripta & opuſcula ejus coram omnibus lecta publicè, approbabit) paſsim inveniuntur Scripturæ Sacræ teſtimonia, & inter Opuſcula talium Revelationũ, illud eſt vnum, cui titulus: *Quæſtiones Monacho Gemblacenſi trãſmiſſæ*, vbi quamplura exponuntur Scripturæ Sacræ loca valdè difficilia; ſed Revelationes hæ permiſſæ ſunt, vt diximus: Ergo, &c. *S Hildelg.*

1173 Præterea, Divinæ Intelligentiæ S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, ſeptem libris, obedientia duce, conſcriptæ, & impreſſæ Neapoli anno 1666. innumerabilibus Scripturæ Sacræ locis ſunt refertæ, vt videri poſſunt; ſed hæ Revelationes privatę inter permiſſas ab Eccleſia computantur, & ingenti animarum fructu leguntur à Fidelibus abſque vlla contradictione: Ergo, &c.

1174 Ad rationem autem devenientes, etiamque ſecundam quæſiti partem reſolvendo, dicendum eſt, vſum frequentem Scripturæ Sacræ in privatis Revelationibus non fore ſignum in malum, ſed in bonum, vt videant qui oderunt Revelationes privatas, & confundantur, id mirantes, quod ſimplices fœminæ abſque ſtudio litterarum, & ſine libris ſcientiarum, (excepto Chriſto, qui vnicus eſt, extenſus in Cruce) ad talem & tantam *Reſol. 2. p.*

Di-

Divinę Sapientiæ pervenerunt intelligentiam, & quod *ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes.*

2.*Thimot.* *v.* 16. 1175 Verum & ratio præmit: Scriptura Sacra, Apoſtolo teſte, divinitus revelata, vtilis eſt ad docendum, & corripiendum; ſed ad id apprimè diriguntur Revelationes privatæ: in revelationibus igitur particularibus ſignum eſt in bonum, vſus frequens Scripturæ Sacræ.

1176 Cœterum, Revelationes publicæ & privatæ, poſito quod iſtæ veræ ſint, non diſtinguntur ſubſtantialitèr; quapropter privatæ Revelationes poſſunt in publicas tranſire, vt bene *Philamarinus.* notavit Philamarinus, tract. 1. ſect. 12. num 7. Non eſt igitur incompatibilitas, quod in revelationibus privatis vſus frequens inveniatur Scripturæ Sacræ, in qua publicæ revelationes continentur.

1177 Deinde arguitur vrgentiori ratione. Scriptura Sacra inſuperabilibus lumine naturæ difficultatibus abundat, & vna *S.Anſelm.* voce multa ſignificat, vt inquit S. Anſelmus Cantuarienſis, in Biblioth. Virginali, tom. 2. fol. 427. col. 1. ſub lit. D. Poteſt ergo Deus expoſitionem Sacri Textus revelare. Conſequentia liquet ex materia de Fide, ſivè ex materia Fidei, quæ eſt omne verum revelabile Hoc ipſum roboratur ex Angelico Doctore, de quo legit Eccleſia: *In difficultatibus locorum Sacræ Scripturæ, ad orationem jejunium adhibebat*; ideo certè, vt Deus mentem ſuam dignaretur illuminare: revelabiles ſunt igitur Scripturæ Sacræ ſenſus latentes: conſonum eſt ergo, revelationes privatas publicis admiſceri, modo relato.

Alia rat. 1178 Demùm, vſus frequens Scripturæ Sacræ in ſimplici fœmina ſpiritum arguit illuſtrantem, ſivè bonum, ſivè malum. Hoc patet, nam quod ex natura non eſt, præter naturam advenit: vſus ergo Scripturæ Sacræ in Idiota muliere ſpiritum arguit, ſivè illudentem, ſivè verè illuminantem: non eſt igitur incompatibilis privata revelatio cum vſu frequenti Scripturæ Sacræ; imò dicam, frequentem vſum Sacræ Scripturæ in ſimplici Moniali privatam revelationem arguere, ſivè bonam, ſivè malam; ſed alias in Venerabili Abbatiſſa omnia ſigna cooperantur in bonum, vt oſtendimus Concertatione 4. §. 8. & 9. vſus ergo frequens Scripturæ Sacræ in Venerabili Abbatiſſa potius eſt ſignum in bonum.

Dixiſ-

1179 Dixiſtis, ò Sorbonici, quod *Scriptura Sacra teſtimonijs ad privatum ſenſum Author paſsim abutitur*. Si paſsim inveniſtis errorem, & Scripturæ Sacræ locum ad privatum ſenſum expoſitum, ſivè detortum: cur ex tot erroribus, paſsim inventis, non ſignaſtis ſaltem vnum, vt circa ipſum inire poſſemus ſingulare Certamē? Id inter alia notarūt Viri Doctiſsimi in Libris Myſticæ Civitatis Dei, quod vſus Scripturæ Sacræ fideliſsimus eſt, vtiliſsimus, & abundans. Circa quod dixit Illuſtriſsimus Eſcartin, Turiaſonenſis Epiſcopus, & V. Abbatiſſæ Diœceſanus, in percelebri horum Librorum Approbatione: *En la quarta ſeñal, de que eſta Obra concuerda con la Eſcritura Sagrada, tambien es la mayor prueba ella miſma, tan abundante, y llena de la miſma Eſcritura, que apenas ay linea, donde no ſe halle lugar de el Sagrado Texto, haziendo de ellos lenguage vſual, con admirable contextura. Tampoco eſte eſtilo es del Demonio, enemigo de la Divina verdad, à quien nos enſeñò à vencer el Divino Maeſtro con la Eſcritura miſma:* Scriptum eſt, &c. *Si alguna vez dixo el Demonio alguna, ſe trasluze en la miſma locucion el intento de introduzir algun error, de lo qual eſtàn muy lexos eſtos Eſcritos.* Teſtimonium perhibet, qui vidit & communicavit V. Abbatiſſam, ejuſque mirabilem ſpiritum expertus eſt, miraculaque ſtupenda ipſius V. Authoris, fidedignis teſtibus comprobavit, vt videre eſt in Authentico Proceſſu, Authoritate Apoſtolica formato, *Ne pereant teſtimonia, &c.* *Redarg.* *Eſcartin.*

§. II.

VTRVM REVELABILES SINT OPINIONES Scholaſticæ; & caſu quo ex lumine privato revelatæ proponantur ex vna parte Controverſiæ, adhuc quæſtio ex vtraque probabilis remaneat, & controvertibilis ſicut antea?

1180 EXtulleruut vocem nonnulli, dicentes, in Libris Myſticæ Civitatis Dei omnia revelari juxta mentem Subtiliſsimi Doctoris Scoti. Hos compulit tacère, & de falſitate convicit Illuſtriſsimus Sanz de Villaragut, Epiſcopus *Illuſtriſ. Villarag.*

Gaetanus, deinde Puteolanus, nunc autem de Cefalù, in erudi-tiſsimo tractatu, cui titulus: *Satisfacion à los Reparos , &c.* vbi palmarem efficit demonſtrationem, oſtendens, in relatis Libris multo plures eſſe ſententias ad Scholam Thomiſtam pertinentes, quam ad Scoticam. Idipſum demonſtratum eſt theſibus publi-cis, de quibus ſupra num. 314. quibus ex faciali Theorematum comparatione videtur, V. Abbatiſſam in vniverſa Theologia, nec Thomiſtam fore, nec Scotiſtam, ſed ſequi ſpetialem doctri-nam. Hoc ſic.

1181 Haud negamus, V. Authorem nonnullas proponere Sholaſticas opiniones, vt à Deo revelatas: quapropter quæſtionē excitavimus in §. ſitam; vtrum, ſcilicèt, revelabiles ſint opi-niones Scholaſticæ; & caſu quo ex lumine privato revelatæ pro-ponantur ex vna parte controverſiæ, adhuc quæſtio probabilis remaneat pro vtraque parte, & controvertibilis ſicut antea?

Quæſt. prop.

1182 Circa primam quæſiti partem, communis eſt affirma-tiva reſolutio, tùm Authoritate Doctoris Angelici 3. part. q. 57. art. 6. ad 3. vel Expoſitoris Cajetani, ibi: *Poteſt autem contin-gere, quod ex duabus opinionibus probabilibus, ea , quæ minus pro-babilis eſt, vera ſit, & alicui perſonæ ſpirituali revelata: nam vt di-cit Ariſtoteles, multa falſa ſunt probabiliora veris.* Secundo, quo-niam in revelationibus privatis ab Eccleſia permiſsis, quamplu-res inveniuntur Scholaſticæ opiniones, quæ inibi vt revelatæ proponuntur. Etenim in octo Libris Divinarum revelationum S. Birgittæ nonnullas reperies; frequentiores autem, in ſeptem Libris Divinarum Intelligentiarum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis; aliquas, in Revelationibus S. Hildegardis, & S. Catha-rinæ Senenſis, ex quibus omnibus elegimus ſubſequentes.

Angel. D.

1183 S. Birgitta, tom. 1. lib. 1. cap. 8. circa finem: *Bene-dictus ſis tu Deus, qui Mariam Virginem Matrem tuam poſt Aſcen-ſionem tuam, crebris conſolationibus lætificaſti, & per te ipſum eam conſolando viſitaſti.* Ecce revelatos deſcenſus perſonales Chriſti Domini poſt Aſcenſionem ſuam, quod à pluribus negatur.

S. Birgitt.

1184 Eodem lib. 1. cap. 26. *Sed nunc, ò tu Sponſa mea, prop-ter quam hæc fiunt, potes quærere: Quomodo de primis Parentibus Filij naſcerentur, ſi non peccaſſent? Reſpondeo tibi. Certè ex Divina Charitate & commixtione ſexus, &c.* Ibique proſequitur, vt vi-deri poteſt.

Ibid.

Et

1185 Et lib. 2. cap. 1. num. 2. *Potes quærere à me, quare non ſubtraho malos, antequam venerint in profundum peccati? Ad quod ego perſonalitèr reſpondeo tibi, &c.* *Lib.* 2.

1186 Eodem lib. 2. cap. 25. ſub num. 3. *Nunc potes quære-re; quæ eſt Divina Sapientia? Multi enim ſunt ſimplices, &c.* Ibi reſolvitur.

1187 Et lib. 3. cap. 26. paulò poſt init: *Nunc autem quære-re poteris: Si tres perſonæ, quare non tres Dij? Reſpondeo tibi, &c.* *Lib.* 3.

1188 Et eodem lib. 3. cap. 26. ſub num. 4. *Nunc autem cũ ita ſim miſericors, quærere poteris, cur non miſereor Gentilibus & & Judæis, quorum aliqui, ſi erudirentur fide recta, libentèr pro Deo morerentur? Reſpondeo tibi, &c.*

1189 Lib. 5. quæſtionum & interrogationum, fol. 575. col. 1. ait Dominus: *Ego quippè benè potuiſſem aliam formam aſſump-ſiſſe; ſed non fuiſſet juſtitia in Deo, niſi vt forma daretur pro forma, natura pro natura, modus ſatisfactionis ſecundum modũ culpæ, &c.* *Lib.* 5.

1190 Ibidem, circa finem columnæ: *Quomodo Deitas mea omnia concludit in ſe? Reſpondeo, &c.*

1191 Ibid. *Cur tanto tempore in Ventre Virgineo jacuiſti? Reſ-pondeo: Ego ſum omnis naturæ conditor, &c.* Cur non tantę mag-nitudinis *fui ſtatim tempore nativitatis meæ, ſicut in anno trigeſimo? Reſpondeo, &c. Plenitudine ſapientiæ tantus eram in principio Na-tivitatis, ſicut in fine, &c.* *Ibid.*

1192 Eodem lib. 5. fol. 611. col. 2. init: *Cur ego Filius Dei ignorare me dixi horam Judicij? Reſpondeo, &c.* Ibi explicatur. *Lib.* 5.

1193 Et fol. 612. col. 2. circa finem: *Cur tanto tempore diſ-tuli Incarnari? Reſpondeo. Verè neceſſaria fuit Incarnatio mea, per quam ſoluta eſt maledictio, & omnia purificata ſunt in Cælis, & in terris. Sed tamen neceſſarium fuit, vt homo prius erudiretur lege na-turali; deinde lege ſcripta, &c.*

1194 Et tom. 2. lib. 7. cap. 4. *Quærere poteris, cum loqui-tur ſcriptura: vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum, quomodo ergo eſt cor meum cum theſauro iſto, ſcilicèt cum Reliquijs Sanctorum? Reſpondeo tibi, &c.* Ibidem revelatum fuit Myſterium Immacula-tæ Conceptionis Reginæ Cœli, tempore quo in Scholis in al-tiſsimo puncto controvertebatur *Lib.* 7.

1195 S. Maria Magdalena de Pazzis, lib 3. Divinarum In-telligentiarum, cap. 7. init: *Omnes ſitientes me, venite ad me. Qui* *S. Magd. de Pazzis*

ſons eſt iſte, ò Verbum? Anima? Etiam. Et quænam eſt aqua hæc? Gratia? Ita. Ab anima igitur egredietur gratia? At non eſt gratia donum ſupernaturale? Certè ita: Quomodo ergo egredi poterit ab illa, res major illa? Non poteſt eſſe talis perfectionis creatura, vt ſit illi connaturalis, &c. Solve pro tua bonitate nodum hunc. Nec enim Angelis connaturalis eſt gratia, &c. Ibi proſequitur terminis Scholaſticis propriſsimis, & rationibus Theologicis.

Eod. lib. 1196 Et cap. 12. ejuſd lib. fol. 53. col. 2. init: *Mea natura* (ait Dominus) *quamvis vt actus puriſsimus abſque potentia mixtione, ſola Perſonarum diſtinctione, ſimpliciſsima ſit, nihilominus in meo ſimpliciſsimo eſſe, priuſquam intellectum cognoſcas, & poſita voluntatem, ſecundum tuum modum intelligendi, &c.* Legatur ibi ſpecioſiſsima Theologia.

1197 Et cap. 15. ejuſd. libri, fol. 56. col. 2. circa med. *Decrevimus conceptum jam hominem creare ad noſtram imaginem & ſimilitudinem, cum expreſſo Decreto ſemel naturæ noſtræ, Verbi Perſona mediante, vniendi, ad remedium quidem peccati, principalitèr vero ad gloriam & exaltationem naturæ humanæ, & noſtræ bonitatis, quæ hoc opere, modo perfectiori poſsibili, &c.*

Eod. lib. 1198 Et cap. 18. fol. 60. col. 1. init: *Plura inſuper dona creaturæ collata fuere; primo vt meę Deitati vniretur, & ita propter Incarnati Verbi mei merita, digna mea viſione, in qua omnis beatitudo conſiſtit, redderetur.* Et paulò poſt: *Itaque humanitas veſtra per communicationem idiomatum vna ex Perſonis Trinitatis effecta eſt.*

1199 Et eodem cap. fol. 61. col. 1. à lin. 13. *Et quamvis Adam non peccaſſet, in Paradyſum vos adduxiſſem, & verbum etiã Incarnatum fuiſſet;* ibique proſequitur, quamplura de Myſterio Incarnationis, & quomodo fieret Incarnatio & gloria Chriſti, & noſtra, Adamo non peccante. Et col. 2. reſolvit, quod creatura non poteſt creare. Et cap. 19. fol. 62. col. 1. med. *Nullus eſt qui poſsit abſolutæ voluntati Divinæ reſiſtere, creaturam tamen non cogit, quia liberam creavit, &c.*

Eod. lib. 3. 1200 Et cap. 27. fol. 71. col. 1. circa finem: *Adeò in terra ab æterno Patre hæc humanitas Verbi exaltatur, vt in ſe quaſi eſſe Divinitatis aſſumat, & in illa cunctarum creaturarum eſſe intueatur. Poſsibilium? Minimè; nec tanta claritate, quanta Divinitas: hoc enim comprehendere eſſet, ſed exiſtentium: eh, ò quanta claritate! O profunda & admirabilis Verbi mei humanitas! &c.* Et cap. 31.

col.

col. 2. circa finem, agit de Viſione creaturarum à Beatis. Et cap. 32. fol. 77. col. 1. fin. agit, ſi gloria Sanctorum poteſt augeri vel minui. Et cap 33. fol. 80. col. 2. circa med. de neceſsitate Incarnationis.

1201 Lib 4. cap. 3. fol 85. col. 1. in fin. de voluntate antecedenti & conſequenti in Deo pertractat, & de Divina ſcientia circa actus liberos creaturæ. Cap 4. fol. 86. col 1 circa med. cur proceſsio Verbi ſit generatio? Et col. 2. de prioritate & poſterioritate originis, & de Divinis Ideis, iterūque de decreto Incarnationis. Cap. 5. fol 88. col. 1 paulòpoſt medium loquitur de præcepto Patris, & obediendi voluntate in Filio. Et cap. 7. fol. 91. col. 1. med. iterum loquitur de acceptatione mortis in Chriſto. Cap. 10. fol. *96* in fine, agit de caſu Luciferi, & Angelorum, propter excedentem ipſorum amorem, & propter inordinatam excellentiæ, Deo non relatæ, complacentiam; & de tenacitate naturæ Angelicæ. Et fol. 97. col. 2. init. de primario motivo Incarnationis. Cap. 11. fol *99* col. 1. med. de convenientia & neceſsitate Incarnationis. Et fol 100. col. 1. de cōſtitutivo Beatitudinis Cap. 24. ejuſdem lib. 4. fol. 14 col. 2 de vnitate & ſimplicitate Divina, terminis Scholaſticis. Et cap 29. fol. 121. col. 2. iterum de primario motivo Incarnationis. Cap. 34. fol. 138. col. 1. paulòpoſt medium de objecto ſecundario Beatitudinis: Et lib. 7. cap. 29. fol. 300. col. 2. in fine, agitur etiā de eodem objecto ſecundario. Cap. 34. ejuſdem libri 4. fol. 141. col. 1. med. de Scientia Divina, & intelligere ſine diſtinctione explicatur puriſsimis terminis Scholaſticis, & Theologicis. *Lib. 6.*

1202 Lib. 5. cap. 2. fol. 145. col. 1. init: Identitas inter animam & potentias, & plura de Trinitate, terminis Scholaſticis Cap. 6 fol. 152. col. 1. med. Quomodo voluntas noſtra ſe determinat? Et cap 7. fol. 153. col. 1. in fine: Fides contraria evidentiæ. Et cap. 14. fol. 162. col. 2. init: Vnica anima tribus potentijs. *Lib. 5.*

1203 Lib. 6. cap. 18. col. 2. med. de baptiſmo, & ablatione peccati Originalis, & quomodo in adultis etiam deleantur actualia. Et fol. 224. col. 2. med. Beatus non comprehendit Deū. Et cap 19. fol. 226. col. 1. poſt. med. Explicatur genus Viſionis abſt. activæ per ſpeciem, quæ intuitiva non eſt: Videatur ſi per ſpeciem propriam. Cap. 20. fol. 231. col. 1. poſt med. de *Lib. 6.*

objec-

objecto Fidei. Et cap 27. fol. 241. col. 1. explicantur Divina Attributa, terminis Scholaſticis. Et col. 2. init: De creatione rerum in tempore, & quod finitum nequit plene infinitum intelligere, &c. terminis Scholaſticis. Cap. 29. fol. 243. col. 1. Duplex motivum Incarnationis. Et fol. 245. col. 1. Prima gratia mereri non poteſt. Ponitur concluſio, & prob. Et fol. 250. col. 1. Incarnatio ſolùm ex ſuppoſitione decreti. Et col 2. terminis Scholaſticis explicatur Trinitas, Attributa, & Incarnatio, ita vt vnio hypoſtatica ſolum terminaretur ad Verbum.

Lib. 7. 1204 Lib. 7. cap. 5. fol. 259. col. 1. circa fin. Decreta conditionata, ibi: *Veſtris bonis conſilijs & exemplis, ferventibus orationibus ad me directis pro aliquibus animabus, ſine quarum auxilio, poſito meo decreto, de illis non niſi medio illo, ſalvandis, periſſent, &c.* Videatur ſi eſt conditionatum Decretum.

Ibid. 1205 Eodem lib. 7. cap. 6. fol. 262. col. 1. in fin. & deinceps de ſatisfactione Chriſti; quomodo fuerit ſuperabundans; & an poſſibilis à pura creatura. Et fol. 264 eod. cap. col. 1. init: Verbum incarnaretur, Adamo non peccante. Et cap. 7. fol. 265. col. 1. circa fin: Ipſum Verbum, vtpotè quia incarnari debuerat, fuit finis hujus creationis, & communicationis creaturis: *Scias etenim Filia, quod primum quod reſpexi poſt gloriam meam, ad quam, tanquam ad primum finem, omnia à me diriguntur, fuit gloria, quam dare volui Verbo meo, &c.* Ibi etiam ponitur ordo decretorum, & actus liber Divinæ voluntatis.

Eod. lib. 1206 Cap. 13 fol. 273. col. 1. in fine. De poteſtate Chriſti quoad humanitatem. Cap. 14. fol. 275 col. 2. De incompatibilitate fidei cum evidentia. Cap. 20. fol. 283. col. 1. in fine. De neceſsitate & convenientia Incarnationis. Et col. 2. de Beatitudinis objecto, terminis Scholaſticis. Cap. 20. fol. 285. col 1. init: De Deo Vno, & Trino. Cap 27. fol. 295. col. 2. De Satisfactione Chriſti, & quomodo impoſsibilis puræ creaturæ. Cap 29. fol 299. col. 2. circa finem: De valore meritorum Chriſti, terminis Scholaſticis. Et fol. 300. col. 2. med. De conſtitutivo Beatitudinis: & in fine, de objecto ſecundario ejuſdem. Item de libera acceptatione præcepti in Chriſto. Cap. 31. fol. 304. quod Lucifer appetivit vnionem hypoſtaticam. Cap. 32. fol. 307. col. 2. termini Scholaſtici de Contritione, & Sacramẽto Pœnitentiæ. Cap. 35. col. 2. init: Præceptum moriendi in Chriſto. Cap. 40. col. 1. De motu locali Beatorum, & quomodo

do in inſtanti? Omittimus alia quamplura, terminis Scholaſticis puriſsimis pertractata; quoniam reverà hujuſmodi revelationes, ſivè Divinæ Intelligentiæ, accumine ſubtiliſsimo conſcriptæ videntur, & hìc liquido manifeſtatur, quod Verbum Dei non eſt alligatum. Præterea, inter alia fert, quod etiam Euchariſtiæ Sacramentum fuiſſet inſtitutum à Chriſto Domino, caſu quo, Adamo non peccante, Verbum aſſumpſiſſet carnem humanam.

1207 S. Catharina Senenſis, in Dialogis, juxta editionem Matritenſem, anno 1668. tract. 1. cap. 3. pag. 5. col. 1. De ſatisfactione creaturæ per contritionem, terminis Scholaſticis. Cap. 6. par. 12. col. 1. Finis peccantis, ipſe peccator. & col. 2. negat actus indifferentes. Cap. 11. pag. 26. col. 1. de eodem. Cap. 13. pag. 28. col. 1. de eodem. Cap. 14. pag. 36. col. 2. med. Quod pura creatura nequivit ſatisfacere pro peccato. Cap. 7. pag. 17. col. 1. Vna virtus non poteſt eſſe ſine alia. Et col. 2. de motivo Incarnationis. Cap. 12. pag. 30. col. 1. de eodem. Item cap. 14. pag. 36. col. 1. de eodem. Et pag. 37. col. 1. in fin. de eodem. Et fol. 38. col. 2. de perfecta libertate creaturæ, vt reſiſtere valeat tentationibus. Cap. 15. pag. 40. col. 2. Ignis inferni materialitèr affligit, & quomodo. Et cap. 18. pag. 44. col. 1. Peccatum nihil. Cap. 32. pag. 71. col. 1. Gravitas peccati contra naturam. Cap. 38. pag. 81. col. 1. Immaterialitas animæ rationalis. Cap. 44. pag. 95. col. 1. init: Appetitus naturalis animæ ad bonum. Tract. 2. cap. 18. pag. 181. col. 2. Viſio Pauli, dum raptus ad tertium Cœlum, qualis fuerit. Tract. 3. cap. 8. pag. 211. col. 1. Actus exterior non addit malitiam diſtinctam. Tract. 4. cap. 1. fol. 352. col. 1. Quod ſatiſfactio Chriſti eſt infinita, & quomodo. Cœterum, & revelationes ſibi factas in Gloriam Angelici Magiſtri, vid. tract. 3. cap. 10. pag. 219. col. 1. init. Et cap. 33. pag. 272. col. 1. Et in gloriâ ſui Ordinis, tract. 2. cap. 20. pag. 185. col. 2. circa med. Et in laudem ſui Confeſſoris, tract. 3. cap. 23. pag. 248. col. 1. in fin. *S. Cathar. Senenſ.*

1208 Præterea, in Revelationibus S. Hildegardis, in Bibliotheca noviſsima Veterum Patrum, impreſsis Lugduni, anno 1677. à fol. 535. inveniuntur paſsim opiniones Scholaſticæ revelatæ, & quæſtiones Scholaſticæ, quæ aliàs inter Doctores controvertuntur, tùm de Theologia Scholaſtica, tùm de Expoſi- *S. Hildeg.*

ſitiva. Fol. 584. interrogat: *Quomodo intelligendum eſt quod legitur Eccl.* 18. Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul: *Cum per ſex dies opera ſua Deus diſtribuiſſe referatur Geneſ.* 1. Fol. 185. interrogat: *Qualia corpora habuerunt Angeli, qui apparuerunt Abrahæ?* Fol. 586. col. 1. *Quare in Spelunca duplici, quam emit Abraham à Filijs Seth, Sancti Patriarchæ ſepeliri voluerunt?* Fol. 588. *Quid eſt quod Paulus dicit, ſe in Paradyſum, & vſque in tertium Cœlum raptum, vtrum è corpore cum anima ejus ad iſta raperetur?* Fol. 589 col. 2. *Vtrum ignis gehennæ, corporeus ſit, an incorporeus?* Quæ omnia & alia permulta ex revelatione privata reſolvit, vt citatis in locis videri poteſt. Alia revelatio S. Hildegardis de objecto opinabili videnda proponitur, apud Nieremberg, tom. 3. lib. 1. de Natura, cap. 29. fol. 274. col. 4. in fine.

1209 Ex his omnibus, Cenſoribus notum fiet, haud ſolum in Libris Myſticæ Civitatis Dei, Opiniones Scholaſticas, tanquã à Deo revelatas proponi. Nec ſolum dictas, quin & alias multas omiſimus, brevitatis cauſa, quas ex eiſdem libris potuimus extrahere.

Reſolut. 2. part. 1210 Circa ſecundam quæſiti partem, vtrum, ſcilicèt, opiniones Scholaſticæ, quæ ex lumine privato revelatæ proponuntur ex vna parte controverſiæ, probabiles ex vtraque remaneãt, & controvertibiles ſicut antea? Pars affirmativa, tanquam communitèr à Doctoribus recepta, tenenda eſt. Ratio potiſsima videri poteſt ſup. num. 380. per totamque Concert. 5. idipſum reſolvitur, multiſque probatur & confirmatur. Aliud quippè eſt privata revelatio in anima recipienti divinam lucem, & aliud in cœteris, quibus notificatur, revelationem eſſe factam. Anima quidem revelationem patiens tenetur credere; alij autem non tenentur credere, niſi ex ſola pietate; quapropter licèt evaquetur opinio in anima recipiente Divinam revelationem, in alijs autẽ ſemper punctum manet opinabile, vt latè probavimus Concert. 5. §. 3 per tot. *Sup. Concert 5.* Ex hoc ſequitur, quod licèt Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis revelatum ſit lumine privato, primarium & principalius Incarnationis motivum non fuiſſe remedium peccati, ſed excellentiam myſterij, & quod Verbum incarnaretur Adamo non peccante, ex vi primi decreti; non propter hoc evaquata eſt Scholarum controverſia ſuper eodem puncto, nec

va-

vale dicitur opinioni contrariæ, ſed quilibet opinatur nunc ſicut antea. Non eſt nobis certum, ſed ſolum probabile, quod talis revelatio ſit facta, ſicut dicitur: Cum igitur non alia certitudine teneatur objectum revelatum, ac exiſtentia revelationis, dum exiſtentia revelationis ſolum eſt nobis probabilis, inde eſt quod reſpectu noſtri objectum revelatum non extrahitur à linea meræ probabilitatis: totum ergo manet opinabile, ſcilicèt, & revelatio, & objectum revelatum: manet igitur hoc controvertibile ſicut antea. Hæc eſt ratio principalis. Præterea, & ipſa V. Author 1. part nu. 78 expreſsè tenet, opiniones Doctorum, controverſiaſque Scholaſticas juxta Divinum fore Altiſsimi beneplacitum; de quo etiam ſupra num. 381. *Myſt. Civ. Dei.*

§. III.

ALLOCVTIO PACIFICA CVM AVTHORIBUS vtriuſque Cenſuræ, hujuſque Operis cōcluſio.

1211 CUm hactenus pacificè locutus ſim vobis, ò Sorbonici, in finem vſque totius Operis noſtri, pacificè loquar ad vos. Scriptum eſt: *Reſponſio mollis frangit iram*: Nec iratos vos dicam, quin potiùs zelandæ veritatis cupidos, & ferventes. Zelus autem quærendi veritatem parit diſcordiam, vt notavit S. Auguſtinus, lib. 10. Confeſ. apud Albertum Magnum, cap. 96. in Bibliotheca Virginali, tom. 1. fol. 353. col. 1. ſub lit. B. *Cur veritas parit odium? Niſi quia ſic amatur veritas, vt quicunque aliquid amant, illud volunt eſſe veritatem, quia falli nolunt, &c.* *Prov. 15. v. 1.* *S. Auguſt.*

1212 Vidiſtis enim, omnem difficultatem veſtram, (non meo, ſed Doctiorum judicio) SS. PP. ſententijs, aliarumque privatarum revelationum teſtimonijs fore devictam, nihilque à vobis objectum vſque ad evidentiam conviciſſe. Haud defuerūt nobis ad quamlibet propoſitionem defenſandam ſolidæ authoritates; ſuperaverunt nonnullæ, quæ manus noſtras effugerunt in tempore oportuno: eas libentèr nunc relinquimus, Magni Cardinalis Hugonis ſequentes ſententiam, dicentem ſic: *Hæc debet eſſe clementia meſſorum, id eſt Doctorum, vt nullum probi-* *Hug. Card. in Deuter. 24. n. 19.*

beat colligere ſpicas. Vnde Deuter. 24. Quando meſſueris ſegetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, id eſt, quando expoſſueris ſententias, & aliquam dimiſeris, non reverteris vt tollas illam, &c.

1213 Cœterum, quanquam ex nuda littera textus ejuſdem Libri Myſticæ Civitatis Dei, quem judicaſtis, antecedentibus & conſequentibus debitè perpenſis, pièque intellectis, evanuiſſent vt implurimum Cenſuræ veſtræ, reſpondère tamen non omittimus, ne veritas oprimeretur, orbata defenſione, vt ait B. Innocentius, diſt. 83. *Veritas, cum non defenditur, oprimitur: Negligere quippè, cum poſsis deturbare contrarios, nihil eſt aliud quam fovere, &c.* Dignum ergo fuit, veſtris reſpondere Cenſuris. Nec ſic facilè videtur objectiones ſolvere, quæcunque ſint, ſicut interrogationes & objectiones adaptare, ſicut bene notavit Origenes, Homil. 18. in Luc. *Aliud eſt enim interrogare, & aliud reſpondere. Interrogabat Magiſtros Jesvs, & quia reſpondere non poterant, ipſe his de quibus interrogaverat reſpōdebat: ſtupebant autē omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus, &c.*

B. Innocēt

Orig. Homil. 18. in Luc. c. 2. v. 46.

1214 Nunc autem, quoniam *ſapientum eſt mutare conſilium*, cognita veritate, quam teſte Auguſtino deſiderat anima rationalis: *Et quid deſiderat anima niſi veritatem?* Speramus de vobis, vt ex contrarijs, teſtes efficiamini veritatis, vt dicere poſsimus cum S. Cyrillo Hieroſolymitano: *Ego vero eum, qui antea fuerat hoſtis, teſtem ſtatuo; & miratus ſum certè, Sancti Spiritus diſpenſationem, &c.* Cauſa Virginis eſt, & Chriſtianus non eſt bene, qui non eſt Marianus; neque habebit Deum Patrem, qui Mariam non elegerit in Matrem, ajebat V. Vvichmanus in Bibliotheca Virginali, tom. 3. fol. 441. col. 2. ſub lit. D. *Hoc votum meum in honorem tuum, ò Sanctiſsima, ad omnes emiſſum, quos opto mecū dicere:* Hujus ero vivus, mortuus hujus ero: *Neque enim habebit Deum Patrem, qui te non elegerit in Matrem; quia nemo benè Chriſtianus, qui non idem Marianus. Tuus ergo eſſe deſidero, ò Maria, &c.* Defenſiones Sacratiſsimæ Virginis invenientur in ipſa, de qua dictum eſt: *Mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Et Alanus de Rupe in eadem Bibliotheca Virginali, to. 3. fol. 566. col. 1. ſub lit. D. *Innumera defenſionis præſidia, quibus Virginis vallatur humilitas, & defenditur, hoc eſt omnis armatura fortium, id eſt, patientium, qui fortes ſunt contra inſultus tribulationū.*

S. Auguſt.

S. Cyrillus

Vvichmās

Alan. de Rupe.

Deus

1215 Deus ſolus digne Mariam laudare poteſt, cujus abdita Sacramenta, nulla creatura rationalis reſerare valet, vt eleganti & devotiſsimo calamo fert Alanus Varenſis, his verbis: *Talem & tantum portentum, & immenſum prope Sacramentum veneraris, ò Virgo Sacroſancta, & admirabilis Parens, enixa puerpera Regem, Virgo Deigenitrix, admirabile & ſupra modum ſtupendum Sacramentum; profundum & impenetrabile Divinitatis arcanum, incomparabilis Virgo, & tanta in te peracta ſunt myſteria, tàm recondita, & abſtruſſa Sacramenta, vt omnibus propterea excelſior, & ſupra quam dici poteſt, in admiranda ſis ſublimata faſtigia. Nec enim laudum tuarum vllus poteſt eſſe finis, ejus quidem quam non ſatis laudare poſſunt Angelici Spiritus, nec vlla rationalis creatura; tantum hoc Divinitati reſervatum, tantum hoc Vnigeniti Filij tui ſingulare munus. Laudat te vt Filiam Pater; vt Matrem, Verbũ; vt Sponſam, Spiritus Sanctus; vt Reginam, Angeli, &c. Quid plura? Immenſa quoquo pacto es, immenſitatem Filij continens: Infinita prope es, ejuſdem Filij mira receptrix infinitatis,*

Alan. Varenſ in Bibliot. Virg tom. 3. fol. 525. col. 1

1216 Diſcurſus hominis tenuiſsimus eſt. Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit, & vniverſa opera ejus mirari poſſunt, inveſtigari non poſſunt. *Cuncta res difficiles* (ait Salomon, Eccl. 1.) *non poteſt eas homo explicare ſermone.* Qualitèr ex vno parvo grano ingens arborum ſilva oriatur; qualitèr ex Adam & Evæ ſemine, humani generis maſſa producta ſit? Quis explicabit naturam Cyniphis de terra? Vnde alarum extenſio, & pedum de ambulatio? Vnde ocelli, & forma Capitis? Vnde efigies Corporis? Vnde aculeus tam ſubtiliſsimus, vt ab oculis interdum evaneſcat? Ita concavus & perforatus, vt exhauſtus ſanguine breviſſimi corpuſculum animantis impleat? Si autem inquiſitione cyniphis ſuccumbit tua ratiocinatio, ò homo, erubeſce altiora te quærere, & fortiora te inveſtigare. Nam ſi te ipſum, & brevem abyſſum animi tui non colligis; in infinitatem Majeſtatis qualitèr aſcendis? Qui neſcit vſque ad primum limitem numerare, quomodo poterit de arithmetica judicare? Qui neſcit, quid ſit punctum, aut linea, erit ne perfectus in Geometra? Qui neſcit ſonum edere, muſicam ne poterit docere? An erit peritus Aſtronomus, neſciens quid ſit motus? Ita, qui ſe ignorat, alta Dei nõ penetrat. Sic arguebat V. Amadeus Lauſanenſis, homilia 4 de

Eccleſ. 1.

Amadeus Lauſanẽſ.

Partu Uirginis, in Bibliotheca Virginali, tom. I. fol. 138. col. I. ſub litt. A.

S.Cyprian 1217 Hinc S. Cyprianus, diſſolutionem omnem ex inſipientia pendère demonſtrat. Hinc ſimilitèr S. Antoninus de Florentia, Doctores Sacros non ſatiari in laudibus Virginis affirmat.
S. Antonin. Uerba ejus ſunt hæc: *Sancti quoque Doctores Eccleſiæ ſtupentes ſatiari non valent, collaudare, benedicere, & prædicare hanc Virginem Glorioſiſsimam, quæ, Virginitatis gloria permanente, huic mundo lumen æternum effudit,* Jeſum Chriſtum *Dominum noſtrum.* Hinc
Daniel Agric. Inſignis Daniel Agricola, Aquilas, non Talpas, vult eſſe Doctores, vt terrena deſpicientes, eleventur vt Aquilæ vſque ad rotam Solis, in qua poſſuit Deus Tabernaculum ſuum. Hinc Eru-
Cancellot. ditus Cancellotus, ad Doctores Sacros aſſerit pertinere defenſionem Deiparæ. Hinc Melifluus Doctor Mariam appellavit:
S.Bernar. *Sæculorum omnium negotium.* Benedicentes Sacratiſsimam Virginem Mariam, benedicentur à Domino, juxta ſententiam Ce-
Ægid.Roman. lebris Ægidij Romani: *Qui benedixerit Mariam, benedicetur per Filium ſuum, & accipiet ſalutem æternam, ſecundum illud quod in perſona ejus dicitur Eccl.* 24. Qui elucidant me, *id eſt, qui me laudant, me honorant, & benedicunt,* vitam æternam habebunt: *Vt ergo benedictionum SS. Virginis poſsimus eſſe participes, & in vita æterna regnare cum illa, non ceſſemus quotidie eam laudare.* Delec-
S.Bernar. tat loqui de Virgine Maria, vt teſtimonio Bernardi novimus: *Nihil eſt quod amplius me delectet, quam de Virginis Gloria ſermonem habere.*

1218 Liberaliſsima eſt ipſa Regina Cœleſtis, non recondit opes ſuas vt divites avari, ſed expanſa manu diſtribuit in filios.
Tritemius Loquatur vt expertus Abbas Tuitienſis, Rupertus Germanus, tum primum ingenio ſe tardum, & ad ſacra diſcenda parum idoneum cerneret, opem Sacræ Uirginis ſingulari ſtudio imploravit, vt hanc naturæ difficultatem ſuperare, ac fœlices in Sacris Litteris progreſſus facere poſſet. Cui Uirgo Mater nocte apparens, promittit & præſtat, quod ille tantopere cupiebat. Ac proinde, tàm excellenti deinde gratia ſcientiaque illuſtratus eſt, vt inter Germanos Theologos eminuerit, ac ſimilem ætas illa non tulerit: qui & vivus, & mortuus, multis claruit miraculis, ſicut Tritemius apertè teſtatur lib. de Monaſt. Hirſaug.

Lo-

1219 Loquatur inſuper Subtiliſsimus Doctor veſter & noſter V. Scotus, honor & gloria Religionis noſtræ, & Vniverſitatis veſtræ: qui ſub arbore fatigatus ſomno ſopitus eſt, & à Cœli Regina, totius Sapientiæ Matre, illuſtratus ſurrexit, tantique beneficij memor, Immaculatæ Conceptionis ejus factus eſt Propugnator Acerrimus. Hoc bene noſtis. Finis igitur ſtudiorum noſtrorum ſit Maria, abjectis cæteris nugarum ineptijs. Inutilis & temporalis ſtudiorum finis, non eſt conſumans, ſed conſumens; non perficiens, ſed deficiens, ait Inſignis Abbas Abſalon in Bibliotheca Uirginali, tom. 1. fol. 5. col. 2. ſub litt. A. Maria etenim Operarios ſuos ſuſtentat, & Botro ſuo famelicos cibat, refectione plena multimodis delectat & roborat, guſtu, paſtu, potu, vmbra, protectione, abſconſione, medicina, & refrigerio, alijſque modis, quos lingua non ſufficit enarrare: ſolatur triſtes, languidos recreat; faſtiditos inſtigat, & cultores ſuos vbicumque ditat, gratiam in præſenti, & gloriam adaugens in vita futura. Servientes ergo Mariæ non peribunt, vt inquit Albertus Magnus, in Biblia Beatæ Virginis Mariæ, ſuper cap. 60. Iſaïæ Prophetæ. Signum igitur prædeſtinationis eſt devota ſervitus Mariæ, quod & latiſsime ſuadetur in Biblioth. Virginali, tom. 1. fol. 192. col. 2 ſub lit A. & tom. 2. fol. 354 col. 1. per tot. Omnis igitur lingua laudet Virginem Mariam. Sic concludit S. Antoninus de Florentia, cap. 13. de Angelica ſalutatione, §. 3. *Subt Scot.* *Abb. Abſalon.* *Albert. Magn.* *Biblioth: Virg.*

1220 Nec dicatis in cognitione, minuſvè calamo, nec verbo: Dictum eſt quidquid de SS. Virgine dici potuit: Nihil ergo ſuperadendum remanſit nobis. Etenim, quidquid decentèr de SS. Virgine Maria dictum eſt, dici potuit; non autem omne quod dici poteſt, dictum eſt. Remanent quidem multa, in gloriã Virginis ſuperaddenda, quibus rectum deſiderium veſtrum poſſitis oſtendere. Non omnia dicta ſunt, quæ dici poſſunt, in quo conveniunt Cancellarius Pariſienſis, ſup. num. 128. Ricard. à S. Laurent. ſup. num. 129. Rupert. ſup. num. 131. Item Gerſon, ſup. num. 132. S. Thom. à Villanova, ſup. 131. Item Ricard ſup. num. 133. & 135 Iterumque Rupert. num. 134 Mellifluus Doct. num. 137. Seraph. Magiſter, num. 134. Amadeus Lauſanenſ 139. S. Auguſt. & S. Juſtinus Martyr 140. Petrus Celſenſis 141. alijque Sancti & Doctores vſque ad nu. 149. S. Birgit- *Effug. devict.*

gitta, & S. Maria Magdalena de Pazzis, à n. 151. vſque ad 157. Vide inſuper alias SS. PP. ſententias circa idem, Concert. 4. §. 2. 3. 4. & 5. & authoritatem Amadei, num. 330. Alias inſuper circa idem, Concert. 11. §. 2. & 3. Et Concert. 15. §. 3. 4. 5. & 6. Et Concert. 17. §. 3. Et Concert. 19. §. 2. & 3.

Sup. loc. hic citatis

1221 Quibus denuo ſuperaddimus S. Bernardinum Senenſem, Serm. 2. ſuper Salve Regina, & Joannem Baptiſtam Cancellot. in Annalibus Marianis, ad annum Virginis 19 num. 3. & ad ann. 33. num. 1. & fol. 654. Si hoc igitur verum eſt, tot ſententijs confirmatum, ſemper de Sanctiſsimæ Deiparæ Privilegijs amplius & amplius remanere quid dicatur, dum nunquã ſatis eſſe poteſt quod dicitur: Quid miramini, in Libris Myſticæ Civitatis Dei legentes, quæ hactenus ſub ſilentio remanſerant? Credite ergo, multa ſupereſſe dicenda, quibus & veſtra pietas, veſtrumque talentum in Gloriam Virginis Sacrari valeat. In hoc ſunt & erunt Theologi poſteriores, prioribus doctiores; vt bene notat Caniſsius de Maria Deipara, lib. 1. cap. 7. fol. 35. col. 1. init.

Caniſsius.

1222 Tranſierunt Doctores, de quibus inquit Theophilactus in Joann. cap. 11. *Igitur multa quidem ſic Magiſtri intelligebant; ſed voluntaria malitia ignorantiam prætegebant.* Abierunt inſuper Doctores, qui, Defenſores Mariæ Immaculatæ, corruptores Scripturæ Sacræ, ac SS. PP. & hæreticos vocabant. Tranſierunt quidem hi: Nihil vobis cum ipſis.

Theophil.

1223 Pietatem poſtulat Mater Pietatis, inquit Honorius Auguſtodunenſis, in ſuo ſigillo: *Conſtringo Prophetas,* (introducitur Chriſtus loquens) *Apoſtolos, & Doctores populorum, ne ſuſcitetis dilectam, id eſt, ne aliqua perverſa doctrina inquietetis Genitricem meam, &c.* Sequimini S. Dyoniſium veſtrum, qui divina providentia vos quæſivit, & docuit: Hic quidem, *videns SS. Cæli Reginam, quid in Virgine divinum agnoviſſe fertur, atque inſuper Exclamaſſe, habiturum ſe Numinis loco Mariam, exhibita etiã adoratione, votiſque prolatis, niſi Fidei dogma certiſsimum ſciret, Vni Deo divinitatem ineſſe.* Sequimini Magnum Cancellarium veſtrum, Deiparæ Cultorem Eximium. Sequimini Bernardum, Bonaventuram, Albertum Magnum, Alexandrũ Alexem, Doctores veſtros, vna voce proclamantes, *SS. Virginem theſaurum fore inexauſtum, de generatione in generationem magis ac magis*

Honorius Auguſtodun.

Halloix. in Vit. S. Dyon. c. 6.

Sanctorum doctrinis illuſtrandam. Præterea, & ſequimini Vniver-
ſitatem veſtram, omnibus Eccleſiæ ſæculis celeberrimam, quæ *Vniverſ.*
Neminem in Theologorum numerum coaptat, niſi Sanctè juret, ſe in *Pariſienſ.*
aſſerenda Virginis Matris illibata Conceptione conſtantèr perſeve-
raturum, vt notat Caniſsius de Maria Deipara, lib. 1. cap. 7.
fol. 36. col. 2.

1224 Verum, quorſum hæc? Jam dixi, & iterum dicam.
Vt cognita veritate, ſtemus ſimul, & officio contradictorum,
vel contradicentium relicto, conveniamus in pace Novit ali-
quando Sacra Facultas mutare Décretum, certiori lumine cog-
nita veritate. Et Mellifluus Doctor, Epiſt. 180. ad Summum Pon- *S.Bernar.*
tif. Innocent. II. *Iterum ſupplicatio, iterum preces. Non deſiſtimus,*
quia non diffidimus: bonam cauſam habemus, & æquum Iudicem, qui
non cunctabitur evacuare quod ſubreptum eſt, cum apparebit quod
verum eſt. Habetis igitur & exemplar, & doctrinam. Rogamus
itaque, ne amplius moleſti ſitis huic mulieri, ſinite illam. Si
Gallus Interpres non benè traduxit, culpa non eſt niſi ipſius
Traductoris. Quæ revera dixit V. Author, vidiſtis, quia nec
repugnant, nec indecent Cœleſti Reginæ. Non omnia dixerunt
SS. Patres, ſed nihil contradixerunt aſenſu communi. Quomo-
do autem legendi ſunt, ſi qui eorum Mariæ dignitatem immi-
nuere videntur? Legite apud Caniſsium, lib. 4. cap. 29. fol. *Caniſsius.*
419. & 420.

1225 Cœterum, U. Abbatiſſa, (quæ titulo *Venerabilis*
Apoſtolico Decreto legitur inſignita) majori, ſalva pace, debuit
decoroſitate tractari. Scripſit, obedientia compulſa: peccavit
in hoc? S. Hildegardis, lib. 2. Vitæ ſuæ, fol. 295. ſcribit de *S.Hildelg.*
ſe ipſa, & ait ſic: *Quodam tempore ex caligine oculorum nullum lu-*
men videbam, tantoque pondere corporis deprimebar, quod ſublevа-
ri non valens, in doloribus magnis occupata jacebam, (Nunc adver
te) *quod ideo paſſa ſum, quia non manifeſtavi viſionem, quæ mihi oſ-*
tenſa fuit. Non igitur peccatum fuit in V. Matre, directoribus
ſuis obedijſſe, & patefeciſſe viſiones & Revelationes ſibi factas.
Dixit enim ſibi eſſe revelata, quæ in Libris Myſticæ Civitatis
Dei continentur. Nunquid abreviata eſt manus Domini? Spi-
ritus non vbi vult ſpirat? *Quis cognovit ſenſum Domini? Aut quis* *Iſai.* 40.
conſiliarius ejus fuit? Ecce Dues vincens ſapientiam noſtram. Non *v.* 13.
deſpicit Deus Doctores, dum ad fines ſuos ſimplices eligit fœ-
mi-

minas, vt ipſe Dominus S. Birgittæ revelavit, to. 1. lib. 2. c. 16.
S. Birgitta fol. 182. his verbis: *Mirantur multi, cur tecum loquor & non cum alijs? Ego multos habeo amicos: attamen, quia mihi sic placuit, elegite in ſpiritum meum; non quia tu illis es melior, aut eis comparanda, vel meritis eorum dignior, ſed quia ſic volui, qui de inſipientibus facio ſapientes;* (Nunc quæſita) *Nec quia tecum talem gratiam feci, ideo eos contemno. Sed magis eos ad aliam meam vtilitatem reſervo, &c.* Et cap. 23. fol. 202. col. 1. in fine iterum dicebat ipſe Dominus: *Multi mirantur, cur tecum loquor. Certè ideo, vt humilitas mea oſtendatur, &c.* Si ergo Dominus elegit pauperculam fœminam, quam culpam reprehenditis in ea? Non dixit Apoſtolus: *Prophetias, vel Prophetas contemnite,* ſed dixit: *Prophetias nolite ſpernere: omnia probatè, &c.*

1226 Opus mirabile Myſticæ Civitatis Dei excedere fœminæ facultatem, nullus hactenus dubitavit. Conducere in ordine ad bonum, experientia teſtatur. Aliqui non credunt? Non
Eod. lib. 8. miramur: S. Birgittæ dixit SS. Virgo Maria, lib. 8. cap. 48. *Quod vero pauci recipiunt, & credunt verba Cœleſtia divinitus tibi data, hoc non eſt culpa Dei.* Et eodem lib. 8. cap. 55. ait illi Dominus: *Nec timere debes ex eo, quod verba mea, tibi divinitus revelata, contemnantur, &c.* Contradictiones exortæ ſunt? Ipſa V. Abbatiſſa idipſum prædixit 3. part. in Epiſt. Dedic. fol. 508. editionis primæ Matritenſis, à nu. 12. vſque ad 15. præterquam quod & cœteræ revelationes privatæ haud minori connamine videntur contradictæ. Legatur Magiſter Lorea in Epitome Vitæ
M. Lorea. V. Hipolitæ, cap. 9. §. 3. vbi loquens de S. Thereſia, ait ſic: *Vna de las mayores aflicciones, que padeciò en eſta vida Santa Tereſa de Jeſvs, fue el vèr, que vna junta de hombres doctos, que ſe hizo en la Ciudad de Avila, para examinar ſu eſpiritu, condenò que iba engañada.* Et Dominus ad S. Birgittam, lib. 2. cap. 28. *Non*
S. Birgitta *debes turbari, quod verba mea arguantur mendacij. Quod enim impoſsibile videtur apud homines, hoc poſsibile eſt apud me. Nunquid non Moyſes miſſus erat ad Pharaonem? Non tamen oſtendebantur ſigna. Quare? Quia, ſi enim ſtatim ſigna veniſſent, & opera non manifeſta fuiſſet duritia Pharaonis, nec potentia Dei, nec mirabilia oſtenſa. Propterea ſtate viriliter. Verba mea non perficientur ſecundũ voluntatem veſtram, ſed ſecundum meam. Ego enim ſcio, quomodo terra eſt diſpoſita, & quomodo excolenda. Vos autem omnem*

vo-

voluntatem veſtram mihi committite, & dicite; Fiat voluntas tua.

1227 Nec ſolum S. Thereſia, & S. Birgitta, quin etiam prior illis S. Hildegardis (cujus Revelationes, vt vidimus, directione Cœleſti S. Bernardi Abbatis, lectæ & approbatæ mãſerunt in Concilio ſolemni) deſpectus, emulationes, & incredulitates multorum paſſa eſt. Ipſa quidem (in Bibliotheca noviſsima Veterum Patrum, to. 23. fol. 537.) ad Summum Pontificem ait ſic: *O Mitis Pater: Ego paupercula fœmina ſcripſi hæc in vera viſione in myſtico ſpiramine, ſicut Deus voluit me docere. Nunc iterum dicit tibi, qui eſt vivens in ſupernis: Præpara ſcripturam hanc ad auditum, & fac illam viridem, & volans folium contra diabolum, & vives in æternum. Cave, ne ſpernas hæc Myſtica Dei. Multi tamẽ homines volunt habere ſcrutinium per zelum ſuum, & per ignorantiam morum ſuorum: ipſe Dominus faciat puros oculos, qui non ſpernit pupillum & pauperem.* Et fol. 599. in explicatione Symboli S. Athanaſij: *Cavete quoque*, inquit, *ne per voluptatem carnis & delitias ſæculi, ita tædio afficiamini, vt vix oculum vnum ad Cæleſtem doctrinam aperire poſſitis. Hæc autem dura ſunt vobis: Igitur propter timorem Dei, qui vita & veritas eſt, hominem in fœminea forma hæc ſcribentem ne deſpiciatis: nolite ergo mentem veſtram in altum tollere, eam ſpernendo; quoniam Deus irrationale animal loqui fecit, ſicut voluit, &c.* Communiſsimum eſt igitur, Revelationes privatas contemptui, & contradictioni fore ſubjectas. S. Hildeg.

1228 Libri Originales Myſticæ Civitatis Dei, manu propria ipſius V. Matris ſcripti ſunt, vt hodie conſpiciuntur, de quo ſupra num. 273. Ipſa itidem V. Author, mortalem vitam finivit, eoſdem libros manu propria conſcriptos, & nomine proprio relinquens ſubſcriptos. In vita, & poſt mortem miraculis claruit, inſigniſsima & vniverſali fama Sanctitatis, ante, & poſt obitum refulgens: Credendum eſt ergo, malicioſè voluiſſe decipere mundum? Certè non. Hoc piè credamus: *Quæ in omnibus alijs verax apparuit, in hoc mendax invenietur?* Sic ad aliam finẽ arguebat S. Auguſtinus, ap. Vbading. ſect. 3. §. 3. num. 24. in Alleg. pro Concept. Lib. Orig. S. Auguſt.

1229 Dicitis, quod licèt non voluiſſet illudere, potuit illudi. Haud negamus, quod potuit illudi; ſigna vero id non ſuadent, eveniſſe de facto, de quo jam ſupra à num. 241. Dicitis, Evaſ. reſut.

tis, difficilia ſcripſiſſe; etiam de hoc egimus ſup. à num. 239. præterquam quod, ſi aliquæ videntur Propoſitiones difficiles, alijs antecedentibus & conſequentibus ejuſdem Operis exponũtur legitimè, & fiunt faciles.

P. Hieronym. à S. Joſeph.

Sic ſuadebat Pater Hieronymus à S. Joſeph, in Introductione ad Opera B. Joannis à Cruce: *Y aũque por la alteza de la materia que ſe trata, ſe hagan algunas propoſiciones ſuyas algo eſtrañas à la ſencillez del Letor, que no tuviere luz de coſas mſticas; pero la conſequencia, y enlaze de ellas con las demàs, haze ſegura, cierta, y facil ſu verdad.*

Illuſtriſ. Alvarez.

Et Magiſter Alvarez, Archiepiſcopus Tranenſis, Inſignis Theologus Ordinis Prædicatorum, Cenſ. 12. ſuper ſcripta Seraphicæ Thereſiæ à Jeſu, ait ſic: *Verba Matris Thereſiæ, juxta doctrinam ab eadem in ijſdem locis, & alijs quamplurimis traditam, intelligenda ſunt, & piè interpretanda.*

S. Auguſt.

Et S. Auguſtinus, lib. 83. quæſtionum, cap. 53. inquit: *Quibuſdam enim ſcripturarum locis apertius aliquid exponitur, quod diligens & pius Lector etiam in alijs locis, in quibus minus aperitur, intelligat. Deus enim noſter ſic ad ſalutem animarum Divinos Libros Spiritu Sancto moderatus eſt, vt non ſolum manifeſtis paſcere, ſed etiam obſcuris exercere nos vellit.* Verum, quamvis in Impreſsione levis error aliquis appareret, fertur tolerabilis.

Auth. Bibliæ Maximæ.

Circa quod Inſignis Author Bibliæ Maximæ, in Prolegom. ſect. 19. cap. 8. ait ſic: *Scio aliquos ita ſcrupuloſos, vt non auſint, vel admittere leviſsimum mendum. Sententia à nobis tenenda eſt, ſupereſſe etiam in Vulgata editione adhuc nonnullos errores, licèt leviſsimos, quos Eccleſia tollerat juſtis de cauſis, poſt emendationem factam à Summis Pontificibus. Hanc ſententiam defendunt, qui præſentes fuerunt Concilio Tridentino.*

Auguſt. Anconit.

1230 Cæterum, dubitare de omnibus, Doctores non decet, vt reſolvit Auguſtinus Anconitanus, in Salutationem Angelicam, quæſt. 1. cui titulus: *An dubitare de omnibus ſit bonum & vtile?* Ceſſet igitur contradictio veſtra, ò Sorbonici, & Magni Gamalielis recolite ſententiam: Act. 5. v. 38. *Si eſt ex hominibus conſilium hoc, aut Opus, diſolvetur: Si vero ex Deo eſt, non poteritis diſolvere illud, ne fortè & Deo repugnare inveniamini.*

Act. 5. v. 38.

Speramus enim ſat hoc futurum pro vobis, vt finem optatum habeat contradictio veſtra, ſin autem, & ad alia Certamina parati ſumus, obedientia comite, quæ novit loqui & conſequi victorias. Cayetani poſtmodum verbis (ſuper illam formidabilem Chriſ-

Chriſti ſententiam, Lucæ 11. v. 51. *Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui intrabant, prohibuiſtis)* ortamur vos: *Ne contradictionibus veſtris, pauperculis fidelibus claudatis januam*, vt lucrari nequeant ſalutiferos fructus animarum ſuarum, ſicut in Hiſpaniarum Regnis lucraſſe novimus. Expectemus potiùs omnes deciſionem Eccleſiæ Catholicæ, quæ Magiſtra eſt ſolidæ veritatis. *Cayet. ad Luc. 11. v. 51.*

1231 Demùm, juxta ſententiam Ricardi â Sancto Laurentio, lib. 10. de Laud. Uig. *Maria deſignatur per portam Templi, quæ dicitur Speciosa, ad quam debemus ſedere, & mendicare, exemplo illius claudi, quem ſanavit Petrus.* Mendici Mariæ ſimus, & dum egemus ſapientia, poſtulemus à Maria, quæ dat omnibus affluentèr. *O B. Maria* (ſic orabat Rupertus Abbas) *Mons montium, Virgo Virginum, Sancta Sanctorum; ad omnes quidem convertimur mõtes aromatum, & vocamus, vt reſpondeant nobis: & hoc eſt, quod vnuſquiſque noſtrum dicit: Levavi oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Sed ad te præcipuè convertimur, ò Maria: Ad te præ cæteris oculos noſtros levamus; illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Ad te ſunt oculi noſtri, ne pereamus. Vitam præſta puram; Iter para tutum, vt videntes Jeſum, ſemper collætemur. Amen.* *Ricard. à S. Lauren.* *Rupertus.*

PROTESTATIONVM ITERATIO.

Duplex Proteſtatio, quæ Certamini noſtro præfertur, hic ſimilitèr repetita, prompto animo teneatur.

Fr. Antonius Arbiol.

Omnia manent ſub correctione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ eſt Magiſtra Orthodoxæ Fidei, & Columna Veritatis.

INDEX.

PROLOGVS ad Lect & Facti Relatio. Fol. 1.
CONCERT. I. Super clauſulas Prefationis. fol. 7.
§. 1. Littera Præfationis Cenſuræ Suppoſititiæ. fol 7.
§. 2. Reflexio circa primam partem Præfationis. fol. 10.
§. 3 Reflexio ſupra 2. part. Præfat. fol. 14.
§. 4. Reflexio ſupra 3. part. Præfat. fol. 16.
§. 5. Reflexio ſuper 4. part. Præfat. fol. 20.
§. 6. Reflexio ſup. vltimam part. Præfat. fol. 33.
ARTIC. I. Cenſuræ. Si reſplenduit magis Divina miſericordia in his revelationibus. fol. 35.
CONCERT. II. Super Propoſitiones confixas in hoc Artic. fol. 37.
§. 1. Diſcordia inter Verſionem Gallicam & Originale Hiſpanum. fol. 37.
§. 2. Legitima V. Authoris intelligentia. fol. 39.
§. 3. Concordia cum Scriptura Sacra, SS. PP. & alijs revelationibus privatis. fol. 43.
§. 4. Vitia Cenſuræ. fol. 49.
ARTIC. II. Cenſuræ. Occulta manſerunt Myſteria Virginis. fol. 51.
CONCERT. III. Circa Propoſit. Confix. fol 52.
§. 1. Diſcordia inter Verſionem & Originale. fol. 52.
§. 2. Legitima textus intelligentia. fol. 54.
§. 3. Mirabilis conſonantia Propoſitionis cum Scriptura Sacra & SS. PP. fol. 55.
§ 4 Conſonantia alijs Revelat. privat. fol. 65.
§. 5. Redarguuntur Cenſores. fol. 68.
ARTIC. III. Cenſuræ. Si Myſteria hæc ſunt ex illis, de quibus Chriſtus: *Multa habeo vobis dicere, &c.* fol. 70.
CONCERT. IV. Super Propoſitionem confixam. fol. 71.
§. 1. Legitima textus intelligentia. fol. 72.
§. 2. Vtrum in exordio naſcentis Eccleſiæ plura mãſerint occulta Myſteria Virginis. fol. 74.
§. 3. Vtrum probabilitèr dici poſsit, talia myſteria ex illis fore, de quibus Chriſtus dixit: *Multa habeo vobis dicere, &c.* fol. 77.
§. 4. Vtrum talia myſteria ſint revelabilia, & an revelari poſsint

Per-

Perſonæ particulari, ante quam Summo Pontifici? Agitur de Revelationibus privatis. fol. 84.
§. 5. An ſufficiat Revelatio particularis, vt de Myſterio revelato probabilitèr affirmetur, de illis fore, de quibus Chriſtus dixit: *Multa habeo vobis dicere, &c.* fol. 91.
§. 6. Vtrum Chriſtus D. in illis verbis: *Multa habeo vobis dicere, &c.* ſit in Apoſtolis, etiam omnibus fidelibus locutus. fol. 95.
§. 7. Vtrum Myſteria hæc ex parte materiæ repugnent ex illis eſſe, de quibus Chriſtus dixit: *Multa habeo vobis dicere, &c.* fol. 99.
§. 8. Vtrum V. Mater ſit piè credibilis in his Revelationibus. fol. 107.
§. 9. Pia credibilitas roboratur ex 17 ſignis. fol. 114.
§. 10. Occurritur oppoſitis, & pia credibilitas amplius ſtabilitur. fol. 119
§. 11. Aliud argumentum ſolvitur, & pia credibilitas roboratur. fol. 131.
§. 12. Redarguitur Cenſura. fol. 142.
ARTIC. IV. Quomodo hæ Revelationes ſint veritas certa, abſque opinionibus, &c. fol. 149.
CONCERT. V. Super Notatam Propoſitionem. fol. 149.
§. 1. Diſcordia inter Verſionem & Originale. fol. 150.
§. 2. Legitima textus intelligentia. fol. 152.
§. 3. De credibilitate præſtanda Revelationibus privatis. fol. 157.
§. 4. Locutiones ſimiles in alijs Revelationibus privatis. fol. 163.
§. 5. Redarguuntur Cenſores. fol. 168.
ARTIC. V. Cenſuræ. Adoraverunt Angeli Mariam in Throno Altiſsimi. fol. 174.
CONCERT. VI. Super Propoſitiones confixas. fol. 175.
§. 1. Diſcordia inter Verſionem Gallicam & Originale. fol. 176.
§. 2. Mens legitima V. Abbatiſſæ. fol. 178.
§. 3. Concordia cum Scriptura Sacra, & SS. PP. fol. 183.
§. 4 Concordia cum alijs Revelationibus privatis. fol. 190.
§. 5. Vitia Cenſuræ convelluntur. fol. 193.
ARTIC. VI. Cenſuræ. Petitiones Verbi ab Æterno; & Vnigenitus noſter, &c. fol. 199.
CONCERT. VII. Super Propoſitiones confixas. fol. 199.
§. 1. Diſcordia inter Verſionem & Originale. fol. 200.
§. 2. Legitima Propoſitionum intelligentia. fol. 201.
§. 3. Locutiones ſimiles in Scriptura Sacra & alijs Revelationibus privatis. fol. 204.
§. 4. Modus diſcurrendi cujuſdam Theologi noſtri temporis

im-

impugnatur. fol. 208.
§. 5. Redarguuntur Cenſores vtriuſque Cenſuræ. fol. 212.
ARTIC. VII. Cenſuræ. Propoſitio conditionata Joachim & Annæ circa votum, &c. fol. 215.
CONCERT. VIII. Super Propoſitionem confixam. fol. 216.
§. 1. Subſtantialis diſcordia inter Verſionem Gallicam & Originale, genuinaque textus intelligentia. fol. 216.
§. 2. Credibilitas Notatę Propoſitionis ex conſimilibus doctrinis f 218.
§. 3. Redarguuntur Cenſores. fol. 225.
ARTIC. VIII. Cenſuræ. Si aliquæ Propoſitiones ſint caſtarum aurium offenſivæ. fol. 228.
CONCERT. IX. Super doctrinam confixam. fol. 229.
§. 1. Tranſcribuntur Numeri citati. fol. 230.
Reflexio ſuper Numerum primum. fol. 231.
Reflexio ſuper Numerum ſecundum. fol. 233.
Reflexio ſuper Numerum tertium. fol. 234.
Reflexio ſuper Numerum quartum. fol. 235.
Reflexio ſuper Numerum quintum. fol. 236.
Reflexio ſuper Numerum ſextum. fol. 237.
§. 2. Quovſque Propoſitiones Caſtarum aurium non offenſivæ valeant pervenire? fol. 239.
§. 3. Cenſuræ vitia manifeſtantur. fol. 245.
ARTIC. IX. Cenſuræ. Sabbatum conſecratum Immaculatæ Conceptioni SS. Virginis. fol. 247.
CONCERT. X. Super Notatam Propoſitionem. fol. 248.
§. 1. Primum & ſecundum Propoſitionis aſſertum authoritatibus fulcitur. fol. 248.
§. 2. Principalius aſſertum non repugnare, eſſeque piè credibile. fol. 253.
§. 3. Diſceptatio cum Cenſoribus. fol. 262.
ARTIC. X. Cenſuræ. Contulit Mariæ Dominus *Quidquid potuit, &c.* fol. 266.
CONCERT. XI. Super Propoſitionem confixam. fol. 267.
§. 1. Diſcordia inter Verſionem & Originale, menſque V. Authoris. fol. 267.
§. 2. Concordia cum SS. PP. & privatis Revelationibus. fol. 270.
§. Vitia Cenſuræ deteguntur. fol. 279.
ARTIC. XI. Cenſuræ. Quomodo Divina Maternitas pédeat à Conceptione Immaculata. fol. 286.

CONCERT. XII. Super Notatam Propoſitionem. fol. 287.
§. 1. Diſcordia Verſionis ab Originali. fol. 287.
§. 2. Legitima textus intelligentia. fol. 289.
§. 3. Redarguitur Cenſura nonnullis authoritatibus. fol. 293.
ARTIC. XII. Cenſuræ. Si fuit Regimen Eccleſiæ in Maria? fol. 298.
CONCERT. XIII. Super Propoſitionem confixam. fol 299.
§. 1. Diſcordia inter Traductionem & Originale. fol. 299.
§. 2. Ex legitima Textus Originalis intelligentia evertitur præcipua Cenſuræ difficultas. fol. 301.
§. 3. Conſonantia doctrinarum cum SS. PP. fol. 305.
§. 4. Redarguuntur Cenſores. fol. 313.
ARTIC. XIII. Cenſuræ. Quod Maria dixerit: *Per me Reges regnant, &c.* fol. 316.
CONCERT. XIV. Super Notatam Propoſitionem. fol. 316.
§. 1. Diſcordia Gallicæ Traductionis ab Originali. fol. 317.
§. 2. Confixa propoſitio ex SS. PP. fulcitur. fol. 319.
§. 3. Cenſuræ vitia manifeſtantur. fol. 326.
ARTIC. XIV. Cenſuræ. Elevationes SS. Uirginis in Empireum. fol. 331.
CONCERT. XV. Super doctrinam confixam fol. 333.
§. 1. Diſcordia Verſionis ab Originali, & legitimus ſenſus V. Authoris. fol. 333.
§. 2. Utrum repugnet Propoſitio ex parte materiæ, & an V. Mater ſit piè credibilis fol. 336.
§. 3. Augetur pia credibilitas ex doctrinis SS. PP. fol. 340.
§. 4. Duplex ſolvitur argumentum. fol. 345.
§. 5 Vtrum ſit piè credibile, Virginem fuiſſe elevatam ad Altiſsimi Thronum. fol. 350.
§. 6. Examinantur vitia Cenſuræ. fol. 353.
ARTIC. XV. Cenſuræ. De Puritate Partus SS. Annæ. fol. 355.
CONCERT. XVI. Super Propoſitionem confixam. fol 356.
§. 1. Diſcordia Verſionis Gallicæ ab Originali. fol. 356.
§. 2. Vtrum ſit piè credibile, SS. Annam fuiſſe liberam à lege Purificationis. fol. 359.
§. 3. Solvitur argumentum principale. fol. 364.
§. 4. Redarguuntur Cenſores. fol. 369.
ARTIC. XVI. Cenſuræ. Quomodo Maria ſit omnibus modis Mediatrix Gratiæ? fol. 374.
CONCERT. XVII. Super Notatam Propoſitionem. fol. 375.

§. 1. Defectus Verſionis Gallicæ, menſque legitima V. Matris. fol. 375.
§. 2. Vtrum defenſabilis ſit Propoſitio, prout jacet in Articulo? fol. 377.
§. 3. Vitia Cenſuræ conveiluntur, fol. 381.
ARTIC. XVII. Cenſuræ. Exaltabis tuam gratiam, & Gratias, &c. fol. 386.
CONCERT. XVIII. Super Notatam Propoſitionem. fol. 386.
§. Vnicus. Ex legitima textus intelligentia, tota Cenſorum evaquatur difficultas. fol. 387.
ARTIC. XVIII. Cenſuræ. Si poſſet SS. Virgo Maria illuminare omnem hominem venientem in mundum. fol. 393.
CONCERT. XIX. Super Notatam Propoſitionem. fol. 393.
§. 1. Defectus Verſionis, & mens legitima V. Abbatiſſæ. fol. 394.
§. 2. Concordia Propoſitionis cum SS. PP. fol. 396.
§. 3. Notantur Vitia Cenſuræ. fol. 403.
ARTIC. XIX. Cenſuræ. Propoſitiones 36. circa Conceptionem, Nativitatem, & Pueritiam SS. Virginis, & de Angelis Cuſtodibus. fol. 408.
CONCERT. XX. Super 36. Propoſitiones confixas. fol. 412.
§. 1. Super quamlibet Propoſitionem fit Reflexio. fol. 412.
§. 2. De adjectis octo Propoſitionibus in Suppoſititia Cenſura. fol. 437.
§. 3. Redarguuntur Cenſores. fol. 441.
CONCERT. XXI. Super clauſulam concluſivam vtriuſque Libelli. fol. 446.
§. 1. An frequens Scripturæ Sacræ vſus indeceat Revelationes privatas; vtrumvè ſit ſignum in bonum? fol. 447.
§. 2. Vtrum revelabiles ſint Opiniones Scholaſticæ; & an poſt revelationem ſint probabilitèr controvertibiles ſicut antea? fol. 449.
§. 3. Allocutio pacifica cum Authoribus vtriuſque Cenſuræ, hujuſque Operis concluſio. fol. 457.

INDEX ALTER.

Omnes Numeri ſunt marginales, niſi aliter explicetur.

A

ABbas Tuitienſis, edoctus à SS. Virgine Maria. 1218.
Adam, durante ſtatu innocentiæ. 548.
Adoratio. Quid 406. ſeq. & 439.
Adoratio Mariæ ab Angelis. Concert. 6. & num. 691.
Adoratio Imaginum. 434. & ſeq. & 440.
Aëreum corpus nonnumquam ſumunt Angeli. 1113. & 1145.
Aliter in Chriſto eędem gratiæ, aliter in Maria. Concer. 11. 17. & 19.
Alternativa myſterioſa ſecuritatis, & dubitationis. 308.
Amicus. Sicut vnus cum altero loquitur aliquando Deus cum creatura. Concert. 4. § 4. & num. 206.
Amplius, & magis, diſtinguuntur. 87.
S. Anna vovit Filiam, quando, & quomodo. Concert. 8. An fuerit libera à lege Purificationis. Concert. 16.
Angeli. Quo die creati? 1084. Statim adoraverunt Mariam. Concert. 6. per tot. Elevabant SS. Virginem in Cœlum. Concert. 15. Serviebant Virgini Mariæ in hoc mundo. num. 1119. 1127 & à num. 1137.
Angelorum malorum caſus. 425.
Angeli Cuſtodes SS. Virginis. 402. 1138. Eos novit Maria, & quando. 1100. Quomodo ei manifeſtabantur. 1137. Quale corpus aſſumebant. 1144. Qualibus ſignis apparebant ei. 1146.
Angelus Cuſtos cuiuſcunque perſonæ. 1138.
Angelus humana forma aſſumpta loquitur. 1145.
Antecedentia, & conſequentia ſenſum propoſitionis coaptant. 12. 62. 63. 1229.

Annus Iulianus. *Vide* Chronologia.
Apoſtoli plantaverunt Eccleſiam. 790. Lux mundi. 1068. Eorum caput Petrus. Concert. 13. Eorum caput Maria. Concert. 13. §. 3. per tot.
Arduitas, an minuat meritum. 511. & ſeq.
Arriola. Defenſor V. Abbatiſſæ. 47.
Ariſtoteles. Eius ſent. circa extaſes naturales. 281.
Artes naturales novit Maria. 1094.
S. Aſſella Virgo Romana. 658.
Authoritas Eccleſiæ. 361. & 1230.

B

BElarminus Commendatur. 570.
S. Benedictus, ſanctificatus in vtero. 963.
Benedicentes Mariam, benedicentur. 1217.
S. Bernardi Sententia exponitur. 35.
S. Bernardus, ſanctificatus antequam natus. 964.
Blaſphemiæ videntur multis nonnullæ Miſericordiæ Dei. 203.

C

CAlliditas releganda ab Examinatoribus. 61. 291.
Cantica Canticorum intelliguntur de Maria. Concert. 14. & num. 986.
Caput credentium Maria. Concert. 13. §. 3. & num. 784. 787. 790.
Carentia peccati. *Vide* Maternitas.
Caſtitas V. Abbatiſſæ. 533.
Caſtrillo, Archiepiſ. Cæſar. in favorem V. Authoris. 64.
Cauſæ naturales extaſum. à num. 285.
Cautelæ in revelationibus mulierum. à num. 279.
Cautela maxima in revelationibus. à num. 280.

Cha-

Charitas Mariæ Virginis in Eccleſia Primitiva. Concert. 13.
S. Catharina Senenſis. Quanta ei fuerunt revelata. 203.
Catholicum, idem ac Vniverſale. 361.
Chriſtianus non bene, qui non Marianus. 1214.
Chriſtus, acceptavit mortem ab æterno. 467.
Chriſtus non omnia dixit in vltima Cœna. Concert. 4. §. 3. & 6. In Diſcipulis loquebatur omnibus. 218. & ſeq.
Chriſtus vt homo, quomodo dici poteſt Filius totiùs Deitatis, vel totiùs Trinitatis. 456.
Chriſtus, & Virgo Maria inæquales, & ſi cum eiſdem gratijs. Concert. 17. & 19.
Chronologia D. Ioannis â Leyba. 579.
Cenſura Cenſuræ. Prolog. num. 1.
Cenſura DD. Deputatorum, qualis ſit. Prolog. 11. & 69.
Cenſura Suppoſititia Sacræ Facultatis, qualis. Prol. 11. & 69.
Certitudo Revelationum in aliquibus animabus. Concert. 5. §. 2. & 3.
Certitudo prædeſtinationis haberi non poteſt niſi per revelationem. 359.
Certus naturaliter memo de gratia ſua, vel futura perſeverantia. 359.
Certus modus cognoſcendi revelationes non poteſt aſsignari. Concert. 4. §. 4. & §. 8. & 9.
Cyniphis deſcriptio. 1216.
Cognitio Virginis in primo Conceptionis inſtanti. 1090.
Connatus ad reſiſtendum extaſes non arguit eſſe naturales. 289.
Conceptio Virginis Puriſsima, & in Parentibus. 554. & Concert. 9.
Conceptio ſecunda Virginis, ſive animatio die Sabbati. Concert. 10.
Conceptio prima Virginis, die Dominica. 1084.
Conciliabula Dæmonum in diebus creationis. 1153.
Conferebat Maria cum Angelis in pueritia. 1119.
Congreſſus DD. damnat ſpiritum S. Thereſiæ. 1227.

Conſiſtorium ſive Concilium SS. Trinitatis dixit: *Unigenitus noſter &c.* Concert. 7.
Contextus ſenſum elicit. 1229. *Vide* Antecedentia.
Contradictiones privatarum Revelationum. 1227.
Contradictoriæ explicantur. 972. & ſeq.
Contrarius reductus, tertis æſtimabilis. 1214.
Contraria non ſtant ſimul à num. 971.
Controverſiæ Scholaſticæ, Deo gratæ. 381. & 1210.
Corpus, quomodo capax ſanctificationis. 522.
Corpus Virginis, ſeptem diebus formatum. 1086.
S. Clara, *Vide* Veſtes.
Credibilitas, quid diſtinctum à veritate. 324. & ſeq.
Credibilitas, Revelationibus privatis præſtanda. 357. & ſeq.
P. Croſet, Traductor Gallicus. Prol. num. 1. & poſt Prol. 560.

D

DAmnare propoſitiones, ad quos pertineat. 16.
Decretum Inquiſitionis ad Scriptores. 14.
Decretum intentivum, & executivum. 712.
Decretum Tridentini de Immaculata Virginis Conceptione. 713.
Delatio Myſticæ Civit. Dei ad Tribunal Hiſpanicum. 231.
Delectat loqui de SS. Virgine. 1217.
Dæmon, cauſare valet extaſes & raptus, & transfigurari poteſt in Angelum lucis. 292.
Deo nihil impoſsibile. 684.
Deus, quàm mirabilis in Maria. 234.
Deus, quomodo contulit Mariæ quidquid potuit. Concert. 11.
Deus ut amicus loquitur cum anima fideli. 256.
Deus in pœnam permittit falſas prophætias 257. 309.
Deus in revelatione aufert hæſitationem 357.

Deus

Deus,quibus modis communicatur. 305.
Deus nec fallere poteſt nec falli. 321.
Differentia inter revelationem,& inſtinctum. 303 & ſeq.
Difficilia non obſtant. 59. 62 236. 238 239. & 1229.
S. Dionifius Areopagita. Quid dixit videns SS. Virginem. 1224.
Diſcurſus hominis,quam tenuis 1216.
Docendi methodus. 189. & 190.
Doctores non ſaciantur laudibus Mariæ. 1217.
Doctores,lux mundi. 1068.
Doctores,adhuc pauca dixerunt de Virgine. 694.
Doctrina mulierum ſuſpecta. 283.
S. Dominicus Patriarcha,ſanctificatus in vtero. 955.
Donum intelligentiæ diſtinctum à collatione terminorum. 313.
Dormiens Maria non interrumpebat actus interiores. 1117.

E

ECcleſia progreditur quaſi Aurora. 148.
Eccleſia ſemper habuit neceſſaria in Apoſtolis 316.
Eccleſia Catholica regitur à Spiritu Sancto. 194.& ſeq.
Eccleſia,Magiſtra veritatis. 391. 1230.
Eccleſiæ facultas ad proponendas veritates. 379.
Eccleſiæ convenit revelationes credendas populo proponere. 361.
Editio Matritenſis Myſticæ Civit. Dei cum Originalibus collata. 532.
Effectus veræ revelationis. Concert. 4 §. 8. & 9.
Elevationes SS. Virginis in Cœlum. Concert. 15.
S Eliſabeth. Baptiſtæ mater comendatur. 549.
Eliſabet excellentiæ. Concert. 16. §. 3.
Elogia Virginis. 1215. & Concert. 11. § 2.
Encomia S. Ioannis Baptiſtæ. Concert 16. § 2.

Er-

Errores,ex quo frequenter oriuntur. *62.63.*
Evæ ſimilis Maria. 1154.
Examen operis 47. 229. 230. & ſeq. 243.
Examinatores Revelationum. Eorum conditiones. 65. 66. & 236. 243. *Vide* Pietas.
Exercitia humilitatis Mariæ circa tertium ætatis annum. 1126.
Exiguum,non deſpicabile. 253.
Extaſes & raptus naturales,& ſuperni. 285.& ſeq.

F

FAbula. Quid dicatur. 64. 1166.
Falſa,aliquando probabiliora veris. 1182.
Fides & eius obiectum. 212.
Fides implicita,& explicita. 704.
Fides quid ſit: eius objectum, & certitudo. 212. 321. 721.
Futurum pro præterito in Scripturis Sacris. 461.
Fluvij Sabbatici prodigium. 572.
S. Franciſcus Pater Noſter, ſanctificatus in vtero. *966.*

G

S. GAbriel,Nuntius Nativitatis Mariæ ad Lymbi Patres. 1106.
S. Gabriel,ad quid deſtinatus in obſequium Mariæ. 1141.
Generatio,durante ſtatu Innocentiæ. 548.
Gratia Virginis, & aliæ à Chriſto receptæ, &c. Concert. 18.
Gratia SS. Virginis immenſa. Concert. 11. §. 2
Gratia particularis in Maria vltra generalem. 1017.
Gratia intelligitur pro favore. Concert. 18.
Gratiarum actiones Virginis in primo inſtanti, 1096.

Gra-

Gratiæ omnes per Mariam. 1056.
Gregorius XI. caſus notabilis circa Revelationes. 280.

H

HAbitus omnium ſcientiarum Mariæ in primo inſtanti. 1094.
Hebræus collens Sabbatum. 568.
Hæretici quomodo non timendi. 1167.
Heroicitas virtutum, qualis. num 249 & ſeq.
Hominis diviſio in partem ſuperiorem, & inferiorem. 520. & 521.
Honorare Patrem, & Matrem. 636.
Humilitas, ſignum veræ revelationis. 241. 255.

I

IAcobus, ſanctificatus in vtero. 951.
Ieremias, ſanctificatus in vtero. 945.
S. Ioachim vovit Filiam, quando, & quomodo. Concert. 8.
Ioachim, & Annæ myſterium Incarnationis revelatum. 1157.
S. Ioannes Baptiſta ſanctificatus in vtero. 942. Quare exultavit in vtero. 1095. Vſus rationis acceleratio. ibid.
M. Ioannes à S. Thoma Dominicanus in favorem V. Authoris. 47.
Ioannes à Leyba, Deffenſor Myſticæ Civit. Dei. 15. & 578.
S. Ioſeph. ſanctificatus in vtero. 943.
Iudæus. *Vide* Hebræus.
Illuminare poteſt Maria omnem hominem, &c. Concert. 19.
Incarnatio. In remedium infirmitatum. 92. Miſericordia maxima. 105.
Incomprehenſibilia iudicia Dei. 1226.

In-

Inclinationes corporales Virginis Mariæ in vtero Matris. 1096.
Incredulus divinis revelationibus. 364. & ſeq.
Ingenuitas V. Authoris. 312.
Inſtinctum, quid. 303.
Interrogare facilius, quam correſpondere. 1213.
Interpres Gallicus, parum fidelis. 526. & 561.

K

KEmnitius negat revelationes privatas. 329.
Kempis, latinè efficacius movet. 530.

L

LAbores animarum myſt. 309. 1226. & 1227.
Lachrymas fudit Maria in vtero Matris. 1102.
Lateranenſis Eccleſia, quomodo præfertur omnibus. 790.
Laus propria, an ſemper ſuſpecta. 299. & ſeq.
Leges communes non intelliguntur de Maria. 864. & 972.
Legis communis diſpenſatio. Concert. 16. §. 3. & 4.
Lex Purificationis. 971.
Liberaliſsima eſt SS. Maria erga cultores ſuos. 1218.
Libri originales Myſticæ Civitatis Dei, ſcripti manu propria V. Authoris. à num. 273. & 1228.
Loqui potuit Maria à Nativitate ſua. 1123.
Loqui in exceſſu mentis non convincit illuſionem. 288.
Luciferi caſus. 425.

M

MAgiſterium SS. Virginis in Eccleſia Primitiva. Concert. 13. per tot.

Ma-

Malitia ſolet ignorantiam affectare. 1223.
S. Martinus. 954.
Maternitas Divina quomodo infinita. 627. & 676. Quomodo pendeat à Conceptione Immaculata. Concert. 12. per tot.
Maria Sanctiſsima. Quomodo deſcribenda. 28. Eius gratia immenſa. 30. Quaſi immenſa. 22. Glorioſa de ea dicentur vſque in finem. 32. 57. & 330. Ianua Cœli. 91. & 10. Speculum. 91. Excellentior vniverſo. 93. Spes peccatoris. 93. & 100. Candelabrum Zachariæ. 100. Liberaliſſima. 102. Reſtant plura revelanda Myſteria. Concert. 3. per tot. Liber clauſus. 138. Plura ignota. 141. Incomprehenſibilis. 144. Si oculta eius Myſteria ſunt de illis de quibus Chriſtus: *Multa habeo vos dicere, &c.* Concert. 4. § 3. In Throno Altiſsimi. 403. & ſeq. Myſteria adaugenda. 600. Excellentiæ variæ. 609. Quomodo dicere poteſt: *Per me Reges regnant, &c.* Concert. 14 Quomodo omnibus modis mediatrix gratiæ. Concert. 17 Adorata ab Angelis. Concert. 6. Conceptio eius Puriſsima. Concert. 7. Sabbatum dedicatum eius immaculatæ Conceptioni. Concert. 10. Quomodo eius divina Maternitas pendet ab Immaculata Conceptione. Concert. 12. Contulit ei Dominus quidquid potuit. Concert. 11. Eius Magiſterium, & directio in Primitiva Eccleſia. Concert. 13. Nativitas eius Puriſsima, & plena miraculis. Concert. 16. Poteſt illuminare omnem hominem, quomodo. Concert, 19. Prima eius Conceptio die Dominica. 1084. Septem diebus formata. 1086. *Vide* Vſus rationis. Cognovit Angelos. Scientia. Inclinationes. Lacrhimæ. Angeli.
V. Maria à Ieſv de Agreda. Aliqua ex eius Vita mirabili. 44. & 60. Qui examinaverint Vitam, & ſpiritum ipſius. 60. Caſtiſsima 533. Ingenua. 312. Lux divina ad ſcribendum. Concert. 5. § 2. *Vide* Extaſes. Raptus. Signa.
Mediatrix Maria in primo inſtanti. 1101. 1103.
Menda nonnulla in editione Vulgata. 1229.

S. Michaël, Princeps Militiæ Cœleſtis ad cuſtodiam Mariæ. 1140.
Miracula. Signum in bonum divinarum Revelat. 247.
Miſericordiæ Divinæ, quales. 66. & 683. In his Revelationibus. Concert. 2. per tot.
Myſteria Fidei, quomodo pendere valent ab eis quæ de Fide non ſunt. 721.
Myſtica Civitas Dei, quomodo non ſit opiniones, nec contemplationes. Concert. 5. per tot.
Myſtica Civitas Dei excedit fœminæ facultatem. 1227.
Myſtica Civitas Dei, Scriptura Sacra referta. 1179.
Mors laudabilis. Signum in bonum, &c. 247.
Mulieres facilè decipiuntur. 37. 281. & ſeq. Capaces Revelationum. 38. & ſeq. & 283.
Mundus, quam perditus. 96. ſeq. 203. & ſeq.

N

NAtivitas Virginis, Puriſsima. Concert. 16. Naſcitur in in extaſim rapta, 1159.
S. Nicolaus Tolentinus commendatur. 570.
S. Nicolaus de Bari. 956.
Nomen Mariæ. 1001. & 1115.
Novatores ſolas ſcripturas admittunt. 31. 870.
Novitas, non omnis mala. 53. & ſeq. 234. 871. & Concert. 15. §.4. & 6.

O

OBedientia Directoribus, ſignum in bonum. 255. & 260.
Obedientia ſcripſit V. Author. 1226.
Obligationes, dum non explentur, cauſa raptuum. 294.
Obſcura, non indicent Revelationibus. 151. 1229.

Oc-

Occulta manſerunt multa Virginis myſteria. Concert. 15. § 3. & num. 1220.
Occultare Directoribus viſiones aut Revelationes, reprehenſibile. 1226.
Omnia beneficia nobis per Mariam. 830.
Operarios ſuos SS. Virgo Maria ſuſtentat. 1219.
Opiniones diverſæ non obſunt. 290.
Opiniones Scholaſticæ revelabiles. 314. & 381.
Opiniones Scholaſticæ revelatæ. 1180. & ſeq.
Opiniones. Quæ ſint. 339.
Opinio minus probabilis poteſt eſſe vera, & alicui perſonæ revelata. 1182.
Oratio vocalis Mariæ, dum loqui potuit à Nativitate. 1125.
Ortigas Ieſuita, in favorem V. Authoris. 47.

P

S. PAulus Apoſtolus, quando ſanctificatus. 953.
Partus SS. Annæ, puriſsimus. Concert. 16.
S. Petrus, Eccleſiæ Caput. Concert. 13. §. 2.
Peccatum per Legem, quomodo. 505.
Pietatem poſtulat cauſa Virginis Mariæ. 1224.
Pietas, neceſſaria in Examinatoribus. 16. 105. 239. 291. & 306.
Piſcina ſanationis, Maria. 993.
Publicitas in raptibus, an ſuſpecta. 293.
Plauſus hominum, non ſemper ſuſpectus. 302.
Prædeſtinationis ſignum, devotio Mariæ. 1219.
Privilegia Virginis, quomodo metienda. 694. 865.
Probabilitas, ſufficit in Propoſitione revelata. 232.
Propoſitio per ſe nota. 338.
Propoſitiones vniverſales, reſtrictione intelligendæ. 680.
Propoſitiones conditionatæ, quomodo intelligendæ. 508. ſeq. & 513.

Propoſitiones caſtarum aurium offenſivæ , quales. Concert. 9.

Q

QVæſtiones Shcolaſticæ, non evacuantur ex privat. revel. 1210.
Quantus ſit Deus ſatis ignorat, qui Virg. Mariam non ſtupet. 635.

R

RAymundus Lumbier, in favorem V. Authoris. 470. & 528. Impugnatur eius ſententia. Concet. 7. §. 4.
Raptus. *Vide* Extaſis.
Reformatio, mirabilior conditione. 1086.
Regulæ generales in laudem Virginis. 694.
Regula Eccleſiaſticæ modeſtiæ, qualis ſit. 1164.
Relatio facti. Prolog. per tot.
S. Remigius Epiſcopus. 957.
Renuentia voluntatis, ſi minuit meritum. 510.
Reſponſio mollis frangit iram. 1211.
Revelationes. De SS. Virgine ſemper adaugendæ. 139. Quomodo diſcernendæ. 209. Poſſunt eſſe â diabolo, ſed non ſequitur eſſe ex poſſe. 209. Semper reperiuntur in Eccleſia. 210. Quales ſufficiunt ad aſſenſum probabilem revelati. Concert. 4. § 5.
Revelationet privatæ, ſuſpectæ. 278. Inconnexæ cum ſanctitate. 284.
Revelationes privatæ, poſsibiles. 322.
Revelationes publicæ & privatæ, quales. 354.
Revelationes privatæ, verbis Apocal. 378.
Revelationes contrariæ, quomodo ſumendæ. 385. & 1210.

Re-

Revelatio privata de obiecto Opinabili, non evacuat controverſiam Scholaſticam,& quare? 1210.
Revocare Decreta ſubrepta. 1224.
Rufinus, Socius S. P. N. Franciſci. 961.

S

SAbbatum conſecratum Conceptioni SS. Virginis. Concert. 10. per tot.
Sanctificati in vtero. 939. & ſeq.
Sanz de Villaragut, Epiſcopus, in favorem V. Authoris. 1180.
Sapientes non decet, in malam partem Propoſitiones aſſumere indifferentes. 382.
Sapientibus, quæ indecent. 235.
Satanas. *Vide* Dæmon.
Senſus Scripturæ Sacræ. 803. 821. 834. & 835.
Sententia relicta, non quęrenda. 1212.
Signa Revelationum. à num. 241. & à num. 255.
Silentium Mariæ, dum loqui potuit à Nativitate. 1124.
Scandalum, quale non timendum. 237.
Scandalum, quid ſit. 321.
Scientia infuſa Virginis in primo inſtanti. 1094.
Scotus illuſtratus in ſomnis à SS. Virgine. 1219.
Scripſiſſe manu propria tollit ſuſpitionem. à num. 274.
Scriptura Sacra, quomodo loquatur de Maria. 124. 806. 838. 999. Ex ea veritas quærenda. 227. 246.
Scriptura non benè intellecta parit errorem. 320.
Scripturæ Sacræ vſus in Revelationibus privatis. à num. 1172.
Spernere prophetias, haud bonum. 278.
Spiritus S. Magiſterium. 147. 174. 220.
Spiritus Sanctus poſtulat pro nobis. 59. 483. & ſeq.
Spiritus Domini nequit ſibi ipſi eſſe contrarius. 375.

Sta-

Statutum Generale Seraphicæ Religionis in laudem Virginis. 574. & 1092.
Studiorum noſtrorum finis ſit SS. Deipara. 1219.

T

TEmerarium eſt terminum præfigere Deo. 30.
Temeritas, vnde ſumatur. 327.
Timor illuſionum laudabilis. 255. 256. 307. & 311.
Teſtimonium recipientis Revelationes, an ſuſpectum. 295. & 305.
Theſaurus in exauſtus, Maria SS. 1223.
Theſes publicæ circa Theologiam Myſticæ Civit. Dei, 314. & 1180.
S. Thereſia, Cœlitus ſcripſit. 39.
Thronus Mariæ in Cœlo. Concert. 15. §. 5.
Traductio fidelis, difficilis. 530.

V

VEnerabilis Titulo inſignitur Author. *Vide* Maria à Ieſu. 1226.
Verax quæ in omnibus apparuit, mendax in aliquo non præſumitur. 1228.
Verbum intercedens ab æterno, nomine humanitatis. Concert. 7.
Verrere Domum, an deceret SS. Virginem. 1127.
Veritas, an tacenda. 66. 237. 1167. & ſeq.
Veritas, à quo ſumatur. 323.
Veritas, qualis in revelationibus privatis. 380.
Veritas odium parit, quomodo. 1211.
Veritas, cum non defenditur, opprimitur. 1213.
Veſtes Mariæ, in forma & colore. 1130.

Vita

Vita laudabilis, ſignum credibilitatis. 59. 247. 288.
Virginitas perpetua Virginis Mariæ, vnde conſtat. 889.
Viſio Beatifica in Viatoribus. 893.
Vniverſitas Pariſienſis, eiuſque authoritas. 17. In honorem V. Virginis. 1224.
Vniverſitas Pariſienſis, obſequioſa in Sanctiſsimam Virginem. 23.
Vnus & ſolus, quomodo intelligend. 1002.
Voluntatis promptitudo, æſtimabilis. 243.
Vſus rationis in Maria, à primo Conceptionis inſtanti. 1088. & 1163.
Vſus prophetandi, ſi aliquando decipit. 303.
Vtilitas multorum in Revelationibus privatis. 318.

FINIS.